
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
24 D
35

DOCTOR ANGELICVS DIVVS THOMAS AQVINAS,

DIVINÆ VOLVNTATIS,

ET SVIIPSIVS IN SVMMA Theologiæ Fidissimus Interpres, atque Doctrinæ Patrum observantissimus Custos, in lucem publicam editus,




A R. admodum P. F.

NICOLAO ARNU,

ORDINIS PRÆDICATORVM,

S. Theologiæ Magistro, & in Collegio S. Thomæ de Vrbe Conventus S. Mariæ super Minervam studiorum Regente.

TOMVS PRIMVS,

In duas Partes divisus, duplicibusque Indicibus locupletatus, ad commodam Theologorum eruditionem.

Ad usum Fris Dominici Palterij. 3. O. S. f.

ROMÆ,

Typis NICOLAI ANGELI TINASSII.

M. DC. LXXIX.

Cum Approbatione, & Permissione.

90



EMINENTISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
D. D. ALDERANO
S. R. E.
CARDINALI CIBO.



VOD tuo potissimùm nomini, PRINCEPS EMINENTISSIME, *opus hoc Theologicum inscribam, nemini, ut reor, mirum accidet, qui nouerit, quàm innata Tibi sit erga sacra literarum studia propensio, quantóque humanitatis & beneuolentiæ studio bonarum artium Cultores prosequaris. Meherclè haud scio an alterius nomen in hujuscè libri fronte æquiori jure spectare liceret. Solem, præclarissimum illum mundi oculum, qui*

aureo sui luminis fulgore omnium ad se mortalium obtutus rapit, & ad quem conuersi tot gentium, nationumque populi adorant, ad pedes adolescentis in supremum dignitatis culmen efferendi supplicem quandoque fuisse visum Sacra Genesis historia narrat; Nec enim eximiam tanti honoris celsitudinem portento minori ostendi, aut minùs fulgidi syderis obsequio coli decuit, quàm ejus, quod est luminum Pater, Cælorúmque decus & ornamentum. Solem hunc divinam adumbrare Theologiæ sapientiam, quæ in altissimis Dei oriens mundo, veluti luminare majus in firmamento Ecclesiæ lucet, supremi illius numinis notitiam fidelium mentibus inspirans, Author glossæ annotauit. Quæ profectò sicubi gloriosè splendet, nullibi tamen gloriosiùs, & magis conspicuè quàm in Angelico illo Doctore Diuo Thoma Aquinate, fidissimo Diuinæ voluntatis interprete. Ea propter illam omnes Dominam agnoscunt, ipsique uniuersus

ſcientiarum Chorus certatim, veluti Reginæ famulatur; iſtum omnes Theologorum Academiæ Principem meritò venerantur. Hoc ſplendidiſſimum ſydus, cui tot ſapientum corda, menteſque deuouentur ſub tuis Auſpiciis ſplendidius micaturum ſupplex ſe Tibi ſiſtit, Teque Patronum veneratur, eo potiori jure, ac feliciori ſorte, quo æquiùs eſt, atque fortunatiùs, tam egregium, ac ſapientem in Eccleſia Principem, mecœnatem habere & colere, quàm adoleſcentem poſt tot preſſuras, & tam longa annorum curricula ad excelſi muneris apicem extollendum portendere, & adorare. Magna equidem fuit honoris ſublimitas iſtum è carceris ignominia ad Purpuræ ac Principatus gloriam tranſire, è ſquallida ſeruitute ad ſupremam totius Regni præfecturam à Rege ipſo vocari, à quo uno duntaxat Regni ſolio præcederetur, ſuper uniuerſam illius Domum conſtitui, & deniquè cunctum in Regione illa populum ad oris ejus imperium obedire; ſed re ipsâ

quidem tantò major gloriæ amplitudo in Te elucet, quantò gloriosiùs, atque majus est à Nobilissima familia ad virtutem, à virtute ad Purpuram sublimari, & à Purpura ad partem Curæ Ecclesiastici Regiminis à Summo Pontifice Innocentio XI. maturâ ac sapienti deliberatione Te esse assumptum, quantò sunt Sanctissimi, atque integerrimi uniuersalis Ecclesiæ Præsulis, & Capitis sanctiora judicia, quàm illius Monarchæ in rebus afflictis Consilia. Eóque sublimius est Tibi consiliorum omnium de Republica Christiana arbitrium, regimenque fuisse concreditum, quò augustius judicatur, arduis ac publicis in Regno Christi negotiis gerendis intendere, quàm illius Regis Domui, & Regni annonæ praeesse, quantò denique præstantius est Christi populo maximi Ecclesiæ Catholicæ Principis sanctiones annunciare, jura dicere, atque leges, & obaudiri, quàm illi à plebe ad oris imperium obtemperari. Quantum sanè Summi Pontificis dispositioni debet

Vrbs, immò Orbis Christianus, quòd Te cum illo habeat; siquidem post Se illi nihil aliud melius potuit prouidere, quàm Te, cujus & scientiâ proficiunt subditi, & patrocinio virtus exultat. Decet tractatores habere doctissimos, *inquiebat Cassiodorus lib.* 8. *variar.* 12. quibus potestas summa committitur, ut nullo defectu impediente meritorum provisa reipublicæ utilitas explicetur. *Ad tam sublime dignitatis & gloriæ fastigium, non fortunæ ludo, non blandiente fauoris aurâ elatus es, non necessitudinis funiculo tractus, sed eximiæ sapientiæ & doctrinæ, ingentiumque meritorum gradibus ascendisti. Non es passus ut generis tui claritudo, quæ verè maxima, & notissima est, Tibi foret ad tam eximios honores gradus, ad eos solùm ex præclarissimis virtutum dotibus gradum fecisti. Earum laudes exequi velle studium mihi reuera dulce, sed non & cura mediocris. Quacunque exordiar, aut finem dicendi faciam, ni-*

hil ultra me præstitisse arbitrabor, quam exorsum esse, & quodcunque sit mihi initium, nusquam erit juxta sancita eloquentiæ præcepta à minoribus ad maxima, sic in Te maxima omnia, sic Tu ipse semper, & ubique par ac similis Tui, nisi quod Tu major, & clarior videaris, quibus postea ipse contigeris. Exordiar tamen illos imitatus, qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis. Inter præclaras & eximias virtutes tuas, maximè tamen, & quasi è quadam sublimi specula se ostendit & extollit ingens illa morum suauitas, quæ Tibi omnium conciliat animos; occurrit statim vitæ ac cultûs in tanta sublimitate moderatio, quæ dùm sic fastum reprimit, edocet Te meruisse, quod adeptus es. Sæculi hujus honor, *ajebat Cassiodorus lib. 7. variar. form. 26.* humanæ mentis est manifesta probatio, quia libertas animi voluntatem propriam semper ostendit, dùm

ſe contemnit occulere, qui ſibi alios agnoverit ſubjacere. Sed humanæ mentis felix illa conditio eſt, quæ arbitrium provectionis ſuæ intra terminum moderationis includit, & ſic peragit dignitatis breviſſimum ſpatium, ut univerſis temporibus reddatur acceptus. *Tu vitam tenes improbis minantem. Tu diſciplinam inter jura cuſtodis. Plus tamen juſtitiæ in Te eximiè ſplendentis terror noxios corrigit, quàm pœna conſumat. Signa tua abactores timent, fures paueſcunt, omnes mali perhorrent, Innocentia tantùm læſa reſpirat, dùm ſibi auxilia veniſſe credit, quæ legum diſciplina tranſmiſit. Cauſa omnium bene acta tuum illum rectitudinis zelum, & æquabilem Clementiam, quæ populos nutrit, egregiè nobilitat, quando totum bono propoſito agere crederis, qui generalibus deſideriis adeſſe ſentiris. Amas in audiendo patientiam, in ſuggeſtione veritatem, ſæpè quæ ad Te falsò perueniunt, recti ſtudio*

emendas. Quis in Te non miretur magnam illam animi constantiam, quam sublimis efficit sapientia, mens religiosa consolidat? Et si prudentia, quæ gubernatrix est hominum, & omnis constitutionis inter eos princeps, ciuitates, & familias, priuatamque singulorum vitam ad exemplar Diuinum referens, magna sit, & prope modum infinita, undè & in paucis nascitur, in paucioribus adolescit, & in paucissimis ad maturitatem peruenit, eam tamen ita perfectè assecutus es, ut videatur Te ad hanc unam virtutem natura genuisse, voluntas exercuisse, fortuna seruasse. Hæc excelsa virtus, cæterarumque omnium decus, quæ cum præclara scientia junctim emicant, egregium in Te, atque conspicuum absolutissimi Principis exemplar citra controuersiam exhibent. Et quamuis de splendore natalium tantum jubar hauseris, vincens decorem sanguinis ingenii claritate, dum coruscantem germinis tui lampadem actuum sereni-

tate transcendis, factus es stemmatis victor tui, per quod plerosque mortalium nascendo superasti. O quanta, & quàm optanda, vel maximè mihi scriptori extero illa sors erat, ut in manibus, oculisque tanti Principis, iste fœtus ingenii mei lucem videret, ut duplici, & doctrinæ, & authoritatis tuæ patrocinio, nec maleuolorum calumnias, nec sciolorum morsus pertimesceret. Tanto igitur virtutis, sapientiæ tuæ, ac nobilitatis ingenuo splendori, hoc qualecunque obsequii mei munus, PRINCEPS EMINENTISSIME, *offero; nec arbitror pro ingrato erit, quod per se haud magnum ab animo consecrantis pondus accipiet, qui hoc donat, quod in omni suo literario censu maximum, optimumque habet.*

EMINENTIÆ VESTRÆ,

Addictissimus & obsequentissimus Servus,
F. NICOLAUS ARNU,
Ord. Prædic.



LECTORI BENEVOLO.

TANDEM, Lector benevole, post diuturni temporis spatium, oppignoratam liberaturus fidem, multorúmque expectationi facturus satis, qui quantulacunque nuper edita à nobis Philosophiæ opera non vulgariter probarunt, ad Theologiam D. Thomæ calamum, animumque admoveo. *Magnum opus, & arduum aggredior,* inquiebat Augustinus lib. 1. de doct. Christ. in prologo, & si ad sustinendum difficile, *vereor ne ad suscipiendum temerarium.* Etenim quemadmodum Divus Gregorius Nazianzenus observavit orat. 1. de Theolog. *Non cujusvis est de Deo disputare; Non*, inquam, *cujusvis; non adeo hæc res vilis est, & eorum, qui etiamnum humi serpentes terrenis studiis occupantur. Non omnium quidem, quia eorum tantum est, qui inter multos habito delectu, ad tantum munus videantur idonei, quique contemplandi acumine cæteris antecellunt.* Immò neque hi ipsi, qui sunt sublimiori mentis acie præstantes, absque periculo divina vestigare queunt. *Confiteor libenter*, ait Origenes homil. 1. in Ezech.

à sapiente, ac fideli viro dictam sententiam, quam sæpe suspicio; De Deo & verè dicere periculosum est. Quo enim pacto, quave ratione homo de Deo, imbecillus, & morti obnoxius de ingenito, & in quem non cadit interitus, opus de eo qui fecit pro dignitate dicere valeat. *Qui non potest de seipso vera dicere*, exclamat D. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. *An non multò magis ne de Deo quidem ei credendum est. Quantum enim abest homo à Dei potestate, tantùm etiam est ejus oratio imbecilla, etiamsi non Deum, sed de Deo dicat, & Verbo Divino. Qui sibi Deum ascribunt Magistrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcunque cognitionem, utpote Spiritu Sancto Sanctum Spiritum assuefacientes.* Quinimmò divinus Plato apud Theodoretum *lib. 2. de principiis; Patrem quidem*, ait, *factoremque totius mundi hujus, & invenire laboriosum est opus, & cum inveneris, cunctis mortalibus eum prodere opis ullius non est. Neque enim sicut cætera quæ condiscimus, ita potest dicendo exprimi*, accedit huic oneri, & difficile satis interpretandi genus, difficile namque (teste D. Hieronymo) est, ac planè arduum alienas insequentem lineas alicubi non excidere; Quia, ut inquit D. Augu-

ſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei*, relatus à D. Thoma *opuſc.* 72. nunquam fuit aliquis, qui in omnibus ab omnibus intelligeretur. Sed & non parum ab hoc opere ſuſcipiendo, atque ineundo labore animum noſtrum deterrere videbatur authorum in hoc ſcripturienti ſæculo plurima ſeges (utinam & in omnibus manifeſta fortitudo bonis reperiretur) itaut plures jam magiſtri, ut ita dicam, quam diſcipuli. Sed quod maximè animi noſtri impetum, ac deſiderium cohibere poterat, ea erat quæ mentem noſtram ſubibat cogitatio; *Ei qui de tantis rebus diſputationem habeat*, (ut cum D. Gregorio Nazianzeno loquar *orat.* 1.) *præſertim apud multitudinem, quæ ex variis ætatibus, animique affectionibus conflata eſt, ac muſici cujuſdam inſtrumenti multis fidibus conſtantis in modum, variis pulſibus opus habet, difficile eſſe hujuſmodi doctrinam invenire, quæ omnes concinnare, ac ſcientiæ lumine colluſtrare poſſet... Quidam lactis alimonia opus habent, hoc eſt ſimplicioribus, & elementalibus doctrinis, nimirum qui puerili animi habitudine ſunt, recenſque, ut ſic dicam, compacti, nec virilem ſermonis, aut doctrinæ cibum ferunt, quem ſi quis ipſis præter vires admoverit ejus pondere oppreſſi, fortaſſe atque obruti*

(animo ad id , quod transmissum est, attrahendum sibique accommodandum haud satis virium habente, quemadmodum nec corpore in cibis materia constantibus) pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alii, quòd sensus ad verum à falso internoscendum ac secernendum exercitatos habeant, ac proinde sapientia ea, quæ inter perfectos exponitur, sublimiorique, & firmiori cibo indigeant, si quis lac illis propinet, oleribusque, hoc est infirmiorum cibo, eos alat, molesto animo id laturi sunt; ac meritò sanè, utpote nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabile illud augmentum capientes, quod sermo divinus affert, eum, qui pulchrè alitur, in virum perficiens, atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens. Et ad hæc quis idoneus? Vici tandem fluctuantis animi remoras,& unde improbi laboris suscipiendi enatæ difficultates fuerant, inde vires mihi assumendas arbitratus sum. Et imprimis quidem, esto probè noverim nulli fas esse Deum, divinaque subtili mentis indagine nedum comprehendere, sed ne attingere quidem, ut opus est, hoc ipsum ingenio admovit calcaria; Nam ut perbellè dixit S. Leo Papa *serm.* 10. *de passione*; *Ipsa materia ex eo quod ineffabilis est, fandi tribuit facultatem; neque potest deficere*

quod dicatur, dum non poteſt ſatis eſſe quod dicitur. Et præterea audendi aliquid in ipſius notitiam dat fiduciam non modicam, quòd magnarum rerum magnus ipſe conatus ſit. *Siquidem* (ut notavit D. Proſper de vita contemplat. in prologo) *neceſſariarum tractatio quæſtionum, etſi non inſtruit invenientis quod quærit animum, exercet ſaltem quærentis ingenium; aut ut noverit ſe quærendo, & nihil inveniendo neſcire, quod ſe fortè noſſe præſumpſerat, & ignorantiâ ſua conſequenter admonitus, quod ſibi deeſſe viderit quærat; quod invenerit teneat, diligenter exerceat; aut ſi quod ſibi de divinis literis propoſitum fuerat, ſalubriter tractare, & ſufficienter explicare potuerit, non de inventione veritatis infletur, ſed de Domino, qui eum intus illuminavit, ut illuminata cognoſceret, glorietur.* Nec magis animum noſtrum movit quod innumeri propemodum viri ſapientiſſimi hac noſtra tempeſtate de his materiis theologicis ſcribendi provinciam ingenti cum laude obierint; *Neque obeſt utilitati ſalutari* (inquiebat D. Cyprianus *epiſt. 65.*) *aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut & quædam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem à nobis additum fuerit, non ſic additur quaſi ab aliis minus*

dictum

dictum sit; sed quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum & perfectum anima concipere. Idcirco & tantus est numerus Prophetarum, ut multiplex divina sapientia per multos distribuatur. Unde & tacere præcipitur primo in prophetia loquenti, si secundo fuerit revelatum. Cujus & aliam rationem insinuat D. Augustinus *libro* 1. *de Trinit. cap.* 3. dicens; *Non propterea putet quis me tacere debuisse, quia non tam expeditè ac dilucidè quam illi, eloqui potui. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in istos saltim incidant. Ideoque utile est plures à pluribus diverso fieri stylo, sed non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* De eisdem fateor quæstionibus ego atque illi de eisdemque rebus tractationem suscipio, diverso tamen aliquantulùm stylo, & scribendi ratione absimili, Angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem in Theologiæ summa fidissimum sui ipsius, ac divinæ voluntatis interpretem studiosæ juventuti exhibens, ut veluti aquilarum pulli solem in rota intueri, ac conspicere

addiſcant. Venuſtum illud eſt Philonis Iudæi effatum; *Sol alio non indiget interprete, ſui ipſius idoneus teſtis eſt*, quippe qui nonniſi per ſeipſum cognoſci valet. Quod de noſtro, immò Eccleſiæ ſole inter gloriæ nebulas refulgente veriùs dixerim. Huic ſi alienas faces accendere volueris, non illuſtraſſe, ſed potiùs nubem oppoſuiſſe videberis. Solus ipſe ſui idoneus teſtis eſt. *Quapropter meam cogitationem quaſi germen*, (ut cum S. Gregorio *in Hexameron in principio*, loquar) *aut ſurculum exiguum magnæ arbori, nempe præceptoris noſtri ſapientiæ inſeram, occaſioneque mihi inde ſuppeditata, tanquam humore quodam irrigatus, pro viribus ramus ejus efficiar; arbitror enim quoſdam haud rectè percepiſſe, quid ille ſibi in iis, quæ... conſcripſit, propoſuerit; ideoque calumniari, quod dilucidè non explicarit ea*, quæ ad ſacram doctrinam pertinent; *Qui hæc & alia ejuſmodi loquuntur, hi mihi non videntur propoſitum Patris noſtri doctrinæ finem intueri, qui in ampliſſima Eccleſia populum frequentiſſimum alloquens, pro audientium intelligentia ſermonem moderabatur... Quare ſi quis ex præceptoris conſilio dicta ipſius expenderit, nihil dubitationis relinquetur; neque enim verborum contentiones aucupabatur, ſed ſimplici expoſitione audientium ſimplicitati*

sic orationem suam accommodabat, ut variam tamen externæ Philosophiæ doctrinam redolens peritioribus etiam satisfaceret. Quamobrem eam & imperiti intelligebãt,& eruditi admirabantur. Observantissimum Sacri Depositi custodem ipsum dixi, quippequi,ut Augustini verbis utar,*Quod invenit in Ecclesia, tenuit;quod didicerunt, docuit; quod à Patribus accepit,hoc filiis tradidit.* Et quia hos summè veneratus est, eorum omnium doctrinam assecutus est. Quod & in hoc opere, Deo benignè annuente, planum fiet, dum ostendemus singulas ipsius sententias Ecclesiæ,& Patrum doctrinæ consonare. In hoc opere quanta potero brevitate,& quam dilucida methodo utar;hoc enim prolixitas nimia præstat, ut discipuli à permagnifico sapientiæ hujus convivio jejuni abscedant.Non est profectò mihi animus hinc inde quæstiones avellere, & in unum Theologiæ tractatũ congerere,nec enim desidero unius diei, aut quæstionis Theologos;probè enim novi & ad scientiam illam veri Angelum apostatam non pervenisse,qui fortunam suam impatienter ferens, voluit in una morula similari altissimo; & verbum divinum carnis trabea indutum temporis sustinuisse moras, simul ætate; & sapientia proficiendo.

Simpli utar ſtylo,quia ut ait Chryſologus *ſerm.*18. *Si ſcire volumus, verborum floſculos non quaramus. Qui maturitatis fructum quarit, deſpicit amœna camporum. Viola, roſa, lilia, narciſſus, grati flores, ſed gratior panis. Seponenda eſt ergo eloquentia voluptas, quando ſcientia fortitudo depoſcitur.* Non uberes audeo polliceri fructus, quia ut cum Cypriano *epiſt.* 2. *ad Donatum*, dicam; *Exilis ingenii anguſta mediocritas tenues admodum fruges parit; nullis ad copiam fœcundi ceſpitis culmis ingraveſcit: aggrediar tamen facultate, quâ valeo, nam & materia dicendi facit mecum. In judiciis, in concione pro roſtris opulenta facundia volubili ambitione jactetur; cum de Domino Deo vox eſt, vocis pura ſinceritas non eloquentia viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Accipe non diſerta, ſed fortia, & rudi veritate ſimplicia*, & Vale.



INDEX QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, Capitum & Paragraph. hujus primæ Partis Tomi I.

QVÆSTIO PRIMA.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE DEO.

QVÆSTIO TERTIA.

De simplicitate Dei. pag.415

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Deus sit perfectus? pag.493

QVÆSTIO QVINTA.

QVÆSTIO SEXTA.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Facultas Reverendissimi Patris Fr. Antonij de Monroy, totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis.

NOs Fr. ANTONIVS DE MONROY S.Theol. Professor, ac Ord. FF.Prædicatorum humilis Magister Generalis & servus: Harum serie nostrique authoritate officij Tibi à R. Patre Mag. Fr. NICOLAO ARNV hujus nostri Collegij S. Thomæ de Vrbe studiorum Regenti facultatem concedimus ut typis mandare possis opus à te compositum, cui titulus; *D.Thomas Aquinas Doctor Angelicus, Divinæ voluntatis & sui ipsius in Summa Theologiæ fidelissimus Interpres,&c.* jam revisum & approbatum à duobus nostri Ordinis S. Theologiæ Magistris; servatis aliàs de jure servandis. In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti,Amen. Dat.Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die 5. mensis Aprilis 1678.

Fr. ANTONIVS DE MONROY
Magister Ordinis.

Registrata fol. 15.

Fr. FRANCISCVS IVSTINIANVS
Mag. & Soc.

† *Loco sigilli.*

APPROBATIO.

EX mandato Reverendiſſimi Patris Generalis Fr. Antonij de Monroy, vidimus & perlegimus primum Tomum Theologicum A. R. P. Magiſtri Fr. NICOLAI ARNV Collegij Sancti Thomæ de Vrbe ſtudiorum Regentis, nihilque in eo offendimus aut à fide abſonum, aut probatis moribus adverſum, ſed omnia ſolida, Sanctis PP. & Scholæ Thomiſticæ conſentanea, & difficillima quæque perſpicacis Autoris ingenio clara & pervia facta; arbitramur proinde, in publicam Theologorum utilitatem & luce & prælo dignum. Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam. 3. Aprilis 1678.

Fr. ANTONIVS CLOCHE *Sacræ Theologiæ Mag. Ord. FF. Præd.*

Fr. GVINANDVS WYNANS *Sacræ Theologiæ Magiſter, & Socius Reverendiſſimi ſupradicti Patris Generalis Ordinis Prædicatorum.*

APPROBATIO.

HVnc ego Primum Tomum ex commissione Reverendissimi Patris Magistri Sac. Palatij legi, & consideravi, nihilque in eo quod Sacræ Doctrinæ adversetur, reperi; ideoque summa cum utilitate excudi posse censeo. Die 4. Aprilis 1678.

LAVRENTIVS BVLBVL *Cler. Reg. Minor. S. Congr. Indicis Consultor.*

SUMMÆ



SVMMÆ THEOLOGIÆ D. THOMÆ

PRIMA PARS,

DE DEO VNO, AC TRINO, ATQVE DIVINITATIS Effectibus in esse naturæ, & egressu eorum à Deo conditore.



PROLOGVS.

CONSTAT profectò naturam rationalem ad hoc solùm factam, ut factorem suum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, & diligendo, in eò qui est æterna vita, beatè vivat; nam cætera, quæ putantur homini esse propria, inquit Lactan- I.

De cognit. veræ vitæ c. 1. Aug. tributus *tom.* 9. *Lib.* 3. *diu. inst. cap.* 10.

tius, in reliquis etiam animalibus reperiuntur. Cum enim suas voces propriis inter se notis discernunt, atque dignoscunt, colloqui videntur: ridendi quoque ratio in his apparet aliqua, cum demulsis auribus, contractoque vultu, & oculis in lasciviam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque coniugibus, ac fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo, & indulgentiæ simile impartiunt? Iam illa quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, quandam habent utique providentiam. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur; nam quando sibi utilia appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus disparentia, profectò aliquid intelligere videntur. Poteftne aliquis negare illis quandam inesse rationem, cum hominem sæpè deludant? Iam quibus generandi mellis officium est, cùm assignatas incolunt sedes, castra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo serviunt, nonne quoddam perfectæ prudentiæ specimen ostendunt? Quæ igitur homini tribuuntur, communia ipsi cum aliis viventibus esse videntur, sed religionis certè sunt ista expertia. Et quia in solo duntaxat homine

mine perfecta est ratio, sapientia nominatur, quæ in hoc eximium facit hominem, quod ipsi soli datum est contueri divina atque intelligere. Qua de re Ciceronis vera est sententia. *Ex tot*, inquit, *generibus, nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem haberi Deum deceat, tamen habendum sciat.*

Constat igitur Religionis oportere 2.
suscipi doctrinam, qua Dei summi naturæ parentis compareturagnitio, & agnitione cultus impendatur. *Naturam enim hominis hanc Deus esse voluit*, inquit Lactantius, *lib.* 3. *c.* 11. *ut duarum rerum cupidus, & appetens esset, religionis, & sapientiæ; sed homines ideo falluntur, quia, aut Religionem suscipiunt omissa sapientia, aut sapientiæ soli student omissa religione, cum alterum sine altero verum esse non possit.* Cadunt namque in multiplices religiones, sed ideò falsas, quia sapientiam reliquerunt; aut student sapientiæ, sed ideò falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire.

Hominis igitur officium tunc se im- 3.

plere quisque arbitretur, cum se Dei agnitioni, & divinorum contemplationi dediderit: sapientis verò partes se agere existimet, si Christi factus administer, Deique adjutor, *qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire*, Dei scientia, & Christianæ Religionis disciplina imbuendos, & informandos, tum & populum alti sermonis, cum & parvulos, atque lactentes suscipiat. *Catholicæ veritatis Doctor*, inquit D. Thomas, *hîc in prol. non solùm provectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire*. Idcircò Doctores sacros, non semel in sacrâ paginâ, Ecclesiæ mammæ, & ubera vocitantur. *Per ubera*, inquit Theodoretus, *doctrinæ fontes accipiamus, qui singulis ætatibus congruentia subministrant; aliis quidem lac, aliis solidum cibum*: *Non enim vanis honoribus suis consulunt*, ait Beda, *in epist. 1. ad Corinth. cap. 3 sed utilitati eorum, cum quibus societatem vitæ hujus inire meruerunt. Hæc est namque lex divinæ providentiæ, ut nemo à superioribus adjuvetur ad cognoscendam, & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adjuverit.*

4. Ea de causa æterni Patris sapientia Christus Dominus Angelorum Magister,

ſter, & hominum Doctor venit ad homines, venit in homines, & factus eſt homo, ut ſolidum illum doctrinæ cibum, quem in contemplatione divinitatis Angeli deguſtant, & homines capere non poterant, in carne aſſumpta lac ceu parvulis potum daret, non eſcam, ad eſum ſolidi cibi eos præparando. *Et quomodo mater*, inquit D. Auguſtinus apud Bedam *loc. cit. cibum comedit, ut per carnem trajiciat lac factum, ſic cibus Angelorum Dominus Verbum caro factum eſt, & factus eſt lac: Ergo dando lac deſcendit ad parvulos, quos utique vel Angelos, vel Deos eſſe cupiebat.* Vnde non immeritò idem S. Doctor, *lib. 12. cont. Fauſtum*, Chriſtum ſcalam illam dixit, per quam divinorum eloquiorum tractatores, ceu Angeli aſcendant, atque deſcendant, illuminationes à Deo Patre luminum deſcendentes, & ſibi traditas, tum perfectis, & in ſublimi conſtitutis, quorum eſt ſolidus cibus, cum parvulis, & in imo jacentibus, ſeu divina conſcendere tentantibus, perlaturi. *Ad ipſum*, inquit, *aſcenditur, ut in excelſis intelligatur, & ad ipſum deſcenditur, ut in membris ſuis parvuli nutriantur.*

Hoc ipſum à primis fidei, & Religionis Chriſtianæ Magiſtris voluit Do- 5.

minus quàm exactissimè observandum. *Fides revelata est*, ait idem S. Doctor, *sed per Apostolos. Quam in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cujus lac, & cibum parvis, magnisque ministrarunt.* Hinc Apostolus Corinthios alloquens, 1. *Corinth.*2. *&* 1. *cap. D. Th. lec.*1. nonnunquam dicebat: *sapientiam loquimur in mysterio absconditam.* Et iterum: *sapientiam loquimur inter perfectos.* Ostendens doctrinam illam subtiliorem, & secretiora Christianæ religionis dogmata non quibusvis se, reliquosque Apostolos, aut fidei primævos instructores impartiri, aut communia facere, sed iis duntaxat, qui ad capessenda divina sensus haberent exercitatos, ablactatique à lacte, & avulsi ab uberibus digni essent, qui Dei mysticam scientiam docerentur. Nonnunquam autem 1. *Corinth.*3. *Tanquam parvulis in Christo*, inquit, *lac vobis potum dedi*, idest, facilem doctrinam, dulcem, & nutrientem, *non escam*, idest, non robustam spiritualium rerum doctrinam, seu altam, & mysticam ut exponit D. Anselmus in eum locum, sedulius D. Thomas, & D. Chrysostomus *in epist. ad Hebr.c.*5.

2. Quemadmodum autem ab Apostolis (*quos adlegerat Dominus destinatos nationibus*

nibus magiſtros, ut notavit Tertullianus *lib. de præſc. cap. 22.)* in Sanctos Patres, & Eccleſiæ Doctores doctrina ſacra derivata eſt, pariter & doctrinæ forma, quæ ſic divino ſemper diſpenſata eſt eloquio, ut & peritis ſcientiam conferret altiorem, & ſimplicibus ſalutaris intelligentiæ gratiam largiretur. Quemadmodum egregiè animadvertit idem D. Auguſt. *lib. de vera relig.* dicens. *Hoc à magnis, & ſpiritualibus viris video cautiſſimè provideri, alimenta lactea largè avidis infirmioribus, pluribus, atque inſtanter infundi, validioribus autem cibis cum ſapientibus paucis veſcuntur: ſapientiam enim loquuntur inter perfectos.*

Non prætermittam huc adducere D. 7.
Chryſoſtomum, *in homil. de Lazaro*, qui de Sanctis Eccleſiæ Patribus aureo planè ore verba faciens, optimam hujus rei adducit rationem ſub his verbis: *Non ad inanem gloriam, quemadmodum Ethnici, ſed audientium ſalutem omnia compoſuerunt, in quos ab initio dignatus eſt gratia Spiritus Sancti. Si quidem hi ſunt à Chriſto alieni Philoſophi dicendi artifices Rhetores, ac librorum conſcriptores, non quod in commune conducit quærentes, ſed illud ſpectantes, ut ipſi ſint admirationi. Etiamſi quid utile dixerint, hoc quoque*

quemadmodum in caligine ſapientiæ conſueta illis occultavit obſcuritas. Apoſtoli verò, & Prophetæ manifeſta, claraque, quæ prodiderunt, expoſuerunt omnibus, veluti communes orbis Doctores, ut per ſe diſcere poſſint ea, quæ dicuntur ſola lectione.

8. Eſto fuerit hæc omnium pene tractatorum maxima cura, atque ſollicitudo, qui non inanis gloriæ captandis auris, ſed Eccleſiæ ſtuduerunt profectui; id tamen cum omnium ingenti admiratione, & plauſu pleniùs, ac dilucidiùs perfeciſſe exiſtimatur D. Thomas, *hîc*, quemadmodum & ſibi propoſuerat: *Propoſitum*, ait, *noſtræ intentionis in hoc opere eſt, ea, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent, eo modo tradere ſecundùm quod congruit ad eruditionem incipientium.* Ipſe enim pinguem, & opimum Deitatis cibum in lac traducens, ita ſapientiæ ſuæ, imò divinæ, altitudine maxima quæque ingenia paſcit, ut docendi affabilitate, clara ſententiæ perſpicuitate, atque ſuavitate ſtyli, etiam lacteſcentes alat. Vnde jure quidem optimo de eò dictum putem: *Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.* Hoc eſt: *Docendi rationem, & modum docent labia tua, ſic inſtructum, ut ab apicula favum cernimus. Neque enim unica ratione cunctis*

Catena trium Patrum.

ctis audientibus affers utilitatem: sed pro cujusque modulo te singulis accommodas, ut & perfectioribus, & rudioribus satisfacias. Ac mentem quidem eorum qui sunt perfecti, divinioribus verbis tanquam melle, dulcissimum reddis. Qui verò rudes, tyronesque sunt, eorum animos, tanquam lacte, naturalibus exples institutis.

Tria potissimùm tyronibus addiscendi viam præcludere solent (ut notavit D. Thomas *hîc.*) Primùm occurrit inutilium quæstionum, articulorum, & argumentorum inanis inculcatio, quæ ad inveniendam veritatem parum idonea est (nam ut ingenuè dixit Philo Hebræorum ille doctissimus. *Qui cavillari volunt, argumenta multiplicant; qui verò philosophari, rerum veritate contenti sunt*) & fastidium non mediocre addiscentium animis ingenerare, immò & plerumque nauseam movere consuevit. *Quemadmodum enim* (inquit D. Bernardus *serm. 36. in Cantic.*) *sumenti cibum, & non digerenti perniciosum est ei; cibus siquidem indigestus, & qui non habet bonam decoctionem, malos generat homores, & corrumpit corpus, & non nutrit, ita & multa scientia ingesta stomacho animæ qui est memoria.* Hinc D. Iustinus martyr *apolog. 2. ad gent.* hæc de Christi 9.

doctrina

doctrina scribit; *Breves, ac præcisi sermones Christi extiterunt, neque enim sophistes erat, sed vis Dei verbum illius.*

10. Secundò, prætermissus disciplinæ ordo addiscentibus quam maximo impedimento esse solet. Quod egregiè D. Bernard. *ibid.* observandum nos voluit, dicens; *Nonne corporum medici diffiniunt medicinæ portionem eligere in sumendis cibis quid prius, quid posterius, & quemadmodum quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit; tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum, & ordinem non serves, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite & de scientiis. Sed melius mitto vos ad Magistrum; non est nostra sententia, immò illius & nostra, quoniam veritatis. Qui se, inquit, putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire. Vides quomodo non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit.* Unde juremerito D. Gregorius Theologus *orat.* 1. *de Theol. Quæ per se bona sunt*, inquit, *nisi bene tractentur, boni gratiam perdunt.*

11. Tertium est frequens, & inanis dictorum repetitio, & nimia dicendi prolixitas, quæ & confusionem, & fastidium auditorum animis ingenerare solet; *& rusticum quemdã tumultum*, ut inquit Hila

Hilarius, *perturbata vociferatione prabere.* Quæ omnia summa cura, & ingenti studio cavit S. Doctor, & ab hac Theologiæ summa longè proscripsit. *Consideravimus*, inquit, *hujus doctrina novitios in his, qua à diversis conscripta sunt, plurimùm impediri. Partim quidem propter multiplicationem inutilium quæstionum, articulorum, & argumentorum. Partim etiam, quia ea qua sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundùm ordinem disciplina; sed secundùm quod requirebat librorum expositio, vel secundùm quod se prabebat occasio disputandi. Partim quidem, quia eorundem frequens repetitio, & fastidium, & confusionem generabat in animis auditorum. Hac igitur, & alia hujusmodi evitare studentes tentabimus cum confidentia divini auxilij, ea qua ad sacram doctrinam pertinent, breviter & dilucidè prosequi secundùm quod materia patietur.*

Breviter profectò D. Thomas innumera propemodum de Deo, rebusque divinis edisserens, ita tamen grata facundia opus hoc peregit, ut si centies ipsum percurreris, semper futurum sit, ut tibi aliquid offerat quod addiscas. *Similis est hac doctrina fonti largis, perennibusque scaturienti fluentis* (ut verbis Chrysostomi *hom.* 3. *in Genes.* utar) *Qui* 12.

ante

ante nos fuerunt, pro viribus aquas inde hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt; neque sic totum evacuare poterunt, sed magis interim augescunt flumina, & increscunt. Hæc enim spiritualium fluminum natura est, ut hoc magis scaturiat, & accrescat, quò magis haurire studet. Breviter, inquam, S. Doctor sacram doctrinam exposuit, attamen ita nervosè, ut nihil huic desit, quo aut veritatem stabiliat, aut errores confutet ipsi adversarios; quemadmodum & de Christi doctrina effatus est D. Hilarius *lib. 3. de Trinit.* dicens. *Christus verbis brevibus & paucis omne opus officij sui, & dispensationis exposuit; nihilominus fidei voluntatem adversus omnem inspirationem diabolicæ fraudulentiæ communiens.* Et quamvis brevitas intelligentiam auferre soleat, & obscurus quis fiat, dum brevis esse laborat, ipse tamen D. Thomas tam perspicuè, & dilucidè omnia recensuit, ut de hoc opere illud Tertulliani eloquium non immeritò pronunciatum quis dixerit. *Ita claret, ut radiis solis scriptum putes.* Vel ut uno verbo cum D. Chrysostomo *prol. epist. ad Rom.* rem absolvam; *Hujus lingua super etiam ipsum solem illuxit, cæteros omnes verbi doctrina exuperans.* Et

quam

quamvis ſtylus ejus ſimplex tibi videatur, nihil tamen eloquitur, niſi pro materiæ dignitate, ac præſtantia; Quod & priùs de Chriſto obſervari voluit D. Hilarius *lib.* 9. *de Trinit. Quanta potuit Deus*, inquit, *verborum ſimplicitate evangelicam fidem loquutus eſt, & in tantum ad intelligentiam noſtram ſermones aptavit, in quantum natura noſtra ferret infirmitas; non tamen ut quicquam minùs dignum natura ſua majeſtate loqueretur.* Et quod magis admiratione dignum eſt, ſi quis rem aliis verbis, etiam Ciceronianis, ut dicitur, explicare aggrediatur, aut mentem S. Doctoris non dabit, aut dictorum ipſius auferet intelligentiam. *Non enim relictus eſt hominum eloquiis* (ut ait idem Hilarius *lib. ad Conot.*) *de Dei rebus alius præterquam Dei ſermo. Omnia reliqua, & arcta, & conclauſa, & impedita ſunt, & obſcura; ſi quis aliis verbis demonſtrare hoc, quam quibus à Deo dictum eſt, volet, aut ipſe non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit.*

Sed quid mirum, ut paucis multa cum 13.
D. Chryſoſtomo *homil.* 37. *in Geneſ.* de hac doctrina complectar: *Divina ſunt hæc dogmata non humana, & propter hoc omnem illam doctrinam videre licet ſecus ſe habere, quam humanam. Illic enim in*

humana

humana sapientia omne studium in concinnandis verbis adhibitum est, hic verò prorsus aliter. Nullam habent rationem pulchritudinis, vel compositionis verborum. Habent enim gratiam domesticam effulgentem, & pulchritudinem sententiæ quæ dicuntur. Et illic post longam & indicibilem nugacitatem vix aliquæ sententiæ venantibus occurrunt: hîc autem parva dictio sæpe nobis totum texit sermonem.

14. Ducem igitur ac præceptorem angelicum divinæ voluntatis ac sui ipsius interpretem habentes: *Ea quæ de Deo ac divina sunt cognoscamus, de iisque disseramus*, ut ajebat D. Gregorius Theologus, *Disseremus autem hinc unde satius est initium ducentes. Hinc porro satius est, unde Salomon nobis legem statuit. Principium sapientiæ, inquit, collige sapientiam. Adhibenda nobis prius est per virtutem in actione positam animæ purgatio, atque ita ad contemplationis puritatem eundum, idest, divinam scientiam & doctrinam. Quemadmodum enim Israëlitæ, quamvis Moysis vultum cernere cuperent, tamen propter splendoris radios inde manantes, suamque infirmitatem, eum intueri non poterant: ad hunc quoque modum quicunque non per morum probitatē animos perpurgarint, cum Deo & Theologia frustra commercium habere conabuntur.*


QVÆSTIO



QVÆSTIO PRIMA.

De ipſa Sacra Doctrina, qualis ſit, & ad quæ ſe extendat.

NECESSARIVM *eſt primò inveſtigare de ipſa ſacra doctrina qualis ſit, & ad quæ ſe extendat*, inquit S. D. *Nam* Sup. Dionyſ. cap. 1. *mos eorum eſt, qui artificiosè ſcientias tradiderunt, quædam neceſſaria ad ſubſequentium planiorem intelligentiam, ceu faces præambulas anteferre, & præſertim ipſum ſciendi modum.*



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum neceſſarium ſit præter Phyſicas diſciplinas aliam doctrinam haberi.

CAPVT PRIMVM.

Senſus tituli explicatur.

PEr phyſicas diſciplinas hîc intelligit S. D. 1.
omnes demonſtrativas ſcientias: præſer- 2. 2. q.
tim verò ſpeculativas; nam practicæ magis 481. 1.
propriè Ethic.

Lect. 1. & 2. propriè dicuntur virtutes, quia sunt aliquarum principia operationum. Quare D. Augustinus *lib.* 8. *de civ. cap.* 4. Philosophiam, cum Platone, in tres partes distribuit; nimirum Naturalem seu Physicam, quæ contemplationi deputata est: Ethicam seu Moralem, quæ maximè in actione versatur: & Rationalem, quâ verum à falso discernitur. Quod autem præcipuè veniant intelligendæ scientiæ speculativæ, ratio in promptu est, quia in his fœlicitatem humanam, sive salutem, & ultimum finem sapientes, qui rectè senserunt, collocandam esse censuerunt, ut docet S. D. 1. *sent. q. prol. art.* 1.

2. Opusc. 69. §. 2. 1. Phys. Lect. 1. hic art. 1. & 1 sent. prol art. 1. Nuncupantur autem disciplinæ, quia per eas addiscentibus per institutionem & doctrinam Magistri, lumen naturale rationis adjuvantis scientia aggeneratur. Dicuntur autem naturales, seu physicæ, non quia de ente naturali seu mobili physico agant; sed quia rerum naturalium contemplationi sunt deputatæ, vel actionibus hominum dirigendis addictæ, quantum per naturale rationis lumen comparari potest. Vnde dicuntur physicæ seu naturales, non quidem objectivè, sed emanativè, quia nimirum à naturali scientiarum principio, quod est intellectus per investigationem rationis procedens, dimanant & acquiruntur.

3. Prol. sent. art. 1. c. 1. post Lect. 1. Nomine autem sacræ doctrinæ, Theologiæ doctrinam, seu Theologiam divinam secundùm suum acquiri, intelligenda venit: quâ perfectè de Deo rebusque divinis cognitio per lumen divinæ revelationis, quæ est perceptio divinæ veritatis in se, & non ex ejus effectibus

fectibus, habetur. Nam doctrina & disciplina ad acquisitionem scientiæ pertinent. Etenim doctrina nihil aliud est, quam actio docentis in addiscente, sicut effectio est actio facientis in eo quod fit. Et quia omnis cognitio præcipuè à principio activo, & ratione formali seu medio cognoscendi specificatur; idcircò sacra doctrina præcipuè ordinem importat ad revelationis divinæ lumen. Sumitur ex S. D. 1. *sent. ad Annibal. prol. q.* 2. *art.*3. ubi ait: ***docens est in quantum revelata divinitus manat.***

Nomine itaque *sacra doctrina* non venit intelligenda fides, quia de fidei necessitate agit D. Thomas 2. 2. *q.*2. *art.*3. *&* 4. Neque de simplici doctrina fidei, quæ, tanquam lac parvulis, omnibus Christi fidelibus dispensatur: sed de perfecta illa Theologiæ doctrina, quæ ad scientiæ acquisitionem pertinet. Vnde complectitur tam principiorum quam Conclusionum Theologicarum notitiam seu doctrinam; nam infra ostenditur quod ipsa sit, non modò scientia, sed & sapientia; sapientia autem complectitur, tam principiorum intellectum; quam conclusionum scientiam, quia & de principiis, & de conclusionibus habet iudicare. Quia verò de veritatibus divinis edoceri possumus, tum linguâ, cum scripturâ, *Cum enim lingua silet*, inquit Theodoretus de provid. orat. 14. ***præcipuum loquutionis instrumentum, loco eius inseruit manus calamo arrepta, & sermonis fit vehiculum, non jam lingua sed charta***: ideo passim à D. Thoma, vocatur hæc sacra doctrina, Scriptura, quia in Scripturis Sanctis loquitur nobis Deus, 4.

1.Sent.q. prol.art. 1.

6.Ethic. lect.6.& 1.2.q.57. art.2.

tanquam longè positis, edocendo nos de veritatibus divinis, de quibus est hæc doctrina.

5. 1.Sent.q. prol. Rom. 1. lect. 1. Ea propter hæc doctrina vocatur Sacra, Sancta, divinaque &c. Non modo quia est de Deo, rebusque divinis: sed quia speciali quodam jure ac privilegio à Deo, tanquam doctore in homines, ceu illius discipulos, ac Teodidactos divinitùs transfusa est, secundùm illud Ioan. 6. *Et erunt omnes docibiles Dei*, id-est, omnes qui hanc doctrinam docentur, à Deo docentur. Hoc enim ipsum quod nos de Deo homines docent, à Deo revelante susceperunt, sive immediatè ut Apostoli & Prophetæ: sive mediatè, ut alij qui per hos fidei doctrinam acceperunt.

6. Opusc. 7. & 20. ad Ephes. c.2. lect. 3. Per salutem intelligitur fœlicitas, seu beatitudo, quæ est ultimus finis & summum hominis bonum: & in contemplatione Dei ponitur. Quando enim aliquod consequitur id ad quod ordinatur, & ad quod factum est, salvari dicitur: è contra verò res illa perire ac deperdi creditur, quando finem, ad quem destinata est, minimè assequitur. Cum ergo propter Deum in se contemplandum, & eo beatè fruendum homo conditus sit, ut alibi dictum est, salvari dicitur, cum ad Dei contemplationem in se quodammodo pertingere valet. Tandem necessarium hic sumitur provt opponitur superfluo. Vnde sensus difficultatis est, utrum ad contemplationem perfectam Dei in se, quantum est in hac vita homini possibile, seu in via, qua ad patriam pergit, physicæ disciplinæ, seu demonstrativæ scientiæ sufficiant, ac subinde alia quævis doctri-

na

na sit superflua, ad perficiendum hominem in contemplatione Dei, finis ultimi; an verò illæ ad hoc sint insufficientes, & ideo alia quædam doctrina divinitùs inspirata, præter illas desideretur, ac necessaria sit.

Doctrinam aliquam divinitùs inspiratam 7.
comparandæ saluti, seu veræ Dei contemplationi, utcunque necessariam vel utilem, Gentiles Philosophi, qui totum sciendi negotium animi rationibus commiserunt, rationisque investigationi, omnino negarunt, stultitiam reputantes quæ nobis à Deo esse revelata annuntiamus. Raymundus quoque Lullus apud Eymericum 2. *part. Directorij* §. *de erroribus Lulli errore* 96. hujus sacræ doctrinæ necessitatem minimè agnovisse convincitur: quippe qui omnes fidei articulos, qui sunt prima hujus doctrinæ principia, per rationes evidentes & demonstrativas posse probari asseruit, & multò perfectiùs quam per fidem, eorum haberi cognitionem. Cum duplex sit veritatum genus de Deo scibilium, aliæ quæ naturali rationis lumine, ejusque investigatione cognosci pos- 1. Cont.
sunt, ut Deum esse, incorporeum, infinitum gent.c.3.
&c. aliæ verò quæ nonnisi per supernaturalem & 4.
illustrationem, ac divinam revelationem, Theologi quidam asseruerunt ad utrasque veritates tunc naturales, cum supernaturales, de Deo sciendas sacram doctrinam simpliciter esse necessariam. Sed communis opinio est, quod nonnisi ad supernaturales illas veritates perfectè cognoscendas sacram doctrinam haberi simpliciter necessarium fuerit, ad alias verò utile; quia earum cognitio per investigationem rationis sufficienter haberi potest, immo fuit à quibusdam Philosophis comparata.

CAPUT II.

Deciditur quæstio.

8. 1. Sent. prol. art. 1. 1. cont. gent. c. 4. Conclusio D. Thomæ est: Non fuit superfluum immo necessarium ad humanam salutem esse doctrinam quandam secundùm revelationem præter philosophicas disciplinas, seu demonstrativas scientias, quæ ratione humana investigantur. Probat S. D. in *sed contra* ex Apostolo 2. *ad Timoth.* 3. dicente: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum ad justitiam*; sed scriptura divinitus inspirata non pertinet ad physicas disciplinas, quæ sunt secundùm humanam rationem inventæ: utile igitur est præter physicas disciplinas aliam doctrinam haberi.

9. 1. Sent. in prologo ait 1. 1. cont. gent. cap. 5. Probat S. D. ratione, primò: ultimus hominis finis & salus ejus, est contemplatio Dei in se, quæ perfecta erit in patria, & est illi possibilis in via secundùm fidei suppositionem: sed ad perfectam Dei contemplationem in se nequeunt sufficienter disponere, & hominem perficere philosophiæ disciplinæ: ergo necessarium fuit præter eas aliam doctrinam haberi. Prob. minor: ea quæ sunt ad finem, debent esse fini proportionata: sed physicæ disciplinæ non sunt medium proportionatum ad consequendam perfectam Dei contemplationem in se, quia hæc rationis capacitatem excedit: ergo ad perfectam Dei contemplationem in se nequeunt physicæ disciplinæ sufficienter hominem

minem disponere, seu perficere in cognitione Dei. Minor prob. ex illo Isaiæ cap. 63. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Hoc est, nemo perfectam, & manifestam Dei cognitionem, in qua fœlicitas consistit potest accipere, nisi Deus ipse concesserit, ac revelaverit. Vt habetur ex Glossa *ibidem.* Vnde S. Hilarius *lib.* 4. *de Trinit.* inquit: *Neque scientiam cœlestium per semet humana imbecillitas consequetur, neque invisibilium intelligentiam ipsi sibi corporalium sensus assumet: non enim vel quod creatum in nobis, atque carnale est, vel quod in usum vitæ nostræ ex Deo datum est, suomet judicio naturam creatoris sui, opusque discernet. Non subeunt ingenia nostra in cœlestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet.* Videndus D. Clemens Alexand. *lib.* 5. *stromat.*



Deinde probat *ibid.* quod ad illas veritates, quæ naturaliter de Deo demonstrativè cognosci possunt, necessarium etiam fuit doctrinam quandam divinitùs inspiratam haberi; quia sunt multæ veritates de Deo naturaliter cognoscibiles, quæ sunt præambulæ ad perfectam Dei contemplationem, & à quibus tota hominis salus dependet, sicut Deum esse, incorporeum, sapientem &c. de rebus providentiam habere &c. sed hæ nequeunt sufficienter cognosci per physicas disciplinas prout competit ad salutem; ergo etiam ad has veritates cognoscendas necessarium fuit hominem divina revelatione instrui. Maior patet, ignorato enim an Deus sit, & de rebus curam gerat, penitùs impossibile est Dei cognitionem haberi perfectam. Vnde Apostolus *ad Hebr. cap.* 11. dixit, 10.

1. Cont. gent. cap. 4. de verit. q. 14 art. 10. in corp. 2. 2 q 7. art. 7. in corp.

quod accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Minor verò probatur, hujusmodi cognitio debet esse communis, seu facilis, ut ab omnibus haberi possit, & à principio, debetque esse sine errore, cum sit operatio perfecta: sed veritas de Deo investigata per rationem, nonnisi à paucis haberetur, ac post longum tempus, atque cum multorum admixtione errorum: ergo veritates de Deo scibiles & quas ad salutem scire necessum est, nequeunt sufficienter per physicas disciplinas cognosci. Major patet, quia aliàs non videretur homini sufficienter provisum de mediis ad salutem necessariis, qualis est Dei cognitio, nisi hoc modo haberi posset.

3. Cont. gent. c. 38. & seq.

II. Minor verò probatur, ad cognoscendum veritates divinas oportet sensum derelinquere, imaginationem, seu phantasiam; immò etiam ipsum intellectum, quia Deus in se nihil est sensibilium, imaginabilium, ac nequidem eorum aliquid, quæ ex effectibus creatis intelligere valemus; sed pauci homines sensibilia, & imaginabilia transcendere sunt idonei, & si sint, hoc nonnisi post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum (ut *cap. seq.* ostendetur:) ergo veritas de Deo per rationem investigata nonnisi à paucis haberetur, postque longum, ac diutinum tempus, ac denique cum multorum admixtione errorum. *Concedamus ergo* (inquit D. Hilarius *lib. 1. de Trinit.*) *cognitionem sui Deo, dictisque ejus pia veneratione famulemur, idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est. Torpemus quodam natura nostra pigro stupore, & ad res illius intelligendas*

Sup. Dionys. c. 7. lect. 4.

gendas intra ignorantiæ ingenij nostri imbecillitate cohibemur: sed doctrinæ ipsius studia ad sensum nos divinæ cognitionis instruunt, & ultra naturalem opinionem fidei obedientia provehit.

Confirmatur, necessitas alicujus rei potissimùm ex defectu illius cognoscitur; sed ex ignoratione, & defectu sacræ doctrinæ, seu scientiæ divinæ circa veritates naturales divinas mundi sapientes, aut rationi naturali se committentes in turpissimos errores prolapsi sunt: ergo omninò ad perfectam divinorum cognitionem etiam de Deo naturaliter scibilium necessum fuit hominem divina revelatione instrui. Minorem latè probant omnes ferè Patres præsertim D. Chrysostomus *orat.* 16. *epist.* 1. *ad Corinth.* dicens: *Philosophi sceptro scientiæ, & cognitionis dato rationibus impietatis pelagus imbecilli effecti intrarunt, protinus abyssum malorum invenerunt, dicentes ex iis, quæ non sunt, nihil fieri, sed ex materia ingenita, unde etiam hæreses pepererunt innumerabiles.* Videndi sunt idem D. Chrysostomus *orat.* 4. *in* 1. *ad Corinth.* Lactantius *lib.* 3. *divin. institut. cap.* 1. Eusebius *lib.* 7. *Hist. cap.* 8. Hilarius *lib.* 1. *de Trinit.* Tertullianus *in apologetico adversus gentes*, & alij. 12. In epist. 1. ad Corinth. cap. 12.

Nota, quod cum doctrina, seu scientia aliqua tota virtute in principiis contineatur, hæ rationes D. Thomæ potissimùm sacræ doctrinæ necessitatem ostendunt quoad cognitionem principiorum ejus, quæ oportet fide, ac revelatione divina suscipi; vel quia naturalem intelligentiam veritas eorum excedit, sicut Deum esse in Trinitate unum, vel saltim virtutem, & facultatem multorum, sicut verita- 13. Hic art. 7.

tes principiorum Theologiæ de Deo per rationem demonstrativè cognoscibiles. Et exinde necessitatem doctrinæ revelatæ etiam prout dicit cognitionem eorum quæ ex fidei principiis deducuntur, arguit; quia nonnisi per hujusmodi principia, seu virtualem revelationem cognosci possunt.

CAPVT III.

Quo pacto, quave ratione Sacra doctrina sit ad salutem necessaria.

14. NOtandum est primò, quod rerum nos ad
1.2.q.111. beatitudinem ducentium, seu utilium
art. 5. q. quædam nos immediatè ultimo fini coniun-
63.art.3. gunt, seu ad illum ordinant, sicut gratiæ, &
ad 2. q. virtutes Theologicæ, seu fides per dilectionem
98 art. 5. operans. Quædam vero duntaxat quatenus sunt
ad 3. dispositiones quædam, ac præparationes ad finem illam generandam, nutriendam, defendendam, roborandam, aut aliquid hujusmodi conferentes, sive ad divinorum perfectam cognitionem, sive ad rectam operandi, ac vivendi normam, sicut virtutes infusæ morales, & gratiæ gratis datæ. Res primi generis omninò, & simpliciter, seu absolutè necessariæ sunt ad salutem. Vnde dicitur *Hebr.* 11. *Quod sine fide impossibile est placere Deo.* Et 1. Ioann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Ex secundis autem quædam simpliciter ad salutem necessariæ sunt, quemadmodum virtutes infusæ morales, inquantum per illas anima perficitur circa alias res, in ordine tamen ad Deum finem superna-

turalem, cui immediatè secundum quandam inchoationem virtutes Theologicæ coniungunt. Aliæ sunt ad hunc finem tantummodò utiles, & ad melius ut cœlibatus, voluntaria paupertas, & rerum omnium abdicatio &c. Cum sine his maxima pars hominum salutem consequatur æternam. De doctrina sacra est dubium, an sit ad salutem hoc modo simpliciter necessaria, an tantummodò utilis.

Notandum est secundò quod rei necessitas, vel utilitas ex fine pensanda est; rebus autem creatis à divina providentia duplex est ordo inditus. Primus est rerum omnium ad ultimum finem, ipsum videlicet Deum. Et secundùm hunc ordinem per fidem, & alias virtutes theologicas homo in Deum, ceu finem supernaturalem ordinatur. Secundus est ordo unius rei ad aliam, in ordine tamen ad finem ultimum; & hoc pacto gratiæ gratis datæ necessariæ sunt, ut unius ministerio alij ad Deum ordinentur. Hunc duplicem ordinem quodammodo Theologiæ doctrina respicit; nam mediante fide hominem ad perfectam Dei cognitionem, seu contemplationem ejus in se, & non ex effectibus creatis ducit; perfectam, inquam, quantum in hac vita possibile est. Vnde Apostolus *Ad Phil. cap.* 1. eam, *omnis boni agnitionem*, vocat, quia ut vult *ibidem* Anselmus per eam *ad hoc pervenit, ut omne bonum, prout in hac vita possibile est, agnoscat, id est, intelligat, à malo discernat, & quale sit, sciat.* Et hoc pacto dicitur docens, quia de divinis per revelationem divinitus edocemur. Per eam etiam unus homo alios habet in Deum ordinare; pertinet enim ad gratias gratis datas, quæ 15.

1. Sent. dist. 48. q. 1. à 4. c.

1. Sent. q. prol. art. 1. in corp. & 1. ad Annib. q. 2. prol. art. 3. in corp.

ad

ad utilitatem aliorum ordinantur. Et hoc modo utentis rationem habet; estque duplex ejus usus, seu operatio, & finis quem Apostolus describit *ad Titum* 1. dicens; *Vt sit potens exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quia videlicet exhortari debet infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, justos ad profectum, & omnis contradictor est convincendus. Vnde D. Thomas *in 2. ad Timoth. cap.3. lect.3.* docet quod sacra doctrina est utilis ad cognoscendam veritatem, & ad dirigendum in operatione, nimirùm circa finem supernaturalem ostendendo ipsum. Primo modo perficiendæ rationi speculativæ deservit docendo veritatem, & repellendo errorem. Secundo modo utilis est ad perficiendum rationem practicam, ostendendo bonum amplectendum; & malum fugiendum. Vnde quadruplex est effectus sacræ doctrinæ, seu scripturæ, inquit S. D. scilicet docere veritatem, arguere falsitatem, quantùm ad speculativam: eripere à malo, & inducere ad bonum, quantum ad practicam; ultimus autem ejus effectus est, & finis, ut perducat homines ad perfectum. Non enim qualitercunque bonum facit, sed perficit.

16. Certum est quod si de sacra doctrina in tota sua latitudine sermo fiat, prout etiam comprehendit simplicem articulorum fidei doctrinam, eam esse simpliciter ad salutem necessariam, quemadmodum & fidem; cum sit de necessitate salutis aliquid distinctè, & explicitè credere, ut docet D. Thomas 2.2.*quæst.*2.*art.*5.distinctio autem, ac determinatio articulorum nonnisi per doctrinam habetur, ut sumitur ex Apostolo ad

ad Rom. 10. dicente; *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Vbi D. Thom. *lec.2. Ad fidem, inquit, duo requiruntur, quorum unum est cordis inclinatio ad credendum, & hoc non est ex auditu, sed ex dono gratiæ. Aliud autem est determinatio de credibili, & istud est ex auditu. Et ideò Cornelius, qui habebat cor inclinatum ad credendum, necesse habuit, ut ad eum mitteretur Paulus, qui sibi determinaret, quid esset credendum.* De sacra igitur doctrina, prout est perfecta Dei, divinarumque veritatum cognitio, quantum possibilis est homini in via, habetque nomen scientiæ, ac sapientiæ, difficultas procedit, tam respectu veritatum supernaturaliter,quàm naturaliter de Deo cognoscibilium.

Prima conclusio; Sacra Theologiæ doctrina non est omninò, & simpliciter, seu absolutè ad salutem necessaria, & per modum formæ conjungentis immediatè nos Deo, seu virtutis operantis circa finem supernaturalem; sed tantùm est necessaria quoad modum perfectè cognoscendi veritates divinitas, & ad perfectè instruendum alios in fide, & moribus, seu per modum illuminationis, & tanquam quædam dispositio ad fidem, quam præsupponit, generandam, nutriendam, defendendam, & roborandam. 17.

Sumitur ex D. Augustino *lib. 1. de doctr. Christ.* ubi ait; *Tria hæc sunt, quibus & scientia omnis, & Prophetia militat, fides, spes, charitas; homo itaque fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.* 18.

Vnde

Vnde in illis jam arbitror completum esse quod dictum est; Sive Prophetiæ evacuabuntur, sive liguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Quibus tamen quasi machinis tanta fidei, spei, & charitatis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea, quæ sunt ex parte, non quærant. Perfectum sanè quantum in hac vita potest.

Idem docet D. Chrysostomus *homil. 9. in epist. 2. ad Timoth.* ubi ait; *Omnis hujusmodi Scriptura utilis, & divinitùs inspirata est. Nihil ergo dubites, est utilis, inquit, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ut sit perfectus homo Dei ad omne bonum opus instructus. Ad docendum, si quid vel discere, vel ignorare opus sit, addiscemus; si arguere, falsitatem inde hauriemus; si corrigi, si castigari ad exhortationem; ad solatium si quid sit, & oporteat adipisci ex ea discimus, ut perfectus sit homo Dei. Non ergo sine illa perfici potest*; Quid expressius pro sacræ doctrinæ necessitate. *Non ergo*, inquit, *sine illa potest.* Ergo ad perfectum omninò desideratur, ac simpliciter necessaria est. D. Hilarius etiam in Psal. 118. *Plures*, ait, *arbitrantur simplicitatem fidei ad absolutam æternitatis spem posse sufficere, tanquam innocentiæ studium doctrinæ cælestis non egeat institutis; res aliter se habet.* Idem docet lib. 4. de Trinit. Hoc etiam asserunt D. Iustinus Martyr in expositione fidei. D. Irenæus lib. 2. contra hæreses cap. 47. D. Basilius lib. 5. adversus Eunomium cap. 16. D. Hieronymus epist. 8. de scientia divinæ legis. Lactantius divin. institut. lib. 2. ac 3. Sedulius in 1. ad Corinth. ubi ait; *Sicut plantatio sine aqua, sic fides sine doctrina*, & alij.

19. Probatur prima pars ex dictis; quia fides formata

formata charitate, ac virtutibus exornata absolutè, & omninò sufficit ad salutem absque sacra Theologiæ doctrina: ergo sacra Theologiæ doctrina non est omninò, & simpliciter, seu absolutè ad salutem necessaria. Rom. 1. lect. 6. Galat. 3. lect. 4.

Secunda verò pars prob. breviter; In sacra scriptura præceptum divinum datur de sacra doctrina ediscenda etiam sub æternæ damnationis supplicio, ut patet *Deuteronom. cap. 6. & 17. Malach. 2.* & *Oseea 4.* sed præcepta Dei sunt de his, quæ secundum se sunt de necessitate salutis: ergo sacra doctrina est simpliciter ad salutem necessaria. Neque hoc præceptum intelligi potest de qualibet doctrina, sed perfecta, & quæ habet rationem scientiæ, quia loc. cit. fit sermo de doctrina, quæ propter sui perfectionem, scientiæ nomen sibi vindicat; dicitur enim *Malachia 3. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia angelus Domini est.* Vbi glossa; *Si sacerdos de lege interrogetur, doceat; resistentes convincat; alioqui frustra dignitatem jactat, qui non exhibet operationem.* Quæ omnia profectò peritiam legis, fideique scientiam exigunt non modicam; signum enim perfectè scientis est posse docere, sapientisque officium non mentiri, & mentientem posse ostendere, seu repellere ut docet D. Thom. 1. *cont. gent. cap.* 1. explicans illud Proverb. 8. *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.* 20. 2. 2. q. 16. a. 2. c. & q. 147. art. 4. ad 1. in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. ad 1.

Tertia pars probatur ex D. Augustino *lib. 14. de Trinit. cap. 1.* dicente; *Huic scientiæ tribuitur illud tantummodò, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ex quibus sic simpliciter 21.

necessaria

necessaria est ad salutem fides; sed ad fidem generandam, quantum ad determinationem, & explicationem ejus ad determinata credibilia simpliciter necessaria est sacra doctrina, ut patet in tot Conciliorum, & Summorum Pontificum definitionibus, quæ nonnisi post multam discussionem, ad quam maximâ opus est scripturarum, & sacræ doctrinæ peritiâ, fiunt.

22. Quod sit etiam necessaria ad fidem nutriendam satis docet Concilium Valentinum Galliæ III. *Can.* 18. dicens: *De Scholis tàm divina, quàm humana litteratura, necnon & Ecclesiastica cantilena juxta exemplum Prædecessorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, & si potest fieri statuatur atque ordinetur; quia ex hujus studij longa intermissione pleraque Ecclesiarum Dei loca, & ignorantia fidei, & totius sapientiæ inopia invasit. Placet formatum.* &c. Et D. Hieronymus loquens de sacra doctrina *in epist. ad Titum cap.* 3. ait; *Inter frugiferas arbores æstimo tenere primatum lignum vitæ, quod est sapientia, nisi enim in medio illa plantetur, ligna cætera siccabuntur.* Quantum autem ad defendendam fidem, & evertendas hæreses conferat, nullus non videt, & nos art. 8. ostendemus.

23. Secunda conclusio: sacra Theologiæ doctrina est simpliciter necessaria ad eas veritates de Deo cognoscendas, quæ naturalem rationem excedunt. Ad eas verò quæ naturali rationis lumine assequi possunt, est utilis. Ita com-
Opusc.2. cap.36. muniter Theologi. Et patet: quia plurimi gentilium Philosophi has veritates de Deo naturaliter demonstrabiles cognoverunt, quamvis nonnulli circa ipsas erraverint. Et qui in eis verum

verum dixerunt poſt longam & laborioſam inquiſitionem ad hujuſmodi veritatum cognitionem vix pervenire potuerunt; ergo utile fuit ad eas cognoſcendas ſacram doctrinam haberi.

CAPVT IV.

Diluuntur argumenta contraria.

ARguitur primò: ad ea, quæ rationem excedunt humanam, non debet homo eniti; ſcriptum eſt enim *Eccleſ.* 3. ***Altiora te ne quæſieris***, id eſt, *ne quæras id quod eminet ſupra vires tuas*, ut habet textus Arabicus; ſed ea quæ de Deo, rebuſque cæteris ratio cognoſcere valet, ſufficienter in philoſophicis traduntur diſciplinis; ſuperfluum igitur videtur præter phyſicas diſciplinas aliam doctrinam haberi. 24.

Reſp. S. D. quod licet ea, quæ ſunt hominis cognitione ſuperiora, non ſint ab eo per rationem inquirenda, (totam nimirum veritatis inventionem animæ rationibus committendo) ſunt tamen à Deo revelata per fidem ſuſcipienda; unde & ibidem ſubditur; ***plurima ſupra ſurſum oſtenſa ſunt tibi***; id eſt, ***plura quam pro humano captu tibi ſunt patefacta***, ut legit Tigurina; vel, ***elatus es ſupra id quod ſuperius te eſt***; ut habet Arabicus. Et circa hujuſmodi res ſacra doctrina verſatur, nimirum prout ſubſunt divinæ revelationi. Hanc ſolutionem indicat S. Epiphanius in lib. Ancorat. ***Si verò*** inquit, ***reprehendit nos divina ſcriptura dicens: Altiora te ne quæſieris; ergo dixerimus etiam de ſpiritu ſancto, quod non magis per curioſitatem, &*** 25.

non

non legitimè perscrutantur profunditates Dei? Absit. Sed quoniam digni fiunt sancti, ut spiritus sanctus in ipsis habitet; ubi in sanctis fuerit spiritus sanctus, largitur ipsis, ut perscrutentur profunditates Dei, ad hoc ut profundè glorificent. Quemamodum etiam David hoc confitetur. De profundis, inquit clamavi ad te Domine, & juxta infinitam magnitudinem, & non modicè parcéque, & imperfectè.

26. Arguitur 2. Doctrina non potest esse nisi de ente; nihil enim scitur nisi verum, quod cum ente convertitur, sed de omnibus entibus tractatur in physicis disciplinis, etiam de Deo: unde quædam pars Philosophiæ dicitur Theologia, sive scientia divina; ut patet per Philosophum *in 6. Metaph.* non fuit igitur necessarium præter Physicas disciplinas aliam doctrinam divinitùs inspiratam haberi, saltim ad ea cognoscenda quæ de Deo ratione naturali investigari, & cognosci possunt.

Resp. S. D. hic & 1. 2. *quæst. 54. art. 2. ad 2.* quod diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit, eandem enim conclusionem demonstrant Astrologus, & naturalis; nimirùm quod terra sit rotunda, sed Astrologus per medium mathematicum, id est à materia abstractum, sicut per figuras eclypsium; naturalis autem per medium naturale, aut circa materiam consideratum; sicut per motum gravium ad medium, vel aliud quidpiam hujusmodi. Vnde nihil prohibet de eisdem rebus de quibus physicæ disciplinæ agunt, prout sunt lumine naturalis rationis cognoscibiles, & aliam scientiam agere, quatenus divinæ revelationis lumine cognoscuntur.

Contra

Contra hanc solutionem Scotus *quæst. 1. prol.* 27.
dupliciter arguit;primò si de cognoscibilibus à Theologiæ doctrina, in aliis scientiis cognitio tradi valet, quantumvis sub alio & distincto lumine; ergo de eis non est necessum aliam cognitionem Theologicam haberi.Conseq. patet exemplo ab ipso D. Thoma adducto; si quis enim per medium physicum terram rotundam esse cognoscat, hoc ei sufficit, nec ulterius aliquam ejusdem veritatis cognitionem per medium mathematicum suscipi erit simpliciter necessarium.Secundò quia per hanc solutionem non Theologiæ necessitas inducitur, aut salvatur, quam argumentum labefactare intendebat, sed tantummodo ejus distinctio ab aliis scientiis propter mediorum diversitatem, quam quidem distinctionem argumentum minimè impugnabat.

Sed profecto Scotus sine fundamento solutionẽ D.Th coarguit. Patet enim,quod distinguendæ sunt scientiæ,& virtutes perficientes intellectũ,non modò propter diversa scibilia,sed etiam propter diversum modum sciendi eandem rem. 28. Opusc. 70 q 6. & 1.2.q. 57.q 20. de verit.
Quod patet primò in Christo,qui habuit scientiam acquisitam rerum naturalium, quas per scientiam beatam in verbo videbat;scientia autem beata, & acquisita distinguuntur specie.Secundò quia intellectus principiorum, sapientia, & scientia multoties sunt de eisdem rebus, & tamen sunt diversæ virtutes intellectuales propter diversum modum cognoscendi. Diversæ itaque scientiæ dupliciter dantur, & necessariæ sunt ad perficiendum intellectum, vel propter diversitatem rerum scibilium, sicut distinguuntur Metaphysica, Mathematica & Physica

propter diversitatem formalem scibilium; vel propter diversos modos cognoscendi, & perficiendi intellectum in ordine ad idem scibile materialiter; quo pacto distinguuntur, & necessariæ sunt diversæ virtutes intellectuales.

29. Vnde ad primam objectionem respondetur distinguendo conseq. non est necessum aliam cognitionem Theologicam haberi ex parte rerum seu objectorum, concedo; ex parte modi cognoscendi, & perficiendi intellectum in cognitione, & judicio de veritatibus divinis penes diversa principia formalia effectiva, nego. Ad probationem dicimus quod si quis per medium physicum terram esse cognoscat, ei in tali genere, scil. physico, hujusmodi cognitionem sufficere; sed neutiquam in omni genere, & modo quo cognoscibilis est hujusmodi conclusio. Vnde Physica, & Astrologia respectu ipsius cognitionis suscipiendæ desiderantur, non propter diversam rem cognoscibilem, sed propter diversam cognoscibilitatis rationem formalem objectivam; & Theologia naturalis, & divina etiam propter diversam rationem formalem effectivam, nimirùm diversum lumen, ut supra explicatum manet.

30. Ad secundam objectionem respondetur, per solutionem à D. Thoma adductam, & sacræ doctrinæ à disciplinis diversitatem explicitè notari, & ex diversitate necessitatem illius optimè induci. Etenim semel admisso, prout manifestè admittendum est; divinorum Deique cognitionem ad salutem, & perfectionem homini esse necessariam; si aliàs constet diversimodè hanc comparari posse, nimirùm per physicas disciplinas, imperfectè quidem, & non satis

compe

competenter ad salutem, quod probatum reliquerat in corpore; & per divinam inspirationem, optimè infertur, quod necessarius sit iste cognoscendi modus, istaque divinæ veritatis competens manifestatio, cum Deus in necessariis ad salutem non deficiat.

Circa id quod S. D. in fine ait, nimirum *quod Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa Theologia, quæ pars philosophiæ ponitur*: Nota quod genus dupliciter sumitur; primò pro eo, quod de multis specie differentibus prædicatur; secundò prout significat rationem vel originem, seu generationis principium. Quo pacto dicitur genus Romanorum tota hominum multitudo à Romulo descendens, & propagata, seu originata. Et hoc pacto sumitur hîc genus cum dicitur, *quod Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus*, ideſt secundum originem, & rationem formalem scibilem; quia origo illius est divina revelatio, & ordinem dicit ad objectum per lumen divinæ revelationis dumtaxat scibile; Theologiæ verò, quæ pars Philosophiæ ponitur (ideſt Metaphysica) origo est lumen naturalis rationis, & ens, inquantum ens per abstractionem ab omni materia sub tali lumine factam respicit. Sumitur ex eodem S. D. *q.* 12. *de verit. art.* 1. *ad* 7. dicente, *Habitus infusus est perfectior quam acquisitus secundum genus suum, scilicet ratione originis, & ratione ejus ad quod datur* &c.

31. 1.2.q.18. art. 2. & in 2. d. 34. art. 2. ad 1.

CAPVT V.

De nomine, ortu, progressu, ac multiplici Theologiæ divisione.

32. Hic q. 1. art. 7. & 1. sent. q. prol. THeologiæ nomen, *sermonem*, seu *rationem de Deo significat*, non quamlibet, sed artificiosam, ut reor, *logos* enim, teste D. Basilio *in cat. græca Ioan. cap.* 1. *artificiosa est oratio.*

33. Opusc. 2. c. 2. 3. p q. 2. art 6. ad 2. Theologi, ac Theologiæ vocabula apud Græcos non ita latè patere inveniuntur, quam apud Latinos. Cum enim universa fidei, seu credendorum doctrina circa tria potissimum versetur, Trinitatis nimirùm Deitatem, Verbi Dei in carne dispensationem, & divinitatis effectus, tum naturæ, cum gratiæ, & gloriæ, Theologia ab ipsis pressiùs usurpata invenitur pro sola ea scientiæ parte, quæ de divinitate edisserit, & prout quandam, ut ita dicam, oppositionem notat ad ipsam Oeconomiæ tractationem. Quemadmodum colligere est ex D. Gregorio Nazianzeno *orat.* 20. *&* 42. Vnde Theologi nuncupari consueverunt, qui divinitatis doctrinam sermone vel scripto prosequuntur. Sic D. Ioannes Evangelista ex omnibus Evangelij scriptoribus Theologi cognomento potissimùm insignitus est, quod cæteris in expromenda æterni Verbi divinitate altiùs ipse se evexerit, ut notant D. August. *lib.* 1. *de consensu Evangel. cap.* 4. D. Thom. *in præfat. Evang. secundum Ioannem*, & alij communiter. Eodem etiam nomine postea compellatus est D. ille Gregorius Nazianzenus,

zianzenus, quod nemo ex Patribus Græcis Deitatis materiam sublimiori, ac graviori stylo pertractaverit.

Oeconomiæ autem tractatio duplex apud eos constituta est; altera Verbi divini in carne dispensationem concernit; altera in creaturarum multimoda Dei providentia versatur, præsertim hominis. Oeconomiæ vocabulum ab iis, qui apud Græcos Theologiæ laude floruerunt, frequentiùs, ac magis propriè ad Verbi Incarnationem referri consuevit. Eapropter Doctores, qui de hisce rebus disserebant, non jam in Theologia, sed in Oeconomia versari dicebantur. 34.

Apud Latinos autem *Theologiæ* vocabulum omnem eam scientiam complectitur, quæ non modò, de Deitatis Trinitate, sed & de utraque Oeconomia, immò & de morum institutione pertractat; Theologi autem nuncupantur, qui hujusmodi scientiam tenent, atque profitentur. Quæ significatio à Græca sapientia minimè abhorrere putanda est. Nam D. Dionysius Apostolos ubique Theologos vocat, & sacram scripturam, Theologiam; hæc autem quemadmodum & illi de omnibus hisce rebus doctrinam tradunt. 35.

Duplex Theologiæ modus, seu genus apud probatissimos quosque authores distingui consuevit; altera humana, seu naturalis; divina, ac supernaturalis altera. Illa de Deo rebusque divinis, prout sunt naturali intellectus lumine, & rationis investigatione cognoscibiles, edisserit. Altera, nimirùm divina ac supernaturalis, Dei divinorumque notitiam supernæ illuminationis à Deo patre luminum immediatè descendentis beneficio, & non solius naturalis 36. 1.p. q. 1. a. 1. ad 2. & 1. sent. q. prol. art. 1.

luminis operâ tradit, definitur à D. Augustino; *Scientia de rebus ad salutem animæ pertinentibus.* Quæ sunt fidei instructio, & morum informatio.

37. Antiqui Philosophi triplex humanæ, seu naturalis Theologiæ genus distinxerunt, ut Author est D. August. *lib.6. de Civit. Dei cap. 5.* Vnum Myticòn, seu fabulare, aut fabulosum ipsis Poëtis attributum; alterum naturale, seu physicum ac etiam mysticum, quod Philosophi maximè approbarunt. Tertium civile, seu politicum Sacerdotes spectans, quibus ritus sacrorum & cura divini cultus incumbebat. Hanc etiam divisionem nobis traditam reliquit Eusebius *lib. 3. de preparat. Evang. cap. 1.* Et his multò anterior Plutarchus *lib. 1. de placit. Philos. cap.6.*

38. Naturalis Theologia, Dij qui sint, ubi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an ex sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris constent, ut Pytagoras voluit, an ex athomis, ut Epicurus, an ex aqua, ut Thales, an res humanas curent, & similia pertractat, quæ Gentilium Sapientes de Deo, rebusque divinis protulerunt, ut plurimùm ita absurda, ut faciliùs intra parietes in Schola, quam extra in foro aures ferre possint. Vnde hoc genus Theologiæ à foro removit Varro, id est à populis, Scholis verò, & parietibus clausit. Ita refert D.Augustinus *loc. cit.*

39. Genus Theologiæ Mytichon sic dictum à *Mythos*, quod græcè fabula dicitur, ut Author est D. Augustinus *loc. cit.* proprium, ac familiare Poëtis fuit, ut diximus, qui Deorum genealogias texuerunt, tum eorum ordines, opera,
&

& res gestas; quibus tam indecora, & turpia attribuerunt, qualia nec in contemptissimum hominem cadere possunt. Vnde meritò hujusmodi Theologisantes Poëtas Tertullianus in *apol. c.*14. dedecoratores Deorum vocat.

Civile autem quod in urbibus Cives, maximè sacerdotes nosse, & administrare debebant, agebat, quos Deos publicè colere, quæ sacra, & sacrificia facere quemque par esset. Ad hanc etiam Deorum oracula, & responsa pertinebant. Ipsam in turpissimis erroribus, fœditatibus, & mendaciis fingendis, amplectendisque vix, aut parum à fabulosa distasse comperitur. 40.

Gentilium hujusmodi Theologiam, quemadmodum, & idololatriam apud Ægyptios initium habuisse communiter Authores ferunt. Hujus rei testis est locupletissimus Eusebius *de præparat. Evang. lib.*1. *cap.*6. *& lib.*2. *cap.*1. Ipsi enim Solem, & Lunam, errantiaque in cœlo sydera, ac demùm cœlum ipsum admirati, Deos esse putarunt, quibus sacra fecerunt, non quidem nidorem, & sanguinem offerentes, sed fruges: dein ad Phænices derivata est; & hinc ad ipsos Græcos, qui mentiendi licentiâ plurima, multumque indecora de Deorum ortu commentiti sunt, deque eorum gestis, & ordinibus. Idem præstitere è Poëtis Græcis Hesiodus in sua Theologonia, ubi Deorum ortum, calamitates, & bella, victoriasque inducit; Linus etiam, ac Musæus, & alij multi, qui ante Græciæ sapientes floruerunt, ut refert D.Thom. *lib.*1. *Metaphys. lect.*4.*&* 5. Tandem Romam à Romulo invecta est, ut ex Dionysio refert Eusebius *lib.*2. *cap.*10. Fabulas tamen, quæ de Diis traduntur, turpes, atque inutiles existimans, 41.

non solùm Diis, sed neque probis hominibus dignas, cunctas ejecit. Demùm universum orbem paulatim occupavit (si electum Dei populum dempseris) totos conatus suos ad id impendente dæmone, *cui non aliud studium est*, inquit D. Cyprianus de idol. van. *quam homines ad superstitionem sui ab intellectu veræ Religionis avertere; cum sit ipse pœnalis, quærere sibi ad pœnam socios, quos ad crimen suum fecerit errore participes.* Idcircò igitur *Philosophiam*, seu inanem illam Theologiam *finxit*, ait Chrysol. *serm.* 16. *ut faceret homines nihil scire plus quærendo, deos multos figuravit, ut Deus qui unus est, nesciretur.*

42. Theologiam divinam, immò, & naturalem, quæ per investigationem rationis vera de Deo, rebusque divinis accipitur cognitio, cum primis ortam fuisse parentibus Patres plerique omnes ostendunt, & præcipuè Theodoretus *lib.* 3. *de curat. affectionum Græcarum.* Cum enim in statu innocentiæ à Deo Adam ut totius humani generis principium constitutus sit, non solùm à quo in posteros omnes natura propagaretur humana, sed etiam quo in alios originalem justitiam transfunderet, duplicem cognitionis perfectionem sortitus est, alteram naturalem, qua ex creaturarum speculo factorem suum Deum agnoscere posset; alteram gratiæ, atque supernaturalem, qua videlicet Deum divinaque per inspirationem internam cognosceret, ex divina irradiatione sapientiæ, cuius quædam menti ipsius similitudo impressa erat. Ejusmodi autem cognitio ex sensibilibus orta ad Deum agnoscendum, Theologia naturalis est. Quæ verò supernæ illustrationis beneficio ipsi concede

1 p.q.94. art 3.c.2. dist.23. quæst. 2. De verit. q 18.art. 2.& 4.

concedebatur cognitio, Theologiam supernaturalem fuisse nemo ambiget.

Ab Adam ad posteros deducta est, & usque ad 43.
confusionem linguarum, licet ob ignorantiam hominum, peccata, atque rerum cœlestium contemptum valde obscuraretur, falsis tamen de Deo opinionibus depravata non est. Dum enim una fuit omnium hominum lingua, nulla idololatria irrepsit. At deinceps idololatria parvo etiam tempore multùm ubique excrescente, magnam cognitio Dei, & vera Theologia cladem, & decrementum, ac fermè excidium perpessa est, atque inter Hebræos dumtaxat cum aliquanto lumine naturali remansit. Sed & inter hos quoque variis rerum casibus, & conversatione cum gentibus, idolatrisque habita, præsertim in Ægypto, non parum depravata est, ac fermè obscurata, ut refert Eusebius *lib. 7. cap. 3.* dicens. *In multitudinem deinde magnam genus* (scilicet Hebræorum) *crevit, paulatimque diligentissima norma vivendi labebatur, & parentum pietas obtundebatur. Ita post aliqua sæcula Ægyptiorum conversatione depravati adeò fuerunt, ut nihil ab Ægyptiis differre viderentur. Tunc Deus Patrum suorum Moysem ad eos mittit, ac per eum inauditis factis miraculis convenientem Iudæorum moribus legem imposuit. Nam cum jam corrupti vitam mutare non possent, alia manifestè mandavit, alia occultius suggessit, symbola, umbramque, non nudam veritatem conservare ipsis præcipiens. Hoc pacto Iudæorum disciplina,* seu Theologia *à Moysi temporibus capta, & primò litteris consignata usque ad Salvatoris nostri adventum per voces Prophetarum duravit, tumque constituti sunt sacerdotes, scribæ,*

&

& legisperiti, qui Theologiam omnes profitentur.

44. Iudæis tamen toto illo tempore Theologiæ doctrina ceu lac pueris, tradita est, & modicam ipsi, comparatione ad Christi tempora habita, lucem atque illuminationem, ut plurimum susceperunt; quod notavit D. Thomas *in cat. ad cap. 2. Luca.* Itaque ubi venit plenitudo temporis, plenitudo etiam Theologiæ advenit, quæ non tam aucta, quam facta est. Cum enim Christus Dominus, quæ obscurè fuerant Iudæis tradita, explicuisset, neque ita exhibita, interpretatus Prophetas, nova priscis abolitis instituisset Sacramenta, ac sacrificia, mandataque renovasset, quibus & consilia adiecit; plenissimam sanè lucem attulit, quæ non solùm à Iudæa, verùm etiam à Gentibus errorum tenebras dispelleret. Et exindè in Ecclesia Catholica plurima semper fuit sacræ doctrinæ seges, & operarij non pauci eruditissimi Theologiæ magistri, qui & res divinas eminenter, ac subtiliter exposuerunt, & eam in aciem deducentes, contra veritatis hostes omni tempore validè ac nervosè propugnarunt.

45. Huiusmodi supernaturalis, ac divina Theologia ex diverso, quo utitur modo in explicandis fidei rebus, dividi consuevit in symbolicam, mysticam, & demonstrantem. De qua D. Thomas *super Dionys. lec.* 1. Symbolica dicitur, quatenùs figuratis vocabulis res sensibiles designantibus, & secundùm primarium eorum significatum incongruentibus Deo, rebusque divinis, adaptata quadam similitudine ad Dei, divinorumque notitiam intellectum nostrum deducit, atque invehit, v. g. cum Deum nominat

minat ignem *Deuteronom.cap.4.Deus noster ignis consumens est.* Non quod ignis natura, & species propriè Deo competat, sed quædam ignis similitudo ex illius proprietatibus orta. Etenim ipse ignis innatæ subtilitatis specimine summam Dei simplicitatem exhibet, lumine suo immaterialitatem, perfectissimam calore demonstrat charitatem, ac demum altitudine supervenientem Dei altitudinem enunciat. D. Thomas *opusc.70.*

Mystica Theologia Deum, resque divinas 46.
negationibus manifestat, omne id ab ipso removens quod creaturis proprium inesse perspexerit, prout earum caligine involutum, & obumbratum est, ipsum intellectum humanum in divinitatis arcano defigens, & relinquens, itaut jam assequi valeat, non equidem quid sit Deus, sed quid non sit, cognoscendo videlicet, & contuendo Deum nihil esse existentium, sed super omnia existentem, omnibusque effectis, & entium gradibus supereminentem causam; ut videre est apud D. Dionysium *lib.de mystica Theologia c.4.& 5.*

Demùm Theologia demonstrans illa pertra- 47.
ctat, quæ ad Deum spectant proprietate quadam singulari, & ratione præcipua ipsi congruunt, ab eoque in creaturas effluente ipsius bonitate derivantur, v. g. cum Deum nominat Patrem; etenim ab ipso omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, ut dicitur *Ephes.3.* Esto namque, ut docet D. Thomas *ibidem lect. 3.* hoc vocabulum à creatura nominationis suæ exordium significandi originem desumat, tamen quoad rem significatam à Deo ceu primævo paternitatis fonte dimanat. Verumenimverò

quia eorum vocabulorum quibus divinæ perfectiones propriè explicantur, quædam ipsi Deo affirmanter tribuuntur, ut esse bonum, sapientem, intelligentem &c. quædam autem neganter, ut cum dicimus Deum esse incorporeum, & infinitum; Theologia demonstrans à quibusdam dividitur.in affirmantem, & negantem. Hanc divisionem tradit Cyparissiotus *dec.* 2. *cap.* 1. ex sententia D. Dionysij *cap.*2.*de cœlesti Hyerarchia.*

48. Insuper Theologia in scholasticam, & positivam dividi consuevit, quam divisionem confusè satis, nec minùs ineptè moderni quidam Theologi explicant. Notandum velim ex D. Thoma in *psal.* 48. doctrinam sacram duplicem esse, rerum videlicet, ut de Deo, creatione mundi, Incarnationis Mysterio, ac demùm de fide, & moribus; & verborum, quæ nimirum scripturam, & verba interpretatur. Vtramque innuisse videtur Propheta Regius dict.psal.doctrinam quidem rerum dum ait; *Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.*Hanc propter certissimam, altissimamque veritatis cognitionem sapientiam nuncupat; prudentiam autem propter operandorum peritiam. Verborum autem disciplinam insinuat subjungens; *Inclinabo in parabolam aurem meam.* Ad hujusmodi enim disciplinam parabolicas sacræ scripturæ locutiones, & sensus sermonum profunditate occultos patefacere,atque in lucem ejicere spectat.

49. Theologia itaque positiva, seù potiùs expositiva est, quæ sacræ scripturæ sermones, vel res ipsas ad usum significandi adaptatas exponit, & enucleat, sive ad literam, seu literalem,

lem, & hiſtoricum, ſive ad ſpiritum, ſeu myſticum ſenſum. Hinc ſacræ ſcripturæ interpretes, ſeu expoſitores vocari conſuetum eſt Theologos poſitivos, ſeu Doctores verba legis divinæ ponderantes, quod in lege veteri Scribarum, & Phariſæorum munus fuit, ut ſumitur ex D. Hieronymo *in cap.* 33. *Eſaiæ*; cum hoc tamen diſcrimine, quod Scribæ ſacrorum librorum literam duntaxat edocebant, nec ab ea vel latum unguem recedentes; Phariſæi autem rerum aliarum, ac ſecretorum expoſitionem, etiam ſecundùm myſticos ſenſus tradebant. Theologiam hujuſmodi antiquitùs apud Eſſeros Philoſophos multùm floruiſſe conſtat ex Euſebio *lib.* 8. *de præparat. Evang.* Quinimmò Apoſtolus hujuſmodi Theologos vocat Prophetas, quippe qui ad explanandum, ſeu exponendum dicta Prophetarum, vel ſcripturas alias lumen intellectuale ſuſceperint: ex D. Thoma 1.*p.q.*1.*art.*10.& *epiſt.*1.*ad Corinth.c.*4.& *Epheſ. cap.*4.

Theologia verò ſcholaſtica eſt, quæ de re- 50.
bus, fide, & moribus inſtruit, ſeu rerum doctrinam tradit, præſertim diſciplinæ methodo, nimirùm ratiocinando, atque demonſtrando; qualem nobis poſt tot Sanctos Doctores, & Theologiæ Magiſtros ſcriptam in hac Theologiæ Summa reliquit D. Thomas, qui jure merito ob id Theologorum Principis nomen, & gloriam ſibi comparavit. Nam in hoc opere, ut notat Sixtus Senenſis, quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubilis pacis fœdere conjunxit, videlicet copiam, brevitatem, facultatem, ſecuritatem, quemadmodum in ejus officio canit Eccleſia. *Stylus brevis, grata*

facundia,

facundia, celsa, clara, firma sententia; quas nulli unquam literarum professori, vel ante, vel post eum contigit semel potuisse connectere, Theatrum vitæ humanæ verb. *Theologia.*

51. Theologiam Scholasticam à Schola dici notum est, non qualibet, sed Ecclesiastica, in qua fideles de quinque potissimùm erudiri consueverunt, nimirùm de credendis fidei mysteriis, de virtutum agendis operibus, de vitandis peccatis, de vita æterna speranda, ac demùm de inferni timore. Vnde Apostolus 1. *ad Corinth. c.*4. *in Ecclesia*, inquit, *volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam*, D. Thomas *ibidem.*

52. Hujusmodi Scholas in primitiva Ecclesia institutas fuisse ad eos formandos, & erudiendos in fide ac moribus, qui ex Iudæis, vel Gentilibus ad Ecclesiam veniebant, nemo dubitabit, qui legerit D. Hieronymum *in epist. ad Pammachium*, ubi de Origene verba faciens ait; *Alexandriæ Scholam Ecclesiasticam tenuit succedens eruditissimo viro Clementi Presbytero.* In his fidei dogmata primùm brevi, ac dilucida institutione tradita sunt. Eapropter Marianus Victorinus in eum locum; *Cathechismi*, inquit, *Doctrinam Ecclesiasticam Scholam vocat.* Non dubium tamen quin & perfectioribus solidiora, ac perfectiora sapientiæ dogmata traderentur jam à temporibus Apostolorum, cum dicat Apostolus se loqui sapientiam inter perfectos, & Sapientibus se debitorem constitutum esse; *Sapientibus quidem* (ait Anselmus, *in epist. ad Rom.* 1.) *ut eos ad majora sapientiæ arcana promoveret, & insipientibus, ut illos erudiat.*

53. Hujus rei validissimum nobis testimonium

præbet

præbet Eusebius *lib.6.Historiæ Ecclesiasticæ c.3.* ubi ait; *Demetrius Origeni cathechisandi, id-est, docendi Magisterium in Ecclesia tribuit. Quod primus post Apostolos apud Alexandriam Panthenus; secundus s. per ordinem Clemens; tertius administravit Origenes ipsius discipulus Clementis.* Et statim *cap.12. Interea*, inquit, *cum videret Origenes se non sufficere ad omnia, id est, vel in divinioribus, & profundioribus pertractandis, vel in sacræ scripturæ explanationibus disserendis; vel etiam in eorum qui quotidie fidei addebantur, instructionibus, vel institutionibus adimplendis, utiliùs esse ratus est segregare incipientium turbas, & uni ex discipulis suis plenè jam, & optimè instructo viro Heracle tradere, participemque eum officij, ac laboris adsumere. Huic ergo tradendi prima elementa incipientibus delegat officium; sibi verò perfectorum instructiones reservat.*

Hæc doctrina, ut plurimùm voce in prin- 54.
cipio peracta est; præsertim quoad quædam Religionis Christianæ Mysteria, ceremonias, aut cultus, ne, si scripto mandata, ad Infidelium manus devenirent, ab eis ceu aniles fabulæ riderentur. Vnde S.Doctor *3.p.q.25.art.3. ad 4.* loquens de cultu latriæ Cruci Christi exhibendo, cum sibi objecisset quod de eo in Scriptura non constaret; *Ad quartum dicendum*, inquit, *quod Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti quædam Ecclesiis tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ per successionem fidelium. Vnde Apostolus 2. ad Thessal. 2. State, & tenete traditiones, sive per sermonem, scilicet ore prolatum; sive per epistolam, scilicet scripto transmissam. Et inter*

hujusmodi

hujusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio.

55 Crescente jam Ecclesia, hæresibus hinc, & inde exortis, frequentior Scholarum usus in Ecclesia fuit, & ibi subtiliores dispositiones communiùs peractæ. Nam ut ingenuè observavit D. Augustinus *lib.* 16. *de Civit Dei cap.* 2. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur intelligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur; & ab adversario mota quæstio dicendi existit occasio. Vnde Apostolus; Oportet, inquit, hæreses esse.*

56. Idcircò hi qui erant ingenio præstanti, atque in docendo, ac disputando ingeniosi, ac periti, Scholastici jam tunc nuncupati sunt. Sic Hyeronimus *lib. de script. Eccles.* scribit Serapionem virum doctissimum ob ingenij elegantiam Scholastici cognomen adeptum fuisse. Et Gennadius in Cathalogo Scriptorum vocat D. Prosperum sermone Scholasticum; quemadmodum & Honorius Alcuinum officio Scholasticum nuncupat. Quod inde derivatum putem, quod hujusmodi Scholis nonnisi viri doctissimi præficerentur, ut colligitur *ex lib.* 5. *Eccles. hist. Euseb. cap.* 10. ubi hæc habetur; *Cum per idem tempus Scholæ Ecclesiasticæ, & Doctoris officio praeesset vir in omni eruditione nobilissimus Panthenus. Ex quo apud eos consuetudo antiquitus tradita in hodiernum diem permanet, divinarum scripturarum Doctores inibi Scholæ Ecclesiasticæ haberi viros duntaxat in scientia, & eruditione probatissimos.* Ex quibus conjicere licet Scholasticam eruditionem præstantissimam quandam

quandam sonare doctrinam, & Scholasticum virum eximiè literatum & eruditione excultum. Id indicare voluisse videtur S. Concilium Tridentinum *sess.* 23. ubi decernit. *De cætero officia, vel dignitates istæ quæ Scholastria dicuntur, nonnisi Doctoribus &c. conferantur.*

A Patribus, & antiquis Scholasticis in florentissimas quasque Orbis Vniversitates Scholastica Theologia derivata est, & per universam Ecclesiam profectu plurimo diffusa, præsertim ab eo tempore quo in methodicam formam redacta est. Qua parte de fide disputat, vel etiam de moribus secundum communia doctrinæ principia edisserit, Scholasticæ Theologiæ nomen etiamnum retinet; ubi verò de operibus moralibus, eorumque particularibus circunstantiis quasi ad speciales casus, & individuas personas se submittens agit, Moralis Theologia vocari consuevit. Quatenus denique contra hæreses, hæreticosve pugnas instruit, Polemica nuncupatur. 57.

CAPVT VI.

Quænam sint sacræ doctrinæ principia.

DE principiis theologici discursus posterioristicè, & secundum materiam enunciationum acceptis impræsentiarum est sermo. Principium ab Aristotele dicitur; *propositio immediata, quæ non est alterâ prior:* caret namque medio, per quod prædicatum subjecto inesse demonstretur. Duplex est, unum quod nuncupatur, *dignitas*, alterum quod *positio* 58.

lib. 1. post cap. 2. D. Th. ibid. lec. 5. & opusc. 69. §. 2.

dicitur. Dignitas est quædam communis animi conceptio ex propriis terminis adeo per se nota, ut ei necesse sit, omnem qui docetur, assentiri; itaut contrarium mente credere nequeat, etsi ore proferat, cujusmodi sunt; *Quodlibet est, vel non est. De eodem secundum idem affirmatio, & negatio non sunt simul vera. Omne totum est majus sua parte.* Positio verò est quædam indemonstrabilis propositio secundùm se, sed ei qui docetur, non est ita necesse assentiri, ut oppositum ejus mente concipere non possit, v.g. *incorporalia non sunt in loco.* Est & alius modus quo nonnullæ propositiones dici consueverunt *suppositiones*; illæ videlicet, quæ nonnisi per principia alterius scientiæ probari possunt. Et ideò illas in hujusmodi scientia tanquam principia veritatem habentia supponi necessum est; licet in aliqua alia scientia demonstrentur v. g. hæc propositio. *A puncto ad punctum est lineam rectam ducere*, à Geometra tanquam doctrinæ principium supponitur; ipsum autem philosophus naturalis probat ostendens, inter quælibet duo puncta rectam lineam mediare.

59. Opusc. 69. Principiorum non est eadem manifestandi universalitas Quædam enim sunt universalissima seu communissima quæ à Metaphysico considerantur, quippequi de ente inquantum ens agit. Alia sunt universalia, Alia denique particularia. Vniversalissima sunt dignitates, in quas omnium scientiarum conclusiones denique tandem reducuntur, quæ etiam maximæ dicuntur propter maximam, quam in se complectuntur, certitudinem ad alia demonstranda. Nuncupantur & *termini*, quia omnis

cognitio Scientifica ad ea terminatur: vocantur & *regulæ*, quoniam universaliter per ea dirigitur intellectus in scientiis ad certam conclusionum habendam notitiam. Dicuntur tandem *communes animi conceptiones*, quia natura ad id adigente, communiter ab omnibus præbetur ei fides, & assensus.

Hujusmodi principiorum tres conditiones Philosophus assignat; Prima est, quod circa hæc non possit aliquis mentiri, vel errare; quia ad hæc potentia intellectiva ordinatur secundum quod ipsa, & ei notissima sunt, ex ipsisque infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiæ oritur. Secunda est, ut non sint quid conditionale, id est, non suppositum, sive ex quodam disputantium condicto acceptatum; sed ipsa oportet esse per se nota. Tertia est, ut per demonstrationem eorum notitia non comparetur, vel alio simili modo, sed adveniat quasi per naturam habenti ipsa, quasi naturaliter cognoscantur, & non per acquisitionem. 60. 4 Metaphys. lect.6.1. p q 85. à 6.c.

Alia sunt universalia principia, per quæ in scientiis multæ conclusiones demonstrantur, & per resolutionem ad ea de illis certò, & infallibiliter judicatur, v. g. in Physica, *Natura est principium, & causa motus, & quietis ejus in quo est*, universale principium est, & multarum illius scientiæ conclusionum Seminarium. Alia verò sunt particularia, & magis propria principia proxima, quæ ad particularem conclusionem demonstrandam, speciale continent medium, quale est subjecti, vel passionis definitio. 61.

In sacra doctrina ut universalissima haben- 62.

tur principia, *Deum esse*, &, *de rebus humanis providentiam habere*, de quibus D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 7. ita scribit; *Ita se habent in doctrina fidei articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrina, quæ per rationem naturalem habetur. In quibus principiis ordo quidam invenitur, ut quædam in aliis implicitè contineantur, sicut omnia principia reducuntur ad hoc, sicut ad primum; impossibile est simul affirmare, & negare, ut patet per Philosophum in* 4. *Metaphys.* (*textu* 9.) *Et similiter omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, scil. ut credatur Deus esse, & providentiam de rebus habere circa hominum salutem, secundùm illud ad Hebræos* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. In esse enim divino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via ad beatitudinem.*

63. Sunt etiam ipsius sacræ doctrinæ quædam universalia principia, quæ sunt plurium conclusionum theologicarum fons, & seminarium, sicut omnes articuli fidei in Symbolo contenti, & id generis multa, quæ in Sacra Scriptura habentur; Quemadmodum illud, *Naturâ nascimur filij iræ*; Hoc enim est universale principium omnium ferè conclusionum, quæ in materia de justificatione, & peccato originali tractantur. Ex illo namque sequitur, quod liberum arbitrium sit vulneratum in naturalibus, spoliatum verò in gratuitis; quod non possit omne opus bonum virtutis, etiam moralis,

moralis, suis viribus operari. Quod ex se non possit se ad gratiam secluso auxilio divino præparare; Quod natura humana propterea damnationi, morti, & aliis pœnis obnoxia facta fuerit &c.

Particularia principia sunt, in quibus formale medium particularis conclusionis theologicæ probandæ assumitur; v. g. ad probandum in Patre, & filio esse unicam virtutem spirativam, meritò illud formale principium assumitur, *Omnia sunt unum in divinis, ubi non obviat relationis oppositio.* 64.

Differunt hujusmodi sacræ doctrinæ principia à physicarum disciplinarum principiis, quantùm ad modum suscipiendi cognitionem de illis. Habitus enim primorum principiorum naturalium est quoad inchoationem naturalis secundum naturam speciei, & ex parte ipsius animæ, inquantum ipsi indidit Deus primæ veritatis quamdam refulgentiam, quam naturale rationis lumen dicimus, habens vim innatam ad judicandum de quibusdam primis cognoscibilibus, qualia sunt principia illa prima. Terminorum autem, ex quibus hujusmodo principia coalescunt, definitionem seu notitiam quidditativam suscipit per species intelligibiles à sensibus acceptas, qui de re habent judicare secundùm communia quædam principia, & proprietates naturaliter notas, quas in memoria colligit: ex memoria sumit experimentum; & ex isto devenit ad cognoscendum quid sint; v. g. ex ipsa intellectualis animæ natura homini competit, ut statim cognito quid sit totum, & quid sit pars cognoscat omne totum esse sua parte majus; tamen 65.

1 1.q.51. art.1.c. psal. 4.

quid sit totum, & quid sit pars cognoscere nequit, nisi per species intelligibiles à phantasmatibus acceptas. Et secundùm hoc principiorum habitus acquiri dicitur, esto naturalis sit quoad inchoationem.

66. Hic q. 1. art. 2. 3 4. 5. & 6. q. 12. art. 13. c. 2. 2. q. 173. o.

Sed in principiis sacræ doctrinæ res aliter se habet, cum enim eorum cognitio totius naturæ vim excedat, desiderant quoddam supernaturale lumen elevans, perficiens, & corroborans ipsum lumen naturale; quod quidem divinum lumen est quædam immediata participatio divini luminis, seu divinæ veritatis in se, per quod intellectus humanus de veritatibus divinis ferre judicium valet, non ex effectibus sensibilibus progrediendo, ceu notioribus nobis instrumentalibus principiis, sed per species immediatè inspiratas à Deo, & non à sensibilibus acceptus; nihil enim simile in rebus creatis inveniri potest. Lumen illud est fidei habitus, qui est sicut habitus primorum principiorum inchoans in nobis Dei, divinorumque supernaturalem cognitionem; unde vocatur à D. Dyonisio *Credentium firmamentum collocans eos in veritate, & veritatem in eis*; Quia tamen lumen illud quidpiam incircunscriptum est; ac subinde nullius rei determinatam cognitionem efficere potens, species intelligibiles rerum credibilium à Deo menti Prophetarum, vel Apostolorum fuerunt divinitus impressæ. Hujusmodi lumen vocat Apostolus Spiritum Dei, quia est agens in nobis divinorum cognitionem, sicut mens imprimit vitam, & notitiam; *Spiritum Dei accepimus* 1. *Corinth. cap.* 2. videlicet, *quo doceremur*, inquit Anselmus, *non quæ mundi, sed quæ Dei sunt; id est, divinum quemdam radium*

dium illuminantem nos, ut per eum sciamus beneficia, quæ sunt à Deo nobis donata, Spiritus enim Dei, mentem quam replet, illuminat.

67.

Hinc est quod principia Sacræ doctrinæ dicuntur divina revelatione, seu inspiratione suscipi; inspiratione quidem, quia cum supra hominis captum sint, debet homo Spiritu Sancto movente ad ea videnda elevari; sed quia non satis est ea videre, nisi & quodammodo intelligat (unde habitus principiorum intellectus quidam vocatur) quantum ad mentis elevationem dicuntur inspiratione suscipi; secundum illud *Iob.* 32. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*, scil. veritatis quæ est sapientiæ principium iis, quibus inspirat. Quantum autem ad ipsam divinorum perceptionem, per quam removetur obscuritatis, & ignorantiæ velamen, dicuntur revelatione haberi; revelatio enim supra inspirationem, visionem addit eorum quæ videntur & intelligentiam. Differunt ergo in utroque principia sacræ doctrinæ ab aliis aliarum scientiarum principiis; & quoad principalem causam activam, quæ est intellectuale lumen; Lumen enim principiorum sacræ doctrinæ est supernaturale, & divinitùs susceptum; lumen verò principiorum naturalium est naturale; & etiam quoad causam cognitionis instrumentalem quæ sunt species intelligibiles, quia terminorum, ex quibus coalescunt naturalia scientiarum principia, species intelligibiles, & definitiones à sensibilibus accipiuntur: sed species intelligibiles terminorum ex quibus componuntur sacræ principia doctrinæ divinitùs suscipiuntur, & non cognoscitur de eis quid sint per species intelligibiles à

[Margin: 2.2.q.171. art.1. ad 4 Iob. 32 lect.1. — Loc. sup. cit.]

ſenſibus acceptas. Ex quo provenit quod Theologia ſacra, & naturalis, ſeu Metaphyſica genere differant, quia eorum principia ſcibilia in eſſe ſcibili genere differunt, ſcil. ſupernaturaliter cognoſcibile, & naturaliter cognoſcibile; ſeu cognoſcibile per lumen divinum, ac ſupernaturale; & cognoſcibile per lumen rationis naturalis, quæ lumina unius generis, vel rationis planè eſſe nequeunt, ut diximus ſupra. Ex quo colligere licet, quod licet principia Opuſc. 70. q. 2. art 3. ad 7. Theologiæ ſecundùm ſe notiſſima ſint, & dignitates quædam, tamen pro hoc ſtatu *ſuppoſitiones* dicendæ ſunt, quia per fidem ſuſcipiuntur, poſtea in ſcientia Dei videnda.

68. Convenit autem Theologiæ doctrina cum phyſicis diſciplinis quodammodo, tum quia ſicut multæ ipſarum ſupponunt ſua principia, & non probant, ita & ſacra doctrina ſua ſupponit & fide ſuſcipit. *Credendus eſt*, inquit Hilarius, *intelligendus eſt, & his officiis eloquendus eſt Deus*, ut dicetur art. 8. Tum etiam quia ſicut in principiis naturalibus reperiuntur principia prima, intermedia, proximaque eo ordine diſpoſita, ut concluſiones immediatè à proximis dependeant, proxima à mediis, & media à primis, & proxima in media, & media in prima reſolvantur; ita in ſacra doctrina accidit. Vnde hæc concluſio; *Chriſtus Dominus habet humanam voluntatem*, in hoc principium reſolvitur, *Chriſtus eſt homo*, hoc autem *Chriſtus eſt homo*, reſolvitur in illud Opuſc. 70. q. 2. a. 3. *quia ſcriptura, quæ mentiri non poteſt, id tradit.* Scripturæ authoritas in Eccleſiæ authoritatem: Eccleſiæ authoritas infallibiliter docentis in primam veritatem reſolvitur, & divinum intellectum,

tellectum, qui hæc omnia noscit, cui nos credimus, & credere oportet id indicanti per suos nuncios, sicut discipulum inferioris scientiæ oportet credere superiori. Ad divinam pariter confugimus providentiam, quæ de infallibili credendorum regula providere debuit; quæ non deest timentibus Deum.

Convenit præterea, quia in physicis disciplinis ex per se notis, & concessis, ad alia etiam per se nota, & inconcessa probanda procedimus; sic & in sacra doctrina ex per se creditis, Deo tamen notis, & concessis ab Adversariis, ad per se credita, & inconcessa proceditur, v. g. si Hæreticus Sacræ Scripturæ credat; neget tamen Christum Dominum esse hominem, vel habere humanam voluntatem, ex scriptura, quam admittit, ad hanc veritatem demonstrandam procedimus; ut infra dicemus. 69.

CAPUT VII.

Utrum Theologiæ principia exigant fide divina, ac supernaturali suscipi?

Diximus Theologiam articulos fidei, ceu prima doctrinæ principia respicere, quorum cognitionem fide suscipere debet. De ratione autem fidei est, ut credens assensum aliquibus præbeat, quæ ei per se nota haud sunt, aut in per se nota resolubilia; sed ad habendam his fidem ex aliquo motivo, & ratione inclinatur sufficiente ad eliciendum hujusmodi assensum, esto ad visionem rei creditæ intellectum deducere minimè valeat. Quod quidem motivum duplex 70.

1. sent. prol. q. unica, art. 3. & 1. p q. 1. a. 7. & 8. 1. sent. dist. 23. q. 3. a. 3. 2. 2. q. 5. a. 1.

duplex esse potest; alterum creatum, quemadmodum aliquod signum ostensum, parentum traditio, sapientum authoritas, & humana ratio, quâ apparet hujusmodi credenda repugnantiam non involvere, immò rationi consentaneum esse fidem ipsis habere; & hæc est fides humana, quæ & qualis in dæmonibus, etiam de quibusdam supernaturalibus mysteriis, esse dicitur secundùm illud Iacobi 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Alterum est motivum divinum, & supernaturale, nimirùm ipsamet veritas increata per scripturas sacras, vel inspirationem supernaturalem revelata, atque per Ecclesiam promulgata; & hæc est fides infusa.

71. Loc. cit. ex 3. sent. Hujusmodi fidei infusæ habitus in duobus nos adjuvat; videlicet ut credamus quæ credenda sunt, & ut his, quæ credenda non sunt, fidem minimè adhibeamus. Primum homo potest ex ipsa æstimatione, etiam absque habitu infuso: sed secundum, nimirum ut discretè in hæc, & non illa inclinetur ex habitu infuso duntaxat provenit; quæ quidem discretio in nobis efficit, ut non circunferamur omni vento doctrinæ, nec omni spiritui credamus, sed divino, & sancto veritatem revelanti, & eam per ministros suos, quos idoneos effecit annuncianti.

72. Dicendum est, igitur fidem acquisitam principiorum non sufficere omninò ad causandum, & præstandum verum assensum conclusionis Theologicæ, ceu rationem formalem assentiendi, & teminum collationis discursivæ, sed requiri fidem infusam hujusmodi principiorum, seu articulorum fidei ad causandum hujusmodi assensum,

assensum, seu Theologiæ habitum; prout fides certam, & infallibilem cognitionem dicit primæ veritati, ceu rationi formali sub qua immediatè innoxam, & ab ea regulatam; non verò prout obscuritatem intrinsecè involvit. Hanc conclusionem docent imprimis D. Basilius *in psal.* 115. ubi ait. *Necesse est cum admiseris earum artium, quæ certa ratione nituntur, principia, ut confessa, nec proinde ullam requirentia probationem demonstrativam, id demùm inspicias quidquid ex præsuppositis ordine consequitur. Nihilo secius, & Theologia mysterium requirit assensum nulla prævia inquisitione nitentem: sanè ait Apostolus; credere enim oportet, quia Deus est.* Non dubium quin de fide infusa loquatur. D. Hilarius *lib.* 2. *de Trinit.* explicans illa Apostoli verba 1. Corinth. 2. *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*; in hæc verba prorumpit; *Accipitur ergo ob scientiam. Vt enim natura humani corporis cessantibus officiis sui causis erit otiosa; nam & oculis nisi lumen accedat, nullus ministerij usus erit; ita & animus humanus nisi per fidem donum spiritus hauserit, habebit quidem naturam intelligendi Deum, sed lumen scientiæ non habebit.* Insuper D. Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Theologia in fine; *Fides* inquit, *doctrinæ nostræ complementum est.* D. August. *lib.* 4. & 14. *de Trinit.* D. Chrysost. *orat.* 7. *in* 1. *ad Corinth. c.* 2. D. Anselmus in eum locum. Cyparisiotus *in prologo decadum.* D. Thomas *opusc.* 70. *quæst.* 8. & 1. *sent. prol. art.* 3. & 2. 2. *quæst.* 4. ubi ait: *scientia & sapientia cooperantur ad fidem sicut ad principium quod præsupponunt.* B. Alb. Mag.

in

in summ. tract. 1. *quæst.* 4. & 5. *m.* 2. Et communiter Theologi, tùm antiqui, quàm moderni paucis demptis.

73. 2.2. q.q. 1.2 q. 112. art. 5.c. Probatur; ut intellectus perfectè veritati per rationem assentiat, duo requiruntur, nimirùm quod rem prout in se est, percipiat; dein ut certum de ea judicium habeat per resolutionem in causas veritatis, & principia certissima cognitionis ipsius cum discretione veri à falso; sed ille assensus Theologicus per rationem & discursum ex principiis Theologiæ, nimirùm fidei articulis, deductus, est perfectus, cum sit certissimus: ergo ad hujusmodi assensum Theologicum omninò requiritur, ut Theologus sanè capiat veritatem quæ proponitur, & perfectum de ipsa judicium per resolutionem ad hujusmodi principia sibi comparet, discernendo verum à falso, seu non credendum à credendo; sed hujusmodi judicium præstare, vel causare nequeunt hujusmodi articuli humana duntaxat, & acquisita fide crediti; ergo omninò requiritur fidei habitus infusus, quo eis certò assentiatur, & propter ea conclusionibus theologicè deductis Major est certa; omninò enim necessum est, ut certò cognoscat oppositum ejus verum esse non posse, ac subinde ad ipsum nullatenùs inclinetur, sed conclusioni deductæ firmiter, ac determinato assensu adhæreat.

74. Minor verò probatur ex Apostolo 1. *ad Corinth.*2. ubi postquam dixit spiritualibus spiritualia comparanda, rationem assignans subdit; *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; *stultitia enim est illi*, *& non potest intelligere*, *quia spiritualiter examinatur*; *spiritualis*

ritualis autem judicat omnia; sed si articuli humana fide crediti, seu ad causandum de rebus divinis assensum sufficerent, tunc animalis homo posset ea percipere quæ sunt spiritus Dei, nec spiritualem esse oporteret, ut spiritualia dijudicaret: ergo ad causandum hujusmodi judicium, fidei lumen infusum, & Spiritus Sancti illustratio superna omninò desideratur. Minor probatur, quia animalis homo ex SS. PP. dicitur, qui ratione, vel æstimatione humana, & authoritate ducitur, quæ fidem acquisitam, & humanam facere possunt, ut supponitur; ergo si hæc ad principia Theologiæ stabilienda sufficiant, & ad theologicæ conclusionis præstandum assensum, nihil prorsus obstabit, quin animalis homo percipiat quæ sunt spiritus Dei, & spiritualia dijudicet, ac discernat, quod negat Apostolus.

Confirmatur primò; principia Theologiæ, nimirum articuli fidei, intrinsecè æqualis certitudinis esse debent; sed si humana duntaxat fide crediti sint, intrinsecè æqualis certitudinis esse non poterunt, cum motiva humana ad fidem humanam inducentia non sint aqualia; benè verò in fide infusa; quia sunt eo modo annunciata, scilicet per primam veritatem revelantem: ergo omninò requiritur fides infusa. Probatur major; quia in omnibus principiis certitudo est immediata, ac subindè æqualis intrinsecè. 75. 3. dist. 29. art. 2. ad 1.

Confirmatur secundò, necessum est ut veritatis manifestatio, seu judicium lumini quo fit proportionetur, ceu effectus suo principio activo: ergo in omni cognitione, quæ supra naturalem rationem existit, lumen aliquod intellectuale 76. 2. 2. q. 171. art. 2.

tellectuale exigitur, quod pariter naturale rationis lumen excedat; sed cognitio principiorum Theologiæ est veritas supra naturalem rationem existens, ut probatum est *quæst. præced.* ergo omninò lumen ad sui manifestationem requirit, quod naturale rationis lumen exuperet; sed hoc est lumen fidei infusæ per modum naturæ inclinans ad assensum principiorum immediatè; & mediatè, seu per rationem ad assensum conclusionum theologicarum, quæ per discursum ex eis deducuntur, & per resolutionem ad ipsa innotescunt: ergo necessarium est fidei lumen infusum ad Theologiæ principia stabilienda.

77. Dices ex P. Vasquez cognitionem principiorum Theologiæ supernaturalem esse ex parte Dei revelantis; quia videlicet nemo illam investigatione rationis naturalis sibi posset comparare. *Contra*, revelatio illa seu revelans se habet in ratione causæ exterioris duntaxat, solúmque ad assensum inclinare potest per modum causæ exterioris; sed id non sufficit ad perficiendum intellectum in judicio divinorum, & elevandum ad cognitionem supernaturalem, qualis ad stabilienda principia exigitur: ergo requiritur præterea lumen infusum, seu fides infusa. Prob. minor; quia in omni cognitione lumen intellectuale est principalis, & prima causa manifestationis, & judicij; ac subinde tam principia quam doctrina exterior, nonnisi dependenter ab eo, ceu instrumenta à causa principali manifestant; ergo si sit cognitio supernaturalis, & divina seu ordinis superioris, oportet ut lumen illud supernaturale sit, & infusum, nec unquam certum & infallibile judicium

q. 2. de virt. a 13. & 1. ad Corinth. cap. 12.

dicium haberi poterit, nisi adsit hujusmodi lumen per modum naturæ ad assensum principiorum inclinans; tota autem conclusionum certitudo, & judicij earum ex cognitione principiorum dependet; ergo neque conclusionum theologicarum omnimoda certitudo haberi poterit, nisi per resolutionem ad hujusmodi principia fide divina credita, & ut primæ veritati infallibili innituntur.

Vt hæc dilucidiùs percipiantur advertendum est ex S. D. primam veritatem esse omnis veri creati perfectam regulam, & eatenùs verum creatum infallibilitatem sortiri, quatenùs ipsi commensuratur. Idcircò intellectus circa principia prima errare nequit, quia immediatè illi regulæ infallibili subordinatur per hujus lucis participationem ex vi propriæ formæ sibi competentem. Ex quibus etiam veritatis infallibilitas accidit secundùm scientiæ certitudinem circa conclusiones ipsas scientificas. In principiis tamen falsitas per accidens contingere potest ex parte principij cognitionis, inquantùm scilicet omnis nostra cognitio ex sensibus, & phantasmatibus ortum ducit, & aliter species componit, aut dividit quam oporteat. Ergo quamdiù conclusionis Theologicæ judicium in primam illam regulam ratione principiorum suorum non resolvitur, per se veritatis infallibilitatem sortiri nequit; sed fides acquisita, & humana in illam per se non resolvit; sed alteri motivo innititur in cognitione & judicio divinorum, ut explicuimus: ergo nequit Theologiæ principia stabilire, sed requiritur omnino fides infusa, & supernaturalis. Possunt ergo ista motiva, videlicet perpetrata miracula, humana

78. q. 1. de verit. art. 4. 3. d. 24. art. 3. q. 2. ad 2. 1. p. q. 25. a. 6. opusc. 1. cap. 30. Ioan 4. lect. 5.

humana authoritas, testimonium doctrinæ, semina esse hujusmodi principiorum, ut sunt ad fidem infusam inductiva, sed neutiquam ratio formalis assentiendi, & judicandi de divinis cum discretione credendorum à non credendis.

§. I.

Argumenta contraria dissolvuntur.

79. 2.2 q 5. art.3. Objicitur primò, in hæretico non manet fides infusa; sed verè manet Theologiæ habitus: ergo ad istum fides infusa principiorum non exigitur; aliàs fide infusa deperdita omninò deperiret, cum ex principiis ejus veritas, & certitudo penitùs dependeat. Minor probatur primò, quia hujusmodi assensus non est opinativus, cum sine formidine conclusionibus quibusdam assentiat: ergo certus, ac scientificus sicut antea. Secundò; quia circa aliquas conclusiones, circa quas non errat, eodem modo discurrit sicut antea; eisque adhæret, & assentitur, & si ipse ad fidem convertatur absque alia mutatione intrinseca, vel absque aliquo superaddito Theologiam, quemadmodùm antea habere noscitur: ergo signum est, quod per hæresim Theologiæ habitus non deperdatur, sed maneat. Tertiò,
1.2.q.53. quia non corrumpitur habitus intellectualis; qualis est Theologicus, nisi per causam oppositam, seu agens contrarium, vel totalem cessationem ab actu; sed hæresis, seu infidelitas Theologiæ non opponitur, sed fidei; nec hæreticus totaliter ab actibus rationum Theologicarum cessat: ergo nullatenùs assignari potest causa

causa aliqua corruptionis habitus Theologici in hæretico, ac subinde manebit sicut antea.

Respondetur quod sicut in hæretico fides nonnisi secundum quandam æstimationem manet, ita neque Theologiæ habitus. Ad primam probationem minoris dicimus, quod sicut hæreticus circa unum articulum pertinaciter errabundus, de cæteris fidem verè non habet, sed opinionem quandam, quia videlicet non est paratus in omnibus Ecclesiæ doctrinam sequi, ceu infallibilem veritatis regulam, utpote ex prima veritate immediatè procedentem; ita & de conclusionibus illis, quibus assentitur, nonnisi opinionem quandam habet; cum nequeat conclusionis certitudo principiorum certitudine major esse, aut habitus, quo ipsa cognoscitur, perfectior. Quod autem formidinem in assentiendo minimè sentiat, non dimanat ex principio formali certitudinis, & infallibilitatis intrinsecè causativo, nimirùm resolutione conclusionis in prima principia, ut sunt conclusionis causa illuminans, & certificans; sic enim ad assentiendum omnibus inclinaretur, cum sit idem medium per se illuminans, nimirùm veritas prima; sed ex proprio voluntatis arbitrio, & quia sibi ita videtur, propter aliquod motivum sufficiens ad inducendum utrumque assensum per modum cujusdam dispositionis ad fidem principiorum; sed non per modum causæ propriæ, & radicis ipsius infallibilitatis, ut supra diximus.

80. 2.2. q.5. a.3.

Ad secundam probationem respondetur distinguendo antecedentis primam partem; hæreticus eodem modo discurrit, sicut antea, materialiter, & secundùm ipsarum enunciationum 81.

ac ſpecierum intelligibiliüm à phantaſmatibus deſumptarum coordinationem, concedo; formaliter, & quoad certam reſolutionem concluſionum in principia Theologica, & judicium earum, nego: Hujus rei gratia notandum eſt ex S. D. in qualibet cognitione præſertim diſcurſiva, duo penſanda eſſe; nimirùm principium, & finem ſeu terminum; principium eſt à ſenſu, & phantaſmatibus in nobis, ex quibus intellectus ſpecies intelligibiles abſtrahit; dein ipſas componit, aut dividit enunciationum beneficio, quas ſubinde coordinat, & in formam diſcurſus reducit, unumque ex alio educit, nimirùm concluſionem ex præmiſſis, ſecundùm ſucceſſionem quandam; terminus autem cognitionis in quodam judicio conſiſtit, quo de concluſionibus judicium ferimus certum & infallibile per reſolutionem in principia nota, & infallibilia; in quibus ceu cauſa videtur certò concluſio. Primum eſt quaſi materiale, & præſuppoſitivè ſe habens in diſcurſu, ſed in ſecundo formaliter, & completivè conſiſtit, ut ex D. Thoma ſatis explicuimus *tomo 2. Clipei phil. ſ. ph.* Quia in ſola reſolutione fit perfecta rei cognitio. Dicimus igitur hæreticum quoad principium cognitionis, & diſcurſus duntaxat eodem modo ſe habere, quia ſimiliter infert, ſed non quoad terminum, quia non ſimiliter judicat; quia non eſt ſimilis veritatis judicandæ regula. Ad ſecundam partem ſimiliter dicimus in hæretico, dum ad fidem convertitur, intrinſecam fieri mutationem, non ſecundùm facilitatem illam, & in principio cognoſcendi ſed in termino; quia aliter fit judicium, & concluſionis certitudo per diſtinctum reſolvendi modum,

Opuſc.70 q.6.a.2.

modum, & formalem rationem sub qua diversam suscipitur.

Ex quibus inferimus habitum theologicum in hæretico manere in ratione habitus cujusdam, seu potiùs habilitatis facilitantis intellectum ad cognoscenda per rationem, & discursum divina; sed non in ratione virtutis intellectualis, de cujus ratione est facultatem perfectæ cognitionis, & judicandi facere; & ad oppositam virtuti non inclinare: Ratione cujus habilitatis hæreticus facilis circa divinorum cognitionem sicut antea videtur, & similes operationes exercere apparet, ut discurrere &c. sicut aqua, cum ex calida in tepidam transit, non remanet simpliciter calida, seu cum calore, sed cum caliditate quadam, ratione cujus similes quasdam operationes exhibere videtur; sicut exhalare fumum, expellere frigus &c. Et sicut ratione hujus habilitatis aqua facile in calidam transit, ita & hæreticus ratione illius habilitatis in eo post deperditam fidem remanentis iterùm suscepta fide infusa facillimè in perfectum Theologum commigrat & Theologi operationes verè agit. 82.

Ad tertiam probationem Resp. habitum conclusionum Theologicarum dupliciter corrumpi posse. Vno modo ex parte ipsarum propositionum seu enunciationum, ex quibus ratio procedit. Etenim huic enunciationi *Deus est providens* contrariatur hæc altera; *Deus non est providens*. Alio modo quoad ipsum rationis processum (scilicet posterioristicè syllogismo accepto) propter diversum medium, & rationem formalem diversam judicandi, & resolvendi. Dico igitur, quod in hæretico respectu earum 83. 1.2.q.53. art.1.c.

veritatum ad fidem spectantium quas negat, habitum Theologiæ utroque modo corrumpi, nimirùm, & propter diversas enunciationes, & propter diversum rationis processum; sed quoad eas, quibus eodem modo assentit, quoad rationis duntaxat processum diversum corrumpitur, quia diversa est formalis ratio sub qua judicat, & resolvit, ut diximus, & de sciente fit opinans intrinsecè, aut de sciente formaliter efficitur materialiter sciens: sicut si quis demonstrationis medium obliviscatur, tamen eandem conclusionem teneat, & ei assentiat, tunc materialiter duntaxat conclusionem scirè dicitur, sed non formaliter propter defectum ignorati medij. Vel si propter aliud medium probabile assentiat, fiet ex sciente opinans. Et licet infidelitas secundùm rationem formæ, Theologiæ non opponatur saltim immediatè, benè tamen mediatè & ratione principij activi, ac subinde habitum Theologiæ corrumpere potest. Quemadmodum si quis erret circa principia prima, habitus scientiæ removetur.

84. 1.p.q.1. a.6. 1. 2. q 5 1ª.a.4. Objicies secundò, Theologia nostra simpliciter est habitus naturalis, & acquisitus; sed tota ratio sciendi est ex principiis: ergo principia Theologiæ non requirunt fide infusa credi, ut ex eis Theologiæ habitus per rationem & discursum comparetur. Confirm. 1. habitus supernaturales habituum naturalium causa, & radix esse nequeunt, cum specie, vel saltim proximo genere distinguantur; sed fides est habitus infusus, ac supernaturalis: ergo nequit esse causa, & radix Theologiæ, quæ est habitus acquisitus; sed principiorum habitus est

radix

radix scientiæ : ergo principia Theologiæ non debent fide infusa credi. Confirm.2. Si principia Theologiæ fide infusa credi oporteret, ad utendum illis, gratiæ supernaturalis opus esset auxilio ; sed constat nos ad theologisandum hujusmodi auxilio non egere ; ergo neque fide infusa ad cognoscendum Theologiæ principia.

Resp. ad arg. duo ad rationem cujuslibet habitus intellectivi concurrere ; nimirùm intellectus agentis lumen, & species intellectiles ordinatas, quæ medio lumine intellectiles in actu efficiuntur, & ceu instrumenta ejus vim illuminandi suscipiunt, ad certam rei cognitionem ipsum perficientes, ac determinantes. Dicimus ergo Theologiam, seu sacram doctrinam, prout specierum ordinationem dicit, quo ab uno noto ad aliud cognoscendum fit intellectualis progressus, esse habitum acquisitum, & à naturale scientiarum principio, & causa procedentem ; attamen quoad lumen quod supernaturalis, & infusus est, nisi enim naturale intellectus agentis lumen divina illustratione roboretur, numquam ad discernenda, & dijudicanda divina, quæ ejus rationis investigationem excedunt, elevari, ac pertingere poterit. Ipsum enim totius cognitionis supernaturalis radix est, quemadmodùm lumen naturale est totius cognitionis naturalis principium quo activum per diffusionem sui in intelligibilia prima, & mediantibus his in alia. Vnde non immerito à Theologis dici consuevit habitus radicaliter supernaturalis, & inchoativè ; sicut habitus principiorum est inchoativè naturalis, & ratione specierum à sensu acceptarum acquisitus ; & habitus scientiæ ratione ejus dicitur

85. 1. dist.3. q.5. art. unico ad 1.1.2.q. 51.a 4.

esse secundùm naturam hominis. Vnde distinguo min. tota ratio sciendi est ex principiis, ceu instrumentis habentibus vim illuminandi ex lumine intellectuali, ut contracto & determinato concedo; ceu causis principalibus, & ex se illuminantibus nego: Et sub hac ratione Theologiæ principia fidem exigunt infusam, ceu prima instrumenta cognitionis divinæ, ex quibus conclusiones Theologicæ eruuntur, & revelationi mediatè subsunt.

CAPVT VIII.

Quomodo præmissa naturalis unà cum supernaturali ad assensum conclusionis theologicæ concurrere valeat?

86. IN superiori articulo constituimus ad principia Theologiæ stabilienda fidei lumen infusæ, seu lumen divinum, ac supernaturale omninò desiderari. Cum ergo non paucæ occurrant conclusiones, quæ ex principiis eruuntur, quorum alterum naturali rationis lumine innotescit v. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est risibilis, sed Christus est homo: ergo Christus est risibilis*; major lumine naturali est nota; minor fide suscipitur, dubium non modicum occurrit, an hujusmodi propositio, ut naturaliter nota, seu ut lumini naturali subest, per se influat in conclusionem Theologicam, ut causa principalis assensus Theologici, vel qua ratione id præstet?

87. Supponendum est ex S. D. demonstrationis præmissas

præmissas dupliciter capi: primò præsuppositivè, & materialiter ut quædam enunciationes sunt verum significantes, vel enunciantes aliquod objectum complexum circa quod absolutè intellectus judicium ferri potest. Secundò formaliter & in vi præmissarum, seu ut propositiones sunt positæ in syllogismo demonstrativo ad causandum assensum conclusionis interventu medij syllogistici, quod continent, & quo vinciuntur, illuminantque conclusionem, quæ per resolutionem in eas, ceu effectus in causa videtur? Et ex hujusmodi visione necessitatur ad assentiendum conclusioni propter præmissas illas, quæ sicut sunt principia ejus illativa, ita, & resolutionis demonstrativæ terminus, in quo judicium de veritate conclusionis perficitur, & completur. Sicut autem unicus est assensus formaliter, ita & ambæ præmissæ per modum unius principij, & causæ totalis ad illum concurrunt, non quidem principalis, sed instrumentalis, si loquamur de hujusmodi præmissis objectivè sumptis, prout de eis impræsentiarum fit sermo. Vnde non habent agere vel influere, nisi ut motæ ab intellectuali lumine, quod determinant, sicut instrumentum determinat virtutem principalis agentis. Quapropter sicut omne instrumentum duplicem actionem sortitur, unam videlicet ex propria natura; aliam verò prout est motum à primo movente; sicut calor ignis, qui est instrumentum virtutis nutritivæ ex naturâ propria habet dissolvere, consumere, & hujusmodi effectus, sed inquantum instrumentum animæ vegetabilis generat carnem: ita & illæ præmissæ duplicem quodammodo actionem sor-

tiuntur; alteram propriam, & alteram ex lumine intellectuali quod determinant, & in cujus virtute agunt. Videnda sunt quæ diximus *tomo 2. Clypei Philosophiæ q. 14. art. 2. §. 5. & 6.* & *tomo 3. q. 8. art. 9.*

88. Dico igitur præmissam naturalem positam positione medij in demonstratione Theologica, ut præmissa est formaliter, & illativè simul cum præmissa supernaturali non influere in conclusionem Theologicam, & assensum ejus, ut enunciatio est naturaliter nota, sed ut subordinatur lumini divino, seu fidei infusæ, & intellectui illustrato, tanquam instrumentum principali agenti. Esto præsuppositivè, & materialiter naturaliter nota sit, & ut sic præsuppositivè & materialiter possit esse conclusionis causa veluti materialis, inquantum terminus ejus, qui per lumen naturale rationis habet innotescere est illius conclusionis materia. Sumitur ratio ex Philosopho *lib. 1. Poster. text.* 20. & D. Thom. *ibid. lect.* 15. dicens *Ex quo demonstratio est ex his, quæ sunt per se, manifestum est quod non contingit demonstrare descendentem, vel procedentem ex uno genere in aliud genus; sicut non contingit quod Geometria ex propriis principiis demonstret aliquid descendens in Arithmeticam.*

89. Probatur: nulla causa efficiens potest esse
1. 2. q. 66 ignobilior suo effectu, & inferioris ordinis ad
a. 6. 2. 2. illum; sed præmissa naturalis posita & præsup-
q. 148. a. posita in demonstratione Theologica simul cum
3. supernaturali est causa efficiens assensus conclusionis theologicæ: ergo nequit ut sic ignobilior esse illa, seu inferioris ordinis; sed ut præmissa naturalis est, verè est inferior in certitudine, & veritate respectu conclusionis theologicæ,

logicæ, quæ est virtualiter revelata, ejusque certitudo, & veritas lumini divinæ revelationis innititur: ergo ut naturalis est non influit in conclusionem, ceu causa, & principium ejus, sed debet lumini supernaturali intellectus, ceu causæ principali subordinari, & ab eo suscipere quo movere possit intellectum ad assensum conclusionis theologicæ, & virtualiter revelatæ.

Confirmatur præmissa naturalis, quæ ut plu- 90.
rimum habet rationem principij, seu causæ universalis respectu præmissæ supernaturalis, non habet influere, nisi ut determinata per supernaturalem præmissam, ceu causam specialem & proximam; sed ut determinata est ejus virtus per supernaturalem non est formaliter naturalis, seu naturaliter nota; ergo ut naturalis est, non concurrit ad assensum conclusionis Theologicæ, sed ut supernaturalis, & elevata. Major patet, sicut enim causa superior, & universalis non producit effectum particularem nisi à causa proxima determinetur; v. g. virtus solis non generat hominem, nisi mediante homine, ceu causa proxima, & particulari; ita nec conclusio, quæ est ut effectus præmissarum particularis non emanat ab eis nisi inquantum major, quæ verè major est positione medij, per minorem determinatur. Minor declaratur in exemplo supra adducto; *Omnis homo est risibilis, sed Christus est homo: ergo Christus est risibilis*; Verum equidem est majorem sumptam, ut quædam enunciatio est, naturalem esse, & naturaliter constare, & cum formatur discursus ille cum successione quadam, in illo priori ad assentiendum hujusmodi majori solo opus esse naturali

naturali rationis lumine; nam si fiat infideli, & ipse certò assentietur, cum tamen lumine fidei sit destitutus; attamen non habet hoc modo causare assensum formaliter effectivè conclusionis illius theologicæ, sed quatenùs est in termino cognitionis per resolutionem conclusionis in præmissas, ceu effectus in causam (ut explicuimus, & ex D. Thoma probavimus *tom. 2. Clyp.philos. quæst.*14. *art.*2. §. 5. & 6.) sed intellectus non resolvit in præmissam naturalem, nisi ut determinatur per præmissam supernaturalem, inquantum minus extremum continetur sub medio; v. g. non resolvit hanc conclusionem, *Christus est risibilis*, in illam præmissam, *omnis homo est risibilis*, nisi mediante hac, *Christus est homo*, in qua medium applicatur minori extremo tanquam aliquid contento sub illo: ergo cum non constet de continentia Christi sub homine, nisi per fidem, major illa influens virtute medij, ut contentivi minoris extremi, nempe Christi nullatenùs lumine naturali constare potest, sed lumine divino, & ut sic erit influens in conclusionem illam Theologicam, & non ut naturalis est, nisi materialiter, & præsuppositivè ad summum.

91. Ex quibus sequitur, quod conclusio non respicit præmissam naturalem & supernaturalem ex æquo, sed illam præsuppositivè & materialiter, quatenùs naturalis, supernaturalem verò formaliter, ceu causam & principium suæ certitudinis, & veritatis, vel evidentiæ, & sub lumine divinæ revelationis; sub quo etiam respicit præmissam naturalem in ratione præmissæ, quia hoc modo supernaturalis est intrinsecè saltem virtualiter, & ratione medij continentis

nentis sub se minus extremum, de quo facit verificari majus extremum in conclusione. Argumenta quæ contra hanc veritatem obiici possunt ex dictis, & infra dicendis facilè diluentur.

CAPVT IX.

Sitne Theologia habitus entitativè supernaturalis?

§. I.

Quædam præsupponuntur.

CVm quælibet scientia virtute in suis principiis tota contineatur, & in præcedenti articulo stabiliverimus, oportere Theologiæ principia fide supernaturali, & infusa credi, superest modo examinandum, utrum ipsa sit habitus entitativè, & quoad substantiam supernaturalis. Omissis variis de hac re Authorum sententiis, notandum est sermonem esse de Theologia propriè sumpta, quatenùs est habitus eorum quæ ex fidei principiis ratione, & discursu deducuntur, seu ad eorum explicationem, & defensionem valent. Etenim si de Theologia, seu sapientia, ac scientia divina fiat mentio, prout per eam sine ratione, & discursu per simplicem veritatis intuitum certum de rebus divinis judicium comparatur, dubium non est quin sint supernaturales habitus, & infusi. Cum sint Spiritus Sancti dona; nulla hominis operatione, vel industria comparata, sed desursum descendentia. *Nec natura ope,* inquit 92. D.Th. 2. 2. q. 9.

inquit D. Iustinus, in exhort. ad gentes, *nec humana cogitatione tam magnas ac divinas res potest homo percipere, sed dono descendente in sanctos viros cœlitus, qui non opus habent arte disserendi, aut contentiosè disputandi, modò se puros præbeant operationi divini Spiritus, ut ipsum numen superne descendens pulset eos tanquam lyram, aut cytharam, & cœlestem eis sapientiam revelet.*

93. Notandum est præterea scientiam, & à solo duntaxat interiori principio, & ab exteriori etiam acquiri posse; quemadmodum sanitas quandoque à sola natura causatur; quandoque à natura cum adminiculo artis medicinæ. Ab interiori quidem principio, utpote cum per propriam inventionem comparatur. Ab exteriori autem, cum per disciplinam suscipitur. Etenim homini naturaliter inest quoddam intrinsecum sciendi principium, videlicet naturale intellectus agentis lumen, per quod statim à principio universalia quædam scientiarum omnium principia cognoscuntur; quæ dum aliquis ad particularia applicat, quorum memoriam & experimentum sensuum ministerio accepit, inventione propriâ, eorum quæ nesciebat scientiam comparat, ex notis ad ignota progrediens. Scientiam autem per disciplinam, seu doctrinam aliquis capit, cum ducente ac dirigente magistro, vocis vel scripturæ medio, ex præcognitis ad ignotorum notitiam deducitur. Quod dupliciter fieri contingit: primò quidem addiscenti proponendo aliquas propositiones minùs universales, quas tamen ex præcognitis dijudicare valet: vel aliqua exempla, & signa sensibilia ostendendo, ex quibus discipuli

1.p.q. 117 a.1. c.l.1.2.q 51.

puli intellectus in cognitionem ignotæ veritatis manuducitur. Secundò, addiscenti ordinem principiorum ad conclusiones proponendo, quia forsan addiscens tantâ vi discursivâ, atque collativâ præditus non est, ut ex principiis conclusiones deducere per se ipsum valeat. Quapropter 1.*post*.dicitur quod demonstratio sit syllogismus faciens scire. Et hoc pacto, qui demonstrat scientem efficit auditorem.

Quod in scientiarum naturalium acquisitione præstat intellectus agentis lumen, hoc in divinorum cognitione, quæ rationis facultatem excedunt, fidei infusæ habitus tribuit. Quod verò sensus, & experimentum, seu memoria in earum inventione efficiunt, id divina revelatio, vel doctrina exterior revelata, in cognitione principiorum Theologiæ faciunt. In his quidem, qui primò fidei doctrinam susceperunt Divina revelatio, & Spiritus Sancti interius docentis unctio; in aliis verò exterior doctrina, seu disciplina per revelationem suscepta. A quo autem illa applicatio universalium sacræ doctrinæ seu Theologiæ principiorum, (quæ sunt fidei articuli) ad particulares conclusiones theologicas, istarúmque ad principia resolutio, & judicium perfectum dimanet, an videlicet à ratione naturaliter discurrente oriatur; & an hoc sufficiat, ut Theologia dicatur habitus simpliciter acquisitus nec ne? difficultatem hîc non modicam facessit. 94. Opusc. 70.

Notandum est tertiò Deum creaturis duplices indidisse rationes; scilicet causales, per quas omnes ipsæ natæ sunt supremo ejus nutui obtemperare, ut ex eis fiat, quidquid ei placuerit; & seminales, principia nimirum activa, per 95. 1.d.42. q.2.a.2. ad 4 l.1. p.q. 105. a 6. & seq.

per quæ naturales exercentur effectus. Supernaturale propriè ac potissimum ex ordine ad hujusmodi rationes causales non desumitur; immò secundum eas quodammodo naturale dicitur creaturæ, quodlibet Deus in ea fuerit operatus, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ, ut inquit D. Augustinus *lib. 26. contra Faustum*. Penes igitur rationes seminales propria supernaturalitatis ratio pensanda est; cum nimirum præter eas, vel super eas Deus aliquem effectum inducit. Super eas quidem, cum aliquid operatur in quod tota naturæ vis, & facultas nullo modo valet pertingere, aut illud efficere: v. g. corpus humanum formâ gloriosâ donare, solem sistere, duo corpora simul in eodem loco circumscriptivo constituere, & similia; hæc enim natura suâ vi ac potestate nativa, qua pellet, efficere nequit ullo modo. Præter eas autem operari dicitur, cùm effectum, quem equidem natura inducere potest absque naturalium causarum officio, vel actione producit: utpotè dùm aliquis à febre subitò curatur; operâ enim artis, & naturæ seu causarum naturalium sanitas reddi potest; at non subitò, quia non subitò digeritur, aut consumitur humor peccans; & quemadmodum Deus præter hujusmodi causarum commercium, ac solitum naturæ cursum eam restituit, ac pristinas reparat vires. Primò modo dicitur supernaturale simpliciter, aut secundum substantiam. Secundo modo dici consuevit supernaturale quoad modum duntaxat.

96. Hoc utroque modo aliquem habitum su-
1.2.q.51. pernaturalem esse, & dici contingit: nimirum
a.4 & 1. simpliciter & quoad essentiam seu substantiam,
p.q.105. cum
a 7.

cum videlicet nullis nostris actibus ullatenùs comparari valet; nec homini nisi divinâ infusione, aut inspiratione concedi potest; quemadmodum virtutes theologicæ atque gratuitæ, quas Deus in nobis sine nobis operatur; sine nobis, inquam, operantibus, & per proprios naturæ actus eas comparantibus, sed non absque nobis consentientibus. Dicitur autem supernaturalis quoad modum tantùm, cum hujusmodi habitus à naturali scientiarum principio natus est per inventionem vel disciplinam comparari; attamen Deus absque causæ naturalis operâ ac ministerio infundit, ac divinitatùs inspirat; sicut Apostolis divinorum scientiam profusa largitate divinitùs concessit. Ipsi enim neque invenientes, neque addiscentes, optimi ac peritissimi Theologi effecti sunt.

§. II.

Statuitur conclusio, & probatur.

Conclusio. Theologia pro habitu conclusionum theologicarum sumpta, vel scripturarũ peritia; non est habitus intrinsecè, & secundum substantiam, seu essentiam supernaturalis formaliter, sed solum virtualiter, ac præsuppositivè; quatenùs scilicet principia supponit fide infusâ credita, & per resolutionem ad ea complementum suscipit. Hanc conclusionem docet D.Thomas 1.2.q.51.art.4. dicens: *Quandoque ad ostendendum virtutem suam Deus infundit homini illos habitus, qui naturali virtute causari possunt: sicut Apostolis dedit scientiam scripturarum, & omnium linguarum, quam homines per studium acquirere possunt, licet non ita perfecta.* 97.

fecta. Scientia autem scripturarum quid nisi Theologia, ut supra ex eodem S. D. ostendimus? Et 2. 2. quæst. 45. art. 1. ad 2. *Sapientia,* inquit, *quæ ponitur donum Spiritus Sancti differt ab ea, quæ ponitur virtus intellectualis acquisita. Nam illa acquiritur studio humano, hac autem est desursum descendens, ut dicitur Iacobi* 3. Idem docet multis aliis in locis, ut 1. *sent. art.* 3. 1. *p. q.* 1. *art.* 6. 2. 2. *q.* 9. *o.*

98\. Prob. Habitus secundum essentiam, seu substantiam supernaturalis sola infusione comparatur, & nostris actibus nullatenùs acquiri potest; sed Theologia prout est habitus eorum, quæ ex fidei principiis deducuntur, seu prout est scripturarum peritia & scientia, per disciplinam & studium proprium, propriisque rationis actibus comparatur: ergo non est habitus secundùm substantiam supernaturalis. Major prob. 1. Omnis habitus, qui nostris actibus, ceu causis, acquiritur, est in animæ potentiis ceu principio activo, & seminali; sed habitus infusi non sunt in potentiis animæ ceu principio activo, sed materiali duntaxat: ergo nostris actibus acquiri nequeunt. Major patet: Omnis enim scientia est in primis principiis, quæ naturaliter nota sunt, ceu principiis activis instrumentalibus, & in lumine intellectus agentis ceu causa principali effectiva, aliàs se de potentia ad actum sciendi suaptè natura nunquam reducere valeret. Minor verò prob. Si in potentia animæ, ceu principio activo continerentur, supra naturæ facultatem non essent, nec supra animæ actionem connaturalem elevarentur: ac subindè supernaturales intrinsecè & substantialiter non essent. Id namque supernaturale

1.2.q.51. a.4.1. d. 42.q.2.a. 2.1. p.q. 105.a.6. & seq.

1.d.17 q 1.a.3.c.

naturale secundum essentiam, & substantiam dicitur, quod omninò naturæ facultatem, seu principium formale activum exuperat, & excedit. Secundò prob. eadem maj. Quia de ratione virtutis infusæ, ut communiter docent Theologi, est, quod Deus eam in nobis sine nobis operetur; virtus autem pro genere proximo habitum sortitur. Dein quia Theologia est virtus quædam intellectualis; ergo si substantialiter & intrinsecè supernaturalis est, Deus eam in nobis sine nobis operantibus causare debet.

Dices Theologiam, esto nostris actibus comparetur, nihilosecius supernaturalem esse, quoniam ad ejus productionem principaliter habitus fidei infusæ concurrit; ratio autem hujusmodi principia in conclusiones theologicas deducens, ut dispositio duntaxat & conditio sine qua non; Effectus autem potissimè secundùm causam principalem judicandus est. Nam & fidei infusæ habitus secundum substantiam supernaturalis est, esto per modum dispositionis, & exterioris persuasionis doctrinâ comparetur, ut diximus. 99.

Contra: sic se habet lumen, seu habitus fidei infusæ respectu habitus theologici, quemadmodum naturale principiorum lumen, seu habitus respectu scientiæ ordinis naturalis: sed esto principiorum habitus sit nobis à natura inditus, & causa principalis habitus scientifici, tamen iste non est à natura inditus, sed omninò arte atque doctrinâ, seu disciplinâ acquiritur: quia non est natus perficere intellectum in judicio veritatis per modum naturæ, sed ratione ad assentiendum convincitur, & discursu sententiam profert: ergo similiter esto habitus

fidei infusæ supernaturalis sit, & radix habitus theologici, doctrinæque sacræ complementum; quia tamen fidei habitus per modum naturæ, & absque discursu perficit intellectum in judicio, & assensu veritatum supernaturalium; habitus verò Theologiæ per rationem, & discursum hujusmodi judicium de veritatibus divinis sibi comparat, censendus erit habitus simpliciter acquisitus, *ex* 1. 2. *q.* 57. 0.1.

100. Itaque admisso quod ratio Theologiæ principia in conclusiones deducens, secundum rationem discursus prioristicè sumpti, se habeat ut conditio sine qua non, tamen, secundum rationem discursus posterioristicè accepti, prout nimirum importat ordinem principiorum ad conclusiones, ceu causam ad effectus proprios, vel effectuum ad causas proprias, verè est causa distincti habitus intellectualis à fide; quia fides in verum Divinum tendit, ut per se notum, & principium convincens immediatè intellectum ad sui assensum; non equidem propter evidentiam quam pro hoc statu habet, sed propter certitudinem ex conjunctione ad primam & omnino infallibilem veritatis regulam: habitus autem, seu discursus theologicus tendit ad verum divinum ut per aliud notum; conclusiones enim Theologicæ per resolutionem ad articulos fidei cognoscuntur; sed notum per se, & ut principium; & notum per aliud, seu ut terminus, sunt distinctæ rationes veri cognoscibilis, & in ordine ad ea diversi habitus intellectuales admittuntur, scil. habitus principiorum, & sapientiæ atque scientiæ; quorum primus est à natura inditus, alij simpliciter acquisiti; quia in eo quod per aliud cognosci debet,

debet, & non statim hujusmodi verum, opus est studio, & rationis investigatione: ergo pari ratione ad cognoscendum verum divinum mediatè & per aliud, erit necessarius Theologiæ habitus à fide infusa distinctus. Et quia totum quod addit supra fidei habitum rationis est, nimirum studium, & rationis inquisitio, omnino fatendum est habitum Theologiæ prorsus acquisitum esse. Ibid.

Secundo prob. scientia seu habitus qui per discursum & demonstrationem comparatur, est naturalis, quia demonstratio est syllogismus suapte natura faciens scire, ut dicitur 1. *Poster.* sed Theologia est habitus per demonstrationem, vel saltim discursum vim demonstrationis habentem comparatus: ergo nullatenùs est habitus supernaturalis, sed acquisitus. Maj. patet: Etenim ille effectus supernaturalis censendus non est, cujus est naturale principium proprium, & proximum, cum effectus à suo principio formali specificetur, in quantum suam naturam ab eo accipit. Hinc D. Thomas 2. 2. *quæst. 9. art. 2. ad* 1. scientiam, quatenùs est donum Dei, naturalem esse negat, quia in ea per discursum, & rationem, judicium de veritate non acquiritur, sed absque discursu, per simplicem veritatis intuitum, ex superna illustratione provenientem, qua filij Dei agi dicuntur, ut veritates divinas sanè percipiant, ac sine errore discernant. 101.

Quod autem virtualiter, ac præsuppositivè supernaturalis sit, manifestum est: scientia enim conclusionum virtute in principiis ceu rationibus seminalibus tota continetur, & per reductionem ad ea suæ certitudinis, & evidentiæ 102.

complementum suscipit. Principia autem sacræ doctrinæ, nimirum fidei articuli nonnisi supernaturaliter cognosci possunt. Idcirco à D. Thom. *hic art.* 1. & alibi passim Theologia dicitur scientia revelata, vel divinitus inspirata; quia ex principiis divina revelatione cognitis procedit, attamen per rationem, & discursum de veritatibus divinis judicium capit, & profert. Vel dicitur, divinitus inspirata; quoniam cum scientia dupliciter acquiri possit, nimirum invétione propriâ, & doctrinâ ac disciplinâ, quo utroque modo scientiæ humanæ, acquisitæ ac naturales dici possunt, quia primitùs industria hominum inventas eas disciplina, seu doctrina communes fecit; tamen scientia divina, non quidem originativè suscepta est hominum inventione, sed revelatione divina, saltim quoad præcipuas ejus veritates, ac principia. Quod non obscurè sacra scriptura indicat Baruch 3. ubi de hac divina scientia loquens ait: *Iuvenes viam disciplinæ ignoraverunt; neque intellexerunt semitas ejus: exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ viam sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus; Deus adinvenit omnem viam disciplinæ: & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* Attamen esto per inventionem humanam, & rationis investigationem comparata non sit, tamen semel agnitis, aut fide divina principiis ipsius stabilitis ratione & discursu, studioque adhibito comparatur.

§. III.

§. III.

Solvuntur contrariorum objectiones.

OBjicies 1. Habitus quibus homo benè ad finem diſponitur, qui facultatem ejus naturalem excedit, ſupernaturales ſunt: ſed habitus Theologiæ hominem ad finem ultimum ſupernaturalem, & excedentem facultatem ejus naturalem, nimirum æternam beatitudinem, diſponit: ergò intrinſecè & ſubſtantialiter ſupernaturalis cenſendus eſt. Maj. patet: Etenim habitus oportet illis rebus eſſe proportionatos, ad quas homo per ipſos diſponitur: ergo ſi finis ſupernaturalis eſt, atque excedens, neceſſum eſt habitum quoque ſupernaturalem eſſe. Minor etiam eſt evidens: Quia ex eo D. Thomas *hic art.* 1. præter phyſicas diſciplinas, quæ ratione humana inveſtigantur, ſacram Theologiæ doctrinam neceſſariam eſſe conſtituit ad ſalutem, quia homo in Deum ordinatur ceu in quendam finem ſupernaturalem, & qui comprehenſionem rationis excedit, ad quem ſcientiæ naturales benè & ſufficienter eum diſponere nequeunt. 103. 1 2 q. 51. a. 4. c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Habitus Theologiæ mediante fide infusâ, & ſupernaturali, ceu habitu principiorum ad illum finem nos ordinat, concedo minorem; per modum formæ immediatè nos Deo fini ſupernaturali conjungentis, nego minorem; ergo intrinſecè eſt habitus ſupernaturalis, radicaliter, inchoativè, & mediante fide, concedo: formaliter & ſecundum id quod de ſe addit fidei, nego. Hoc enim totum quod addit, ratione cujus 104.

habet rationem virtutis intellectualis, media fide ordinantis nos in Deum, totum studio fit & comparatur, ut probavimus.

105. Objicies 2. Theologia circa objectum, seu subjectum supernaturale formaliter, seu modo supernaturali versatur; sed hoc exigitur, & nihil amplius, ut aliquis habitus intrinsecè supernaturalis habeatur: ergo theologia est habitus intrinsecè, & essentialiter supernaturalis. Major prob. Theologia pro objecto respicit conclusiones ex fidei principiis deductas, prout divinæ revelationi ceu rationi formali subsunt; pro subjecto vero Deum respicit, non equidem ex creaturarum rationibus cognoscibilem, sed inspirationis divinæ beneficio, ut dicemus infra; sed hujusmodi conclusiones sunt veritates quædam supernaturales, necnon ipse Deus sic cognoscibilis, finis supernaturalis est: ergo Theologia respicit objectum seu subjectum supernaturale formaliter, seu modo supernaturali.

106. Respondeo negando maj. Ad cujus prob. concessa majori dist. minorem; hujusmodi conclusiones sunt veritates quædam supernaturales materialiter, & præsuppositivè, seu ex parte principij radicalis activi cognitionis, concedo: formaliter, & secundum applicationem principiorum ad ipsas, ceu causæ ad particulares effectus per ordinationem specierum intelligibilium, nego min. hæc enim ordinatio labore & industriâ comparatur, ac subindè Theologiæ scientia formaliter est habitus acquisitus, cum scientia in tali specierum intelligibilium ordinatione, & applicatione principiorum ad conclusiones formaliter quoad suum generari

generari consistat, & solùm præsuppositivè habitum principiorum includat. Ex D. Thom. 3. *d.*14.*art.*3. *quæstiunc.*4. *c.verit.q.*10.*art.*2.

Sed dices, multoties contingere, quod conclusiones ipsæ theologicæ de fide sint: vel quia per Ecclesiam definitæ, vel quia ex duabus de fide præmissis, evidenter & necessariò inferantur: ergo cum cognitio supernaturalis, & infusa esse debet: ac subindè supernaturalem habitum non generare non poterit. 107.

Respondeo distinguendo antecedens; contingit multoties, quod conclusiones ipsæ de fide sint, formaliter & secundum acceptionem earum ex principiis ordinatis, & applicatis per rationem ad tales conclusiones, ceu particulares eorum effectus, nego: materialiter & ut quædam enunciationes sunt, dicentes commensurationem ad rem supernaturalem, & excedentem rationis conceptum, concedo antecedens. Et dist. conseq. cognitio earum est supernaturalis, secundum quod accipitur per rationem applicantem principia ad conclusiones, nego: si hujusmodi cognitio feratur in ea simpliciter per modum intellectus cujusdam principiorum, seu enunciabilium concedo: Hoc enim modo ad habitum fidei pertinent; sed primo modo ad habitum Theologiæ. Exemplum tritum habemus in ista conclusione: *Ergo Christus habet humanam voluntatem*; quæ si sumatur per modum cujusdam enunciabilis, seu veritatis complexæ, objectum est fidei, est enim veritas ab Ecclesia definita: at verò si sumatur, ut infertur ex ista Christus est homo; & per ordinationem intellectualem suscipitur, verè est conclusio pertinens ad habi-

tum Theologiæ, & ratione ejus cognitio comparatur.

108. Objicies 3. Illa ſcientia eſt entitativè ſupernaturalis cenſenda, cujus ſpecificativum eſt formaliter ſupernaturale; ſed principia Theologiæ, quæ ſunt formale ſpecificativum theologicarum concluſionum, prout lumini infuſo fidei ſubſunt, ſunt ſupernaturalia: ergo & ipſa Theologia erit habitus entitativè ſupernaturalis.

109. Confirmatur; illa ſcientia debet dici ſupernaturalis ſimpliciter, & entitativè, cujus differentia eſſentialis ſupernaturalis eſt; ſed certitudo Theologiæ, quæ eſt differentia illius eſſentialis, quemadmodum & cujuſlibet ſcientifici habitus, eſt ſupernaturalis, cum ſit omni certitudine naturali major: ergo habitus Theologiæ eſt entitativè ſupernaturalis.

110. Reſpondeo conceſſa majori diſt. min. Principia Theologiæ præſuppoſitivè, & ut quædam enunciationes ſunt, ſeu veritates complexæ terminantes ſimpliciter judicium intellectus, ſunt ſupernaturalia concedo; formaliter ſumpta & ſecundum intellectualem ordinationem, & applicationem eorum ad excipiendas, & ratione deducendas particulares ex eiſdem concluſiones, reſolvendas in principia, ceu effectus, in cauſas, nego. Hoc autem modo ſcientiam ſpecificant & cauſant; non verò primo modo, niſi præſuppoſitivè, quatenùs ſecunda operatio intellectus ad tertiam præſupponitur, & habitus principiorum ad habitum ſcientiæ. Vnde habitus Theologiæ præſuppoſitivè duntaxat ſupernaturalis cenſendus eſt, non formaliter entitativè ſicut ſcientia eſt habitus ſecundum naturam

turam propter habitum principiorum, tamen formaliter ratione, & doctrinâ comparatus, & acquisitus reputatur.

Dices illam applicationem tantummodo se 111.
habere, ut conditionem *sine qua non*, non verò ut generativam illius habitus: ergo propter eam non debet simpliciter naturalis, & acquisitus reputari, sed propter principia dici supernaturalis, quæ effectivè principaliter causant ipsum.

Respondeo dist. antecedens; illa applicatio 112.
tantummodo se habet, ut conditio sine qua non, non verò ut generativa illius habitus, si prioristicè sumatur, & secundum ordinationem demonstrationis in modo, & figura, concedo antecedens; si sumatur posterioristicè & secundum coordinationem specierum intelligibilium, applicationemque primorum principiorum ad conclusiones certas, & necessariò connexas cum illis, tanquam effectus cum propriis causis, nego; hoc enim pacto est causa activa formalis proxima ipsius scientiæ, & subinde cum hujusmodi ordinatio ratione ordinante per doctrinam, & disciplinam fiat, habitus Theologiæ simpliciter acquisitus erit.

Respondeo ad Confirm. dist. min. Certitu- 113.
do Theologiæ est supernaturalis præsuppositivè, radicaliter, & inchoativè, seu secundum principium universale ipsius certitudinis, concedo; formaliter, & quantum ad principium formale proximum ipsius certitudinis, nego; ac subinde supernaturalis erit inchoativè duntaxat atque radicaliter. Quod & nos concedimus. Et ratione hujus dicitur Theologiæ certitudo major naturalium certitudine scientiarum.

Instabis;

114. Instabis; Theologia Christi fuit verè supernaturalis, & infusa; sed non ob aliam rationem, nisi quia ex principiis supernaturalibus per discursum derivabatur: ergo ut habitus aliquis sit entitativè supernaturalis, sufficit ut illius principia supernaturalia sint, & supernaturaliter cognita; esto applicatio eorum ad speciales conclusiones ratione collativa, & resolutiva naturaliter fiat.

115. Resp. quod loquendo de scientia indita animæ Christi (de hujusmodi enim currit sermo) fuit supernaturalis, & infusa quoad modum, non verò entitativè; sed esto daremus illam entitativè fuisse supernaturalem: negamus tamen idcircò eam fuisse hoc modo supernaturalem, quia ex principiis supernaturalibus per discursum derivaretur; quinimò omninò oppositum dicendum foret, nimirùm fuisse supernaturalem, quia videlicet quoad sui acquisitionem minimè collativa, discursiva, aut per investigationem rationis comparata fuit; sed divinitus indita: Esto quoad usum, & exercitium collativa, & discursiva esse potuerit. Nostra autem Theologia quoad sui acquisitionem collativa, & discursiva est, idcircò supernaturalis simpliciter, & entitativè non est reputanda, Ex 3. *p. q.* 9. *&* *seq.* præsertim 11. *art.* 3.

ARTI

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Sacra Doctrina sit Scientia.

CAPVT PRIMVM.

Sitne Theologia verè, & propriè scientia.

§. I.

Theologiam esse verè, & propriè scientiam ostenditur.

PRÆTER Gentiles Philosophos qui 1.
inanium rationum munitionibus, & 1. Corinth. 1.
subtilitatum argutiis adversus sacram D.Th.
Theologiæ doctrinam se extollentes, ibid.
eam stultitiam reputarunt, quippe quæ rationi naturali omninò dissona, & contraria stabilire videretur; puta quod immortalis moriatur, quod omnipotens violentorum manibus subjiciatur, & confusione contempta crucis opprobrium subeat, &c. Præter etiam Lutherum, qui non contentus universa omnium opera temerare, speculativas omnes scientias errores dixit: & præsertim contra Scholasticam Theologiam invectus, eam veritatis ignorantiam, & inanem fallaciam nuncupavit, Theologi variè de hac quæstione loquuti sunt, quorum sententiis omissis.

Dicendum est cum D. Thoma, sacram do- 2.
ctrinam,

Hic art. 2. & opusc. 70. q. 2. a. 2. 1. sent. prol. art. 2. q. 14. de ver. & alibi supra.

ctrinam, seu Theologiam, etiam in nobis viatoribus, secundùm se & substantialiter esse verè, & propriè scientiam, habere tamen ex parte scientis statum scientiæ imperfectum; quatenùs principia illius ex parte credentis, seu cognoscentis ea, obscura sunt, & non apparentia, seu non visa, licet secundùm se maximè cognoscibila sint, etiam intellectui humano. Hæc conclusio Sacræ Scripturæ, & Patribus admodum consona est; illa enim sacram fidei doctrinam passim vocat scientiam. Sapient. 7. cap. *Dedit illi*, inquit, *scientiam sanctorum*, id est, fidei, quia de alia nequit intelligi, nisi de illa qua fideles, & sancti ab infidelibus, & impiis discernuntur quæ est fidei disciplina. Et Ierem. cap. 3. *Dabo vobis*, inquit, *Pastores, qui pascent vox juxta cor meum scientiâ & doctrinâ*, id est Apostolos, & Apostolicos viros (inquit glossa) qui pascent vos credentes scientiâ Christi, & ejus doctrinâ. Patres etiam scientiæ nomen ubique ei tribuunt. D. Augustinus *lib.* 14. *de Trinitate* infra citandus. D. Ambrosius explicans illud Apostoli 1. Corinth. 12. id est, *Alij datur sermo scientiæ*, id est, *ut habeat scientiam rerum divinarum.* Idem asserit *octonario* 9 *in psal.* 118. ad illa verba *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* D. Hieronymus *epistola* 103. *ad Paul:* & *in lib. de scientia divinæ legis*, D. Hilar. 1. & 8. *de Trinit.* D. Anselmus *in epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 12. & 13. & communiter cæteri.

3. Nec satis est, si dicas, sacram Theologiæ, seu fidei doctrinam à scriptura, & Patribus scientiam nuncupari generali quadam ratione, prout

prout nimirùm certam quamlibet cognitionem ſcientiæ nomine inſignire conſuevimus, ut ſumitur ex D. Auguſtino epiſt. 112. cap. 3. dicente: *Scire non incongruenter dicimur, etiam illud quod certiſſimum credimus.* Quo pacto etiam dixit Philoſophus 1. *poſter.* primorum principiorum eſſe indemonſtrabilem ſcientiam.

Non, inquam, valet; ſcientia enim, & ſapientia illa Apoſtolis infuſa, & ab eis in viros Apoſtolicos derivata, non fuit qualiſcunque credibilium cognitio, qualis etiam in quolibet fideli idiota reperitur, ſed doctrina perfecta, etiam qua poterant adverſarios redarguere, & fidem oſtendere, quod fit ratiocinando, & demonſtrando; ſed cognitio quam habet fidelis quilibet de credibilibus, largè ſcientia dici poteſt, cum ſit cognitio certa: ergo illa alia propriè ſcientia dici debet. Quapropter Apoſtolus ipſe Corinthios alloquens ajebat; *Etſi imperitus ſermone, at non ſcientia*; id eſt, *in ſcientia divinorum non ſum imperitus*, inquit D. Anſelmus. Vbi ſcientia proculdubio uſurpari nequit in ampla illa, atque generali ſignificatione, ſed propriâ, aliàs nihil ad intentum Apoſtoli. Etenim præmiſerat ſe in nihilo poſteriorem magnis Apoſtolis, Petro nimirum, & Ioanne, qui cum Ieſu converſati fuerant, & veluti divinæ Theologiæ apices, ſcientiæ fama præcellebant; Et ad hujus rei confirmationem ſubjungit, *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*, id eſt, quanquam vobis ſermone imperitus videar, quia ſimplicem doctrinam fidei vobis, qui nondum poteratis capere perfectam, propoſui; tamen non ſum ſcientia deſtitutus, id eſt altitudine ſcientiæ, quâ magni

4. 1. 2. q. 51. art. 4.

2. ad Timoth. 3.

2. Corinth. c. 11.

D. Chryſoſt. hom. 22.

D. Th. lec. 2.

gni

gni Apostoli pollent, & alij qui se ab eis missos dicunt.

5. Et profectò, si quid hæc evasio valeret, ubicunque scriptura, & Patres Deo rationem scientiæ aut sapientiæ tribuunt, eâdem ratione possent eludi, dicendo scientiam ab eis in Deo constitui, generali quadam ratione dictam, & non propriè acceptam, quod neque hi Authores facilè admissuri sunt, qui Deo propriam sapientiæ, ac scientiæ rationem concedunt, & quidem meritò. Vnde postquam D. August. de Theologia protulisset (quæ D. Thomas in *sed contra* adducit) dicens lib. 14. de Trinit. cap. 1. *Huic scientiæ attribuitur illud tantummodò quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*; statim S. D. subdit; *Quâ scientia non pollent fideles plurimi, licet polleant fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus* 1. *Corinth.* 12. *dicens*; *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.* Vbi S. D. cognoscere credibilia simpliciter vocat *scire*, quid aliud nisi sub communi ratione scire vocat? ergo dum contra distinguit ipsum scire Theologiæ à cognitione fidei, loquitur de scire propriè, quod insinuasse videtur dum subjungit; *Quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.*

6. Deinde probat D. Thom. in corpore: Quia ad rationem scientiæ duo requiruntur, unum ex parte conclusionum, scilicet quod ex aliqui-
bus

1. sent. ad Annib. prol. q. 1. a 1. c.

bus principiis necessariò deducantur; aliud ex parte principiorum, videlicet quod sint certa, sive per viam credulitatis, & fidei, sive per visionem eorum in illa scientia; sed hæc duo in Theologia inveniuntur: ergo est vera, & substantialiter scientia. Minor patet, nam in Theologia conclusiones aliquæ ex principiis deducuntur, sicut Apostolus 1. *Corinth.* 15. probat resurrectionem generalem futuram per hoc quod Christus resurrexit; sunt etiam ejus principia certa per viam fidei divinæ, per quam eis certò assentimur. Maj. verò prob. quia duplex est genus scientiarum, scilicet subalternans, & subalternatum: sed in subalternatis principia sunt certa solùm per viam fidei, & non per visionem eorum in dictis scientiis, sed in superioribus duntaxat quibus subalternantur; in subalternantibus autem sunt certa, quia visa, & per se nota in eis: ergo ad rationem scientiæ sufficit quod principia ejus sint certa, sive per visionem eorum in dicta scientia superiori; sive per viam fidei, & credulitatis in scientia inferiori, quæ accipit illa ut visa, & per se nota in superiori.

Probat. 2. ratione; Certitudo judicij, quæ per resolutionem habetur, non solùm ex ipsa syllogismi forma, sed etiam ex materia, quia nimirùm sumuntur propositiones per se, & necessariæ, nonnisi ad scientiam pertinere potest; sed judicij theologici certitudo ex parte rei scitæ per resolutionem habetur, non solùm ex ipsa syllogismi forma, sed etiam ex materia, quia assumuntur propositiones per se, ac necessariæ: ergo ipsa Theologiæ doctrina per quam hujusmodi judicium de conclusionibus theologicis 7. 1. post. lec. 1. q. 14. de verit. art. 8. & 9. arg. 4. 1.2. q. 57. art. 4.

logicis habetur, verè, & propriè est scientia ex parte rei scitæ. Prob. maj. hujusmodi certitudo imprimis pertinere nequit ad aliquem intellectus habitum, qui circa contingentia versetur, sicut ars & prudentia, ut patet; quia conclusiones illæ sunt necessariæ. Deinde neque potest opinioni adscribi, quippequæ veri, & falsi

2.2.q.1. art.4.q. 2.art.1. c.1. p q. 75.art 9. ad 4.

est, & annexam necessariò habet in assentiendo formidinem, ac denique secundum Philosophum, debile quidpiam, & infirmum est. Neque etiam est fidei, quia ad assentiendum non merè voluntariè declinat, sed ex principio noto per se, vel supposito de necessitate cogitur intellectus ad assentiendum, quod non habet fides; Non denique ad habitus primorum principiorum spectare potest, quia hic non respicit verum per aliud, & mediatè notum, sed per modum naturæ in per se notum fertur absque ratiocinatione, & discursu: ergo hujusmo certitudo judicij nonnisi ad scientiam spectare potest. Minor etiam est certa, & multis exemplis demonstrari potest, quorum hoc unum nobis sufficiat; *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod diligentibus se remunerator sit: sed non potest remunerare opera hominum, nisi cognoscat operantes, & ipsorum opera: ergo oportet credere quod singularia Deus cognoscat* 1.dist.36. q.1.art.1.

8. Dices non sat esse quod certitudo illa ex per se necessariis habeatur, sed etiam ex per se notis, vel reducibilibus in per se nota; quod in propositionibus Theologicis non contingit, quæ sunt de se obscuræ, quippe quæ per fidem susceptæ, de cujus ratione est inevidentia.

Sed

Sed contra; Eſto in ſcientiis ſuperioribus 9.
aut ſubalternantibus iſtud omninò deſideretur, Hic art.
non tamen in ſcientiis quæ inferiores ac ſubal- 2. c de
ternatæ ſunt; iſtis enim ſat eſt procedere ex verit. q. 14. art. 8.
principiis ſuppoſitis, vel in ſuperiori ſcientia ad 3.
demonſtratis: ſed Theologia noſtra ſcientiæ Dei, & beatorum quodammodo ſubalternatur, ut infra oſtendemus: ergo non exigitur, ut certitudo judicij theologici pro hoc ſtatu per reſolutionem ad principia per ſe nota immediatè ſuſcipiatur, ſed ſufficit quod ex his procedat, quæ ſupponuntur in ſuperiori ſcientia per ſe nota, aut demonſtrata. Prob. maj. quia principia ſcientiæ ſubalternæ ipſi debent eſſe evidentia, vel ex ſola ratione terminorum, aut quia ſunt ex aliis evidentibus concluſa? Non primum, quia illam evidentiam ſolum reperire eſt in principiis primis, & univerſaliſſimis, quorum termini, & rationes terminorum omnibus ſunt noti, cujuſmodi non ſunt ſcientiæ ſubalternæ principia. Neque ſecundum dici poteſt; quia accipere ea ut concluſa ad ſcientiam pertinet concludentem, quæ eſt de hujuſmodi concluſionibus: ergo ſufficit accipere illa, ut ſuppoſita, & nota in ſcientia ſubalternante. Hinc eſt quod principiorum ſcientiæ Philoſophus quædam vocat dignitates, alia poſitiones, & tandem alia ſuppoſitiones, ut diximus ſupra. Vide *tom. 2. Clypei Philoſop. q. 15. art. 2.*

Conf. non minus ad rationem ſcientiæ re- 10.
quiritur certitudo quam evidentia; imò magis, Ex 1. E-
cum non deſideretur evidentia rei niſi ut de illa thic. lec.
cognitio certa ſuſcipiatur; ſed non poteſt inve- 3. q 14.
niri, nec eſt requirenda æqualis certitudo in art. 1. & 9.

omnibus ſermonibus, quibus de aliqua re ratiocinamur, ſed juxta modum materiæ convenientem; ſicut etiam in his quæ fiunt per artem, non eſt in omnibus ſimilis operandi modus; aliter enim artifex operatur ex luto, aliter ex ære, aliter ex terra: ergo nec eadem evidentia in omnibus ſcientiarum principiis expetenda eſt, ſed in quibuſdam ſufficit ut ſupponantur, ut ſunt ſuprema intelligibilia, ad quæ pro hoc ſtatu ſe habet intellectus noſter, ſicut oculus noctuæ ad lumen ſolis; in aliis requiritur, ut per ſe videantur, per quæ de omnibus judicamus: ergo cum Theologia verſetur circa maximè intelligibilia, & quæ rationem excedunt, ſufficit ei ut ſupponat principia, ut ei nota per fidem, quâ certiſſimè eis aſſentit, ut ex eis demonſtrare valeat, & concluſionum ſcientiam accipere. Major quoad primam ejus partem patet ex definitione ipſius ſcientiæ, nimirum quod ſit *habitus certus, verus, & evidens per demonſtrationem acquiſitus.* Quoad ſecundam etiam eſt evidens, etenim certitudo nihil aliud eſt quam determinatio intellectus ad unum; non determinatur autem ad unum intellectus in ſcientia, niſi quia ſufficienter ei apparet veritas objecti, videlicet concluſionum per reſolutionem in principia per ſe nota. Min. verò prob. ſcientia moralis, ſeu doctrina de operationibus humanis eſt vera ſcientia: ſed non convenit ei perfecta certitudo, cum ejus materia ſit valdè difformis, & variabilis, judicia etiam prudentum per quæ regulatur, valde timida, & incerta: ergo nequit inveniri, nec eſt requirenda eadem certitudo in illa: atqui in Mathematicis, ſeu phyſicis diſciplinis.

Secunda pars conclusionis prob. quando aliquis actus ex duobus principiis, vel potentiis dependet, nequit esse perfectus, nisi in utroque perfectio reperiatur; sed perfecta conclusionum scientia duo exigit, nimirùm principiorum intellectum, & rationem deducentem principia in conclusiones: ergo licet Theologia perfectissimè principia sua, quæ sunt articuli fidei, in conclusiones deducat, quia tamen pro hoc statu principiorum hujusmodi intellectum non habet, sed fidem, perfecta scientia non est, sed habet statum scientiæ imperfectum in ratione virtutis intellectualis. 11. q. 14 de verit. art. 6.

Confirmatur, qui scientia subalternata præditus est, ad perfectam sciendi rationem non attingit, nisi in quantùm ejus cognitio quodammodo continuatur cum illius cognitione; qui scientiam subalternantem habet; sed cognitio Theologica in hoc statu non continuatur cum scientia Dei, & beatorum: ergo ad perfectam sciendi rationem non attingit. Maj. patet; quia principia sua accipit, ut supposita, duntaxat, & non ut visa. 12. ibid. art. 8. ad 3.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

Arguitur primò; de ratione scientiæ est evidentia per resolutionem conclusionum in principia per se nota, seu quæ præsto sunt intellectui; omnis enim scientia in visione rei perficitur: sed Theologia non resolvit conclusiones Theologicas in principia evidentia, & per se nota: ergo non est verè, & propriè scientia. Maj. patet, quia oportet ex Philosopho, 13. q. 14. de verit. art. 9. opusc. 70. q. 2. art. 2.

scientem cognoscere quod res aliter se habere non possit, quod nonnisi per reductionem ad prima principia per se nota innotescere potest, quæ intellectum naturaliter ad eis assentiendum astringunt. Prob. min. quia principia sacræ doctrinæ sunt articuli fidei, qui non sunt per se noti, nec reducibiles in per se nota pro hoc statu.

14. Ad Hebræos c. 11. lec 1. in fine. Confirmatur; nequit esse major evidentia conclusionum in aliqua doctrina, quam sit principiorum ejus; Etenim conclusiones sunt notæ propter principia, ac subinde ipsa sunt notiora conclusionibus; nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; sed principia sacræ doctrinæ, nimirùm articuli fidei, non sunt evidentia, & nota: ergo neque conclusiones ex eis deductæ: ergo de istis nequit dari scientia, de cujus ratione est evidentia.

15. 1. sent. quæst. prol art. 2. Respóndet S. D. primò quod ista doctrina habet pro principiis primis articulos fidei, qui per lumen fidei infusum per se noti sunt habenti fidem, sicut & principia naturaliter nobis insita per lumen intellectus agentis. Nec est mirum si infidelibus nota non sunt, qui lumen fidei non habent, quia nec etiam principia naturaliter insita nota essent sine lumine intellectus agentis. Quod intelligendum est, non quia articulorum fidei visionem habeamus, sed ita firmum, ac certum assensum, qualem præstare solemus principiis per se notis, ut patet ex *quæst.* 14. *de verit. art.* 2. *ad* 15. ubi ait. *Dicendum quod cognitio duo potest importare, scilicet visionem, & assensum, & quantum ad visionem contra fidem distinguitur. Vnde Gregorius dicit, quod visa non habent fidem, sed cognitionem;*

nem; dicuntur autem videri secundum Augustinum in lib. de videndo Deum, quæ præsto sunt sensui, vel intellectui. Intellectui autem præsto esse dicuntur, quæ ejus capacitatem non excedunt. Sed quantum ad certitudinem assensus, fides est cognitio, ratione cujus dici potest scientia, & visio, secundum illud 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per speculum &c. Et hoc est quod Augustinus dicit in lib. de videndo Deum, si scire non inconvenienter dicimur illud quod certissimum credimus, hinc est, ut credita recte, & si non adsint sensibus nostris, videre mente dicamur.*

Resp. 2. dist. maj. de ratione scientiæ est evidentia per resolutionem conclusionum in principia per se nota, sive proxima, sive prima, concedo; semper proxima, nego; vel aliter; in principia per se nota scienti inferiori, vel superiori, concedo; scienti inferiori semper, nego: principia autem Theologiæ licet pro hoc statu non sint nota inferiori scienti, sunt tamen nota in superiori scientia, quæ est Theologia Dei, & beatorum, ut docet S. D. hic solutione ad primum dicens; *Principia cujuslibet scientiæ vel sunt nota per se, vel inducuntur ad notitiam superioris scientiæ; & talia sunt principia sacræ doctrinæ.* 16. Opusc. 70. q. 2. art 2.

Contra hanc solutionem instabis primò; quia dum hæreticus syllogisat ex fidei principiis, & eis certò assentitur, verè syllogisat ex his quæ sunt certa, ac per se nota in superiori scientia; attamen per nos scientiam de conclusionibus deductis ex hujusmodi principiis sibi non comparat: ergo non sufficit quod Theologus ex principiis in superiori scientia notis arguat, ut scientiam habere dicatur. Secundò, 17.

quia si hoc verum esset, Theologus scientiam consequentiarum duntaxat haberet, in quantum judicat consequentiam bene inferri ex antecedenti, cujus non habet evidentiam, quod absurdum est; nam hujusmodi scientia ad Logicum spectat.

18. Resp. ad 1. quod hæreticus scientiam de his sibi non comparat, quia deficit ei proximum scientiæ principium, quod est fidei infusæ lumen stabiliens intellectum humanum in cognitione veritatum divinarum; hoc autem lumine Theologus præditus est, cujus beneficio ei fidei principia sunt quoad certitudinem assensus per se nota. Resp. ad 2. quod Theologus habet scientiam consequentiarum in determinata materia necessariò revelata, quod non habet Logicus, qui nullam determinatam materiam respicit, ut explicuimus *tomo 1. nostri clypei Philos. 2. p. q. 1. art. 10.*

Ex loc. supra citatis.

19. Resp. ad conf. dist. maj. nequit esse major evidentia conclusionum, quam sit principiorum quantùm ad terminum cognitionis, seu judicium quod accipitur de conclusionibus per resolutionem ad principia concedo: secundum rationem necessariò deducentem principia in conclusiones; nego: v. g. hæc conclusio *Christus habet humanam voluntatem*, deducta ex hoc principio, *Christus est homo*, quantùm ad rationem necessariò deducentem istam conclusionem ex isto principio, majorem sortitur evidentiam, illud enim principium authoritate dicentis, ut verum suscipitur, & non ex evidentia objecti intellectum movet; sed ista conclusio quantum ad deductionem necessariam ex parte objecti movet intellectum ut ei assertiatur

tur necessariò propter necessariam deductionem ex illo principio supposito per fidem, & noto in superiori scientia, quod eminenter habet præstare, quidquid præstaret principium per se notum, licet non ita perfectè, sumitur ex S. D. 2.2.q.1. *art.* 5. dicente. *Ex his principiis* (fidei scilicet) *ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes. Vnde etiam Theologia scientia est, ut in principio operis dictum est.* Non attingit autem ad perfectam sciendi rationem; quia cum duo sint in cognitione scientifica, nimirùm principium quod est ratio deducens principia in conclusiones necessarias, & necessario consecutas, & terminus illius cognitionis, qui est judicium de re per resolutionem conclusionum in principia per se nota in quibus videntur, & in ipsa resolutione perficitur ratio scientiæ; Theologia primum sortitur, ad secundum non attingit, & sic dicitur ad perfectam sciendi rationem non attingere.

Arguitur 3. de eodem nequit esse fides & scientia, fides enim est de non apparentibus; sed multæ sunt conclusiones, quæ in Theologia demonstrari dicuntur, de quibus est fides v. g. ista, *Christus habet divinam, & humanam voluntatem*, hæc enim fuit definita in 6. Synodo generali *act.* 8. ergo de hujusmodi conclusionibus non est scientia. 20. 1 2.q. 67.art.3. q.14. de verit. art.9 22. q.1.art.4. 3.p.q.18. art.1.

Resp. dist. min. de his conclusionibus est fides, in quantum sunt quædam enunciationes terminantes simplicem fidei assensum, concedo; ut conclusiones sunt formaliter per necessariam deductionem ex principiis illatæ, nego; sic enim de eis est scientia. Ita sumitur ex S. D. 21.

quaest.14.de verit. art.8. dicente; *Inferior sciens non dicitur de his quae supponit scientiam habere* (sed fidem) *sed de conclusionibus quae ex principiis suppositis de necessitate concluduntur, & sic fidelis potest dici habere scientiam ex his quae concluduntur* (videlicet ex necessitate) *ex articulis fidei*. Ubi innuit ideò de conclusionibus esse scientiam, quia ex principiis illis de necessitate concluduntur; necessario enim concludere pertinet ad rationem demonstrantem, & scientem ceu principium sciendi, esto in judicio de conclusionibus per resolutionem ad principia scientiae ratio perficiatur, sicut in cognitionis termino: Ex qua parte ad perfectam sciendi rationem non attingit, sicut neque puer pertingit ad statum virilem, quia nondum est in termino augmenti, & robore membrorum perfectus, esto essentialiter, ac substantialiter sit homo.

22. 1.2.q.67. a.3.corp. Resp. 2. dist. maj. fides, & scientia nequit esse de eodem, si scientia habeat statum perfectum scientiae, id est, firmam adhaesionem cum visione intellectiva procedente ex intellectu principiorum, in quibus actu videt conclusiones, concedo; si habeat statum imperfectum scientiae, id est, firmam adhaesionem ratione comparatam sine visione intellectiva procedente ex intellectu principiorum, nego; Fides enim eatenus cum scientia esse nequit, quatenùs scientia ut quid perfectum in genere cognitionum, habet hujusmodi visionem intellectivam; fides autem est quid imperfectum carens tali visione. Manifestum est autem quod perfectum, & imperfectum secundum idem simul esse nequeunt, sed tamen ea quae secundum perfectum, &

& imperfectum differunt, secundum aliquid idem possunt esse in aliquo alio eadem, sicut opinio, & scientia de eadem conclusione per diversa media. Et hoc pacto fides, & Theologia sunt de eadem conclusione secundum diversam rationem & medium, utraque tamen in ratione imperfectæ cognitionis. Et sicut cognitio, quæ per medium probabile acquiritur, fortificatur per conjunctionem ad intellectum demonstrantem, ita & cognitio conclusionis Theologiæ fortificatur per determinationem fidei, quæ est ratione perfectior, non tamen aufertur.

Arguitur 4. de contingentibus non potest acquiri cognitio immobilis, ac subinde neque scientia, de cujus ratione est certitudo: sed Theologia pro maxima sui parte est de contingentibus v. g. quod Verbum caro factum est, in Cruce passum, quod venturus est ad judicandum, quod Antichristus nascetur &c. ergo non est scientia. Conf. de singularibus non datur scientia: sed Theologia est de singularibus puta gestis Abrahæ, Isaac & Iacob, atque similibus: ergo non est scientia. 23. Hic q. 1. a. 2. arg. 2.

Resp. quod hujusmodi contingentia, prout lumini divinæ revelationis, & præscientiæ Dei subsunt, infallibilitatem, & immobilitatem quamdam sortiuntur, & hoc pacto de ipsis Theologia agit. Sumitur ex S. D. 1. p. q. 14. art. 13. ubi loquens de futuris contingentibus ait; *Ea quæ sunt scita à Deo oportet esse necessaria secundum modum quo subsunt divinæ scientiæ.* Quam doctrinam repetens 2. 2. q. 1. art. 3. ad 2. ait: *Deum non incarnari secundum se consideratum, fuit possibile etiam post tempus Abrahæ, sed* 24.

sed secundum quod cadit sub praescientia divinae habet quamdam infallibilitatis necessitatem, ut in primo dictum est: Et hoc modo cadit sub fide (& Theologia)

25. Resp. ad conf. quod singularia traduntur in sacra doctrina, quatenus practica est, non quia de eis principaliter tractetur, in quantum particularia sunt, sed in quantum sunt exempla operandorum, quo pacto quandam universalitatem sortiuntur. Hoc enim pacto de singularibus in scientiis moralibus, & practicis agitur, quia operationes singularium circa particularia sunt. Vnde per exempla particularia ea quae ad mores pertinent melius manifestantur. Ea propter Iacobi *cap.* 5. dicitur; *Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, laboris, & patientiae Prophetas.* Et D. Augustinus; *sicut*, inquit, *Spiritus Sanctus loquitur in scripturis, ita in gestis sanctorum, quae sunt nobis forma, & praeceptum vitae.* Introducuntur etiam in sacra doctrina quaedam singularia ad declarandum authoritatem virorum, per quos ad nos divina revelatio processit, supra quam fundatur sacra scriptura seu doctrina. Multum enim interest ad facilè obtemperandum legi, vel veritati scripturae credendum, scire per quos ad nos derivata sit. Hinc Apostolus ad Hebraeos 1. commendaturus utramque legem illiusque excellentiam ait: *Multifariè, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; novissimè locutus est nobis in filio.* Ostendit, quibus (scilicet vetus testamentum) inquit S. D. lect. 1. quia Patribus; & ideò nobis familiare, & acceptum esse debet. Deinde ostendit quibus ministris, quia non jaculatoribus, sed

Hic art. 2. ad 2. sup. epist. ad Hebr. c. 12. 1. prol. art. 2.

ſed Prophetis. In novo autem teſtamento per unigenitum ſuum Deus loquutus oſtenditur.

Arguitur ultimò; quælibet ſcientia eſt virtus intellectualis, cum perficiat intellectum in ordine ad verum quod eſt bonum ejus proprium: Theologia non eſt virtus intellectualis: ergo non eſt ſcientia. Prob. min. primò; omnis virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum; ſed optimum intellectus eſt contemplatio Dei in ſe, qualis in beatis reperitur, ad quam Theologia noſtra non attingit: ergo Theologia non eſt virtus intellectualis. Prob. ſecundò, virtus quæ habet Deum pro objecto eſt virtus Theologica, & non intellectualis, ut patet in fide, ſpe, & charitate; ſed Theologia habet Deum pro objecto: ergo eſt virtus Theologica & non intellectualis. 26. 1.2.q.67. a.1.&2.

Reſp. quod Theologia prout eſt in nobis reſpicit quodammodo contemplationem Dei in ſe per lumen divinæ revelationis, quæ eſt impreſſio quædam ſcientiæ Dei. Vnde attingit quodammodo ad optimum, licet non perfectè; quapropter eſt imperfecta in ratione virtutis intellectualis, ut diximus in concluſione. Ad 2. prob. dico quod reſpicit Deum pro objecto, non quidem ut habitus per modum naturæ inclinans in ipſum ut per ſe notum, dependenter tamen à motu voluntatis, ſicut fides; ſed per modum rationis, & ut verum per aliud notum, ſeu de quo aliquid per rationem demonſtratur. Vel inclinat tanquam habitus facultatem faciens conjunctionis ad ipſum, ſed non uſum, ſicut virtus Theologica quæ per ſe habet uſum conjungendi Deo. 27. 1. ſent. prol.a.1. c.

CAPVT

CAPVT II.

Sitne Theologia viatorum propriè subalternata scientia Dei, & Beatorum?

28. 1. poster. lect. 25. SCientia subalternata dicitur, quæ sub altera, nimirum subalternante ponitur. Hoc autem contingit dupliciter. Vno quidem modo quando subjectum unius scientiæ est species subjecti superioris scientiæ; sicut animal est species corporis naturalis, & ideo scientia de animalibus est sub scientia naturali. Alio autem modo quando subjectum inferioris scientiæ non est species subjecti superioris scientiæ: sed subjectum inferioris scientiæ comparatur ad subjectum superioris, sicut materiale ad formale. Et hoc modo accipitur hic unam scientiam esse sub altera, sicut speculativa, id est, perspectiva se habet ad geometriam. Geometria enim est de linea, & aliis magnitudinibus. Perspectiva autem est circa lineam determinatam ad materiam, id est, circa lineam visualem. Linea autem visualis non est species lineæ simpliciter, sicut nec triangulus ligneus est species trianguli. Non enim ligneum est differentia trianguli. Cajetanus hic *art.* 2. quem Thomistæ communiter sequuntur, existimat S. D. in litera intelligendum venire de subalternatione simpliciter, & propriè dicta; tum quia de illa ante conclusionem distinxerat, ut ex illius verbis fit manifestum; *sciendum est*, inquit, *quod duplex est scientiarum genus* &c. Patet autem quod perspectiva Geometriæ & Mu-

sica

sica Arithmeticæ propriè subalternentur: ergo etiam Theologia nostra scientiæ Dei, & beatorum.

Tum etiam, quia subalternatio quoad evidentiam oritur ex ratione scientiæ; sed ex continuabilitate ad scientiam Dei, ac beatorum Theologia nostra evidentiam sortitur: ergo ei propriè subalternatur, esto principia ejus non sint conclusiones in superiori scientia demonstratæ. Prob. Maj. Ideò enim Perspectiva Geometriæ subalternatur, & Musica Arithmeticæ, quia Perspectivæ principia in Geometria, & Musicæ in Arithmetica innotescunt. 29.

Tandem, si quid obstaret quominus esset subalternata Theologiæ Dei & Beatorum, id esset, quòd principia subalternatæ scientiæ debent esse conclusiones deductæ ex altioribus principiis à scientia subalternante; principia verò Theologiæ viatorum sunt ipsæmet veritates primæ, & per se notæ Deo, & beatis, ut quod Deus sit trinus, & unus &c. sed hoc non obstat quominus Theologia viatorum sit subalternata; nam cum aliquid, quod in creaturis invenitur, transferimus ad Deum, sine imperfectione transferendum est; atque idcirco ei scientiam tribuimus cum evidentia & certitudine, sine discursu tamen, quæ est imperfectio, quam habet ex nobis. Cum igitur dicimus, Theologiam viatorum subalternari scientiæ Dei, non est ita intelligendum, ut scientiæ Dei tanquam subalternanti tribuamus id, quod habent cæteræ scientiæ creatæ subalternantes, probare scilicet per discursum conclusiones suas, quæ assumuntur, ut principia in scientia subalternata. Non ergo opus est, ut principia 30.

principia Theologiæ viatorum, quæ sunt articuli fidei, sint conclusiones Theologicæ Deo & Beatis; sed satis est, si quæ sunt evidenter nota Deo & Beatis, fide solùm credita assumantur à viatoribus in sua Theologia. Quemadmodum si Geometria sine ullo discursu haberet evidentiam suarum conclusionum, quas nunc Perspectiva assumit, ut principia, esset nihilominùs subalternans; perspectiva verò subalternata, sicut modò est.

31. Scotus vero, *quæst.* 3. *prol.* quem sequuntur ejus discipuli. Durandus *ibidem quæst.* 7. & alij non pauci etiam ex S. Thomæ discipulis existimant Theologiam nostram scientiæ Dei, & Beatorum propriè non subalternari, neque de hujusmodi subalternatione ullatenùs venire intelligendum. Hanc sententiam probant primò; quia de ratione subalternatæ est quod subjectum subalternatæ addat subjecto subalternantis differentiam accidentalem, per quam ab ea intrinsecè distinguatur, v. g. Musica quæ Arithmeticæ subalternata creditur, istius subjecto sonori differentiam addit, quæ numero secundùm se accidit: sed viatorum Theologia supra subjectum scientiæ beatæ nullatenus hujusmodi accidentalem differentiam addit: ergo ei propriè non subalternatur. Minor prob. quia tam scientia Dei, quam Beatorum respicit Deum sub ratione Deitatis tanquam subjectum, ut infra ostendemus.

32. Respondent quidam hanc conditionem subalternationi accidere, unde nihil prohibet, quominus una scientia alteri subordinetur, etiamsi subjectum unius subjecto alterius hujusmodi accidentalem differentiam minimè addat,

dat, dummodo principiorum inferioris evidentia à ſuperiori oriatur. Sed contra eſt; ſcientia ſubalternans, & ſubalternata ſpecie diſtinguuntur, ut patet in Arithmetica, & Muſica; ſed in ſcientiis diſtinctio ſpecifica penes rationem formalem ſubjectorum deſumenda eſt: ergo ſubjectum ſubalternatæ aliquam rationem formalem in ſui ſubjecto intrinſecè & eſſentialiter importare debet, per quam à ſubalternante ſpecificè diſtinguatur: ſed hæc differentia addita nequit ſubalternantis ſubjecto eſſentialis eſſe: ergo accidentalis. Major eſt D. Thomæ 1. *poſter. lec.25.* ubi explicans illa Philoſophi verba; *Ferè autem univoca ſunt harum quædam ſcientiarum*; ita habet: *Dicit quod ferè hujuſmodi ſcientiæ ſunt univocæ ad invicem. Dicit autem ferè, quia communicant in nomine generis, & non in nomine ſpeciei.* Prima etiam minor conſtat; ſic enim ſe habet ſubjectum ad ſcientiam, ſicut objectum ad potentiam, vel habitum; diſtinctio autem potentiæ, ſicut & unitas à ratione formali objectorum penſanda eſt; viſus enim, & auditus ſunt diverſæ potentiæ, eſto eadem res materialiter ſit viſibilis, & audibilis, quia alia eſt ratio ſoni, alia coloris. Secunda autem minor prob. quia ſi ſcientia ſubalternata ſubjecto ſubalternantis eſſentialem duntaxat adderet differentiam, eſſet pars ejus ſubjectiva, ſeu ſpecies, nec ei propriè ſubalternaretur.

1. poſter. lec.25.1. p.q.1.a.3. & 7.

33. Nec ſufficit ad propriam ſubalternationem, quod principiorum inferioris ſcientiæ evidentia à ſuperiori oriatur; etenim omnes aliæ ſcientiæ Metaphyſicæ non ſubalternantur; ſed tamen ab ea ſuorum principiorum evidentiam capiunt:

4. Metaph. lec. 5. & 11. lec. 1. opuſc. 70. 7. c. 6.

ergo

&bic lec. 6.3. contra gentes c. 25. ergo ad rationem propriæ subalternationis; non sufficit quod principiorum inferioris scientiæ evidentia à superiori oriatur. Maj. est certa, minor probatur, quia ad Metaphysicam spectat aliarum scientiarum principia probare, & de eis judicare; sed nonnisi quia considerat quædam communia, ut pars, & totum, æquale, & inæquale, per quæ hujusmodi principia innotescunt, & de eis certum, & evidens judicium fertur: ergo cæteræ scientiæ à Metaphysica suorum principiorum evidentiam capiunt.

34. Respondent alij quod Theologia nostra differentiam accidentalem subjecto scientiæ Dei, & Beatorum addat; nempè esse revelatum, vel cognoscibile per revelationem: sed perfectò hæc doctrina minimè stare potest. Etenim licet differentia illa addita subjecto subalternantis accidat, attamen subjecto subalternatæ essentialis esse debet, cum ab ea propriæ passiones oriantur, de subjecto subalternatæ demonstrabiles: ergo esse revelatum seu cognoscibile per revelationem erit differentia essentialis subjecti Theologiæ viatorum secundum se sumpti: ergo cum Theologia maneat in Patria manebit hujusmodi differentia essentialis subjecto Theologiæ viatorum: ergo ibi etiam cognoscetur Deus per revelationem & non ut est in se.

35. Confirmatur per continuationem scientiæ subalternatæ cum subalternante, seu adventum ejus in subjecto non destruitur sed perficitur scientia subalternata: ergo in Patria Theologia nostra in ratione subalternatæ etiam remanebit: ergo cum differentia illa accidentali, quam debet addere remanebit; ergo remanebit Deus cognosci

cognoscibilis per revelationem, & non visus in se, seu per essentiam, quia hæ differentiæ, & modi inter se opponuntur.

Secundò probatur, scientia subalternans, & subalternata sunt compossibiles in eodem intellectu: sed Theologia nostra non est compossibilis cum beata in eodem intellectu; aliàs haberet simul fidem, & claram visionem de suis principiis: ergo non est propriè subalternata. 36.

Dices Theologiam nostram ex parte ipsius scientiæ se in eodem subjecto compati cum scientia beata, esto ratione status imperfecti se non compatiantur. Contra, ergo ablato statu imperfecto se compatientur, sicut se compatiuntur Musica, & Arithmetica, cum Musicus habet suorum principiorum evidentiam, esto se non compatiantur, si ea accipiat ut credita duntaxat. Quæro modo per quid distinguatur tunc à subalternante; Nec enim eadem esse potest. Non per differentiam accidentalem subjecto additam, quia vel hæc non datur, vel non remanet? non penes principiorum evidentiam, & inevidentiam, quia tunc erit omnimoda evidentia: ergo ablato statu non remanet per quid distinguantur: ergo accidentaliter duntaxat ratione illius status subordinatæ dici possunt, sicut, & distingui. 37.

Hoc dissidium, quantum ad intentum D. Thomæ facit, non est magni momenti; solùm enim intendit S.D. ostendere quod in omnibus scientiis præambulis, & inferioribus respectu altiorum, & superiorum sint suppositiones quædam, quæ in superiori habent innotescere, esto veræ scientiæ sint, v. g. in scientia naturali 38. Opusc. 70. q. 3. art. 1.

& Mathematicis disciplinis, quæ sunt præambulæ ad Metaphysicam & illâ inferiores (ipsa enim de altissimis, & maximè intelligibilibus agit) oportet quædam præsupponere quæ in Metaphysica pleniùs innotescunt. Exemplificat autem hoc in Mathematicis disciplinis, quia hoc in eis evidentiùs apparet. Ea de ratione crediderim quod S. D. nunquam usurparit in hoc articulo nomen scientiæ subalternantis aut subalternatæ, sed superioris, & inferioris, quod est quid communius, nam aliæ scientiæ sunt inferiores Metaphysica, & tamen ei non subalternantur.

39. Quantum verò ad rem ipsam, de qua quæritur, attinet, dicendum existimo quod stando in rigore propriæ subalternationis, prout de ea Aristoteles *lib.* 1.*Post.* loquitur, & ibi communiter interpretes tradunt, Theologia viatorum non est propriè subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, & id meo judicio satis probant rationes à nobis pro secunda sententia adductæ. Quod si admittamus nomen subalternationis se extendere ad illas scientias quæ in evidentia principiorum quolibet modo adinvicem dependent, nimirùm inferior à superiori, & subalternata à subalternante, constat posse dici hoc pacto Theologiam viatorum, scientiæ Dei, & Beatorum subalternari.

40. Cujus rei gratia adverte ex S. D. quod in scientiis speculativis semper proceditur ex aliquibus principiis priùs notis, tam in demonstrationibus conclusionum, quam in diffinitionum inventionibus. Quemadmodum ex propositionibus præcognitis, seu principiis per se notis aliquis in cognitionem conclusionis devenit;

Opusc. 70. q. 6. a. 4. c.

devenit; ita ex conceptione generis, & differentiæ, aliarum ipsius causarum quis in notitiam speciei pervenit. Verùm quia tota ratio demonstrandi est in medio, quod est rei definitio, principia eatenùs conclusionem illuminant, quatenus medium, quod est rei definitio, vel aliquid loco ejus, continent. Conclusionis ergo notitia à principiis pendet, quatenùs per notitiam terminorum innotescunt; & sic quodammodo quoad evidentiam eis subordinatur. Vnde si hujusmodi terminorum notitia in inferiori scientia sufficienter haberi nequit, sed à superiori emendicanda sit, tunc inferioris principia erunt nota solùm in superiori scientia, & hoc pacto erit inferior scientia superiori subordinata ratione evidentiæ principiorum; sed in Theologia nostra cognosci non potest quid Deus sit: ergo debet innotescere per superiorem scientiam, in qua divina essentia cognita secundum se est medium alia cognoscendi de Deo, ut est principium, & finis rerum omnium, & subinde lumen superioris scientiæ dicitur: ergo quoad evidentiam principiorum Theologia nostra scientiæ Dei, & Beatorum subalternata dici potest.

Verumenimverò quia utendum nominibus prout eis uti consueverunt communiter sapientes, in secundam sententiam magis propendo, quæ de subalternatione magis propriè secundum Aristotelis, & Philosophorum morem differit; & reipsa quidem rationes, quas pro ea adduximus, majus habent robur. Vnde ad primam Cajetani rationem dicimus quod S. D. distinguat de subalternatione non secundum rigorosam, & adæquatam ipsius rationem, sed 41.

ſecundum quod in ea ſunt ſuppoſitiones in ſubalternatis, quippe inferioribus, ſicut & in omnibus aliis ſcientiis præambulis, & inferioribus, ut legenti textum patebit. Vnde de ſubalternante ſub nomine ſuperioris, & de ſubalternata ſub nomine inferioris diſſerit. Ad 2. patet ex dictis nimirùm quod oritur ex ratione ſcientiæ in quantum inferior, vel præambula eſt alteri ſuperiori, & non præcisè, quia ſubalternata eſt. Ad 3. dico quod obſtat non modo propter rationem allatam à Cajetano, ſed propter rationes quas pro ſecunda ſententia adduximus, quæ ſunt propriæ ſubalternationi eſſentiales, & in Theologia viatorum reſpectu ſcientiæ ſuperioris inveniri nequeunt.

Vide opuſc. 70. q 3. art. 1.

CAPVT III.

Maneatne Theologia noſtra in patria?

§. I.

Quibuſdam ſuppoſitis deciditur quæſtio.

42. Ratio dubitandi eſt quia deſtructâ causâ deſtruitur effectus: ſed cognitio fidei eſt cauſa Theologiæ noſtræ, ſicut cognitio principiorum eſt cauſa ſcientiæ: ergo cum fides evacuatur in patria, videtur quod nullatenus Theologia noſtra eadem ſpecie remanere queat. Et ita exiſtimant quamplurimi authores, etiam ex Thomiſtis, quos refert & ſequitur M. Ildefonſus Michaël *hîc quæſt.* 1. *art.* 1. *dub.* 3. ſed oppoſita ſententia dubio procul eſt D. Thomæ, ut

3. ſent. diſt. 31. q. 2. a. 1. arg. 2. & 1. 2. q. 67. a. 3 q. 14. de verit. a. 2. c.

ut ex dicendis patebit, quem sequuntur communiter ejus discipuli.

Supponendum est in scientia nostra tria consideranda venire, scil. habitum, actum, & modum agendi. Modus intelligendi est quod cum phantasmate intelligat, quia intellectus in statu viæ aliter intelligere nequit. Actus autem scientiæ est certa conclusionum notitia per resolutionem in principia per se nota in quibus videntur: Habitus est quædam qualitas intellectum perficiens, & ad hunc actum habilitans. Certum est quod nulla scientia quantùm ad modum intelligendi dependenter à phantasmate in anima separata maneat: quia id ipsi competit, quatenus est corporis forma. In actu verò scientiæ duo considerare oportet, scil. motum inquisitionis, seu rationis discurrentis ex principiis ad conclusiones; & terminum, qui est certitudo quæ habetur de conclusionibus, secundum quod jam in principiis videntur. Quantum ad inquisitionem, & discursum scientiæ actus in anima separata non manet, quia id imperfectionis est; bene verò quoad certitudinem. Eapropter scientia quoad actum quodammodo evacuabitur, nec tamen totaliter actus ejus auferetur, quia manebit ipsa quoad habitum, seu species intelligibiles; habitus autem nihil aliud est quam habilitas ad actum. Et ratione hujus dicitur scientia essentialiter, sive substantialiter in patria manere. Difficultas igitur præsens de Theologia hoc pacto procedit, an videlicet quoad habitum, & actum certitudinis maneat, cum certitudinem in via à lumine fidei capiat, quæ tunc evacuabitur. 43. 3. sent. dist. 31. q. 2. a. 4.

Dicendum est Theologiam nostram in patria essentialiter, sive substantialiter manere, perfici tamen multò amplius per visionem principiorum ejus in scientia beata, qua medio lumine beato res in verbo, seu divina essentia videt. Sumitur hæc conclusio ex D. Chrysostomo, qui explicans illa Apostoli verba, *Sive scientia destruetur*, ait: *Non evacuatur ergo scientia, sed esse singularem & particularem scientiam evacuabitur. Non tam multa enim utique sciemus, sed etiam multò plura. Vt autem exemplo hoc faciam manifestum, nunc scimus Deum esse ubique, sed quomodo sit nescimus. Quod quæ sunt ex nihilo fecerit, scimus, modum autem ignoramus: Quod ex virgine natus sit, scimus, quomodo autem nequaquam. Tunc autem de eis aliquid sciemus amplius & perfectius.* Idem docet D. Hieronymus epist. ad Paulinam dicens: *Talem scientiam*, inquit, *discamus in terris, quæ nobiscum perseveret in Cœlis.* Vbi de scientia scripturarum seu sacra Theologiæ doctrina sermo est. Hanc eandem sententiam docet S. D. qui pluribus in locis explicans illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. dicentis quod *scientia destruetur*, ait: *quod verbum Apostoli est intelligendum, quantum ad id quod est materiale in scientia, & quantum ad modum intelligendi: quia scil. neque phantasmata remanebunt destructo corpore, neque erit usus scientiæ per conversionem ad phantasmata: non autem quantum ad id quod est formale in eis:* nimirum species intelligibiles. Patet autem quod in eo Apostoli loco sermo est de scientia Theologiæ, quæ

43. in hac vita de Deo habetur.

In c. 13. 1. ad Corinth. & homil. 16. in c. 5. Matth.

1. 2. q. 67. a. 2. c. & ad 1. & in 3. dist. 31 art. 4. 1. ad Corinth 13. lect. 3.

Prob. quando actus perfecti in imperfecto inventus,

inventus, secundùm quod jam aliquid de perfectione participat, venit ad perfectionem ad quam tendebat, manet quantùm ad id quod est de substantia actus, & tollitur duntaxat quantùm ad id, quod imperfectionis in ipso erat; sicut loquela balbutientis pueri aufertur, cum ipse ad perfectam ætatem venit, quantùm ad id quod imperfectionis in ipsa erat, manet tamen quidquid erat de perfectione, & de substantia loquelæ, quia loquela est de se actus perfecti: sed Theologia in quantum hujusmodi est actus perfecti, esto pro hoc statu in imperfecto reperiatur, quia in via ex parte cognoscimus: ergo cum venerit ad statum actus perfectum, qualis est status patriæ, non destruetur, nisi secundum id quod est materiale, & imperfectionis in ipsa, sed quantùm ad formale, & substantiam manebit. Minor est evidens: quia quælibet scientia est cognitio perfecta, cum sit virtus intellectualis: Theologia autem est scientia, immo omnium scientiarum dignissima. Major etiam est evidens, nam hæc est differentia inter actum, qui de se est imperfecti, ut motus, & actum perfecti, sicut intelligere & velle: quod ille, quando ad perfectum, videlicet terminum motus, attingit, non manet ejus aliquid quantùm ad substantiam, sed quoad radicem motus; bene verò quando est actus perfecti.

3 d 31. q. 2. a 4. corp.

1. 2. q. 67. a. 1. & 2. hic art. 5.

46. Conf. ideo spes & fides in patria evacuantur, quia de se sunt actus imperfecti, spes enim se habet in ratione cujusdam motus tendentis in bonum arduum expectatum, & desideratum, nondum verò habitum; fides autem est de se cum ænigmate: sed charitas manet

3. sent d. 31. q. 2 a. 1. 2 & 3. & 1. Corinth. 13. lec. 3.

quia est actus perfecti, licet non habeat in via statum perfectum: ergo cum Theologia sit scientia, & de se actus perfectus, quantùm ad substantiam etiam manebit.

47. *Ex supra cit. locis.* Secundò prob. & confirmatur præcedens ratio: si Theologia nostra in patria non maneret, maximè quia essentialiter est obscura, & de ratione ejus est imperfectio: sed hoc non: ergo manet. Maj. est fundamentum præcipuum adversariorum. Minor verò prob. si esset essentialiter obscura maximè quia principiorum illius cognitio per fidem, & revelationem habetur, quæ quidem obscura est essentialiter, & de ratione ejus est imperfectio: sed hoc non: ergo non est essentialiter obscura. Prob. min. quia *Hic art. 5. ad 1.* quod cognitio principiorum Theologiæ per fidem in via accipiatur, accidit ei ex subjecto sciente, principia enim illius sunt maximè cognoscibilia, cum sint suprema intelligibilia: sed quod accidit scientiæ ex subjecto non convenit ei essentialiter secundum se: ergo Theologia nostra non est essentialiter obscura. Prob. min. nam inquisitio rationis, discursus, & conversio ad phantasmata est de ratione scientiæ nostræ, & eam ita necessariò concomitatur, ut nonnisi per inquisitionem rationis, discursum, & conversionem ad phantasmata, scientiam acquirere, aut eâ uti valeamus: sed tamen, quia ex subjecto sciente hoc ei competit, non dicitur essentialiter absolutè, & secundum se illi convenire, unde his omnibus ablatis in patria manet scientia acquisita quoad habitum: ergo quod convenit scientiæ ex subjecto duntaxat essentialiter absolutè, & secundum se non convenit. Maj. etiam est evidens; quia Theologia

Theologia in patria, ubi cognoscitur de Deo quid sit, & manifesta sunt illius principia, clara & evidens efficitur: ergo obscuritas, & imperfectio competit illi ex subjecto: ergo non impedit quin in patria substantialiter, & essentialiter maneat; sicut non impedit quin maneat, quia est acquisita per discursum, & dependenter à phantasmatibus.

Conf. 1. non minus est de ratione cujuslibet scientiæ pro hoc statu discursus, & conversio ad phantasmata, quam sit de ratione principiorum Theologiæ pro hoc statu obscuritas: sed scientia acquisita manet essentialiter, & substantialiter eadem in patria absque discursu, & modo cognoscendi per conversionem ad phantasmata: ergo & absque illo obscuritatis modo Theologia eadem essentialiter, quoad habitum, & certudinem manebit. Prob. maj. nam ex eo principia Theologiæ sunt obscura; & indigent per viam fidei accipi, quia sciri nequit de terminis principiorum quid sint; & nescitur quid sint quia phantasmata, & sensibilium species (à quibus principiorum cognitio in scientiis accipi consuevit) nequeunt Deum, vel divina repræsentare, quia nil prorsus in eis invenitur simile, & proportionatum: ergo ex necessaria conversione ad phantasmata oritur principiorũ Theologiæ obscuritas in nobis, quemadmodum & ab excellenti, ac supereminenti eorum intelligibilitate. 48.

Conf. 2. Theologia nostra est vera scientia, ac sapientia: sed de ratione scientiæ essentiali est evidentia, & visio, per resolutionem in principia in quibus videntur conclusiones, sicut effectus in causis: ergo de ratione essentiali Theologiæ 49. Hic art. 2. & 1. sent. prol. a. 3. de verit. q. 14. a. 9.

Theologiæ ſecundùm ſe non eſt obſcuritas, ſed ratione ſtatus quem habet ex conditione ſubjecti.

Reſpondent adverſarij, quod nil obſtat, quin Theologia noſtra ſit eſſentialiter obſcura, & tamen ſcientia, & virtus intellectualis: etenim fides divina eſt virtus intellectualis, ut docet D. Thom. 2. 2. & tamen eſt eſſentialiter obſcura. Nam cum dicit Ariſtoteles evidentiam ad ſcientiam requiri, id tantummodo exigit in ſcientiis naturalibus, & inferioribus, quas agnovit, non verò in Theologia quæ altiſſima eſt, ac Philoſopho ignota.

50. Hæc profectò ſolutio abſque ullo prorſus fundamento, & ad libitum conficta eſt: quod patet primò, quia ſæpiùs D. Thomas huic objectioni reſpondendo, quod nimirum evidentia ſit de ratione ſcientiæ, quæ Theologiæ competere nequit, cum procedat ex principiis fidei, quæ per ſe nota non ſunt, ac ſubinde concluſionibus evidentiam præbere nequeunt, nunquam ad hujuſmodi ſolutionem recurrit, ſed ſemper reſpondit, quod hujuſmodi principia ſint in ſuperiori ſcientia nota, ac ſubinde ex eis ſcientiam oriri poſſe. Secundò, quia ut ipſemet S. Doctor *quæſt.14. de verit. art.9.* aſſerit hæc eſt differentia inter fidem & ſcientiam; quod fides eſt de abſentibus, ſeu non apparentibus; ſcientia verò in viſione rei perficitur, eſtque de rebus quæ præſto ſunt intellectui. Tandem quia dum inferiorum rationes ſuperioribus attribuuntur, auferre opus eſt, quod in eis eſt imperfectionis, ſed non quod perfectionem ſecundum ſe explicat: evidentia autem eſt de cognitionis perfectione; unde & Deus clariſſimè

1.p.q.1. art. 2. 1.ſent. prol.a 3 1.ad Annib.prol. q.1. a.1. & opuſc. 70.q.2.

rissimè omnia intuetur, estque ejus cognitio evidentissima, cum omnia nuda sint, & aperta oculis ejus, ut dicitur ad *Heb. cap.*1. Non ergo ob id Theologiæ nostræ denegari debet evidentia, secundum se, quia superior scientia est. Confirm. 3. Charitas præsupponit fidem, ab eaque generatur: attamen charitas in patria manet, quia solum innititur fidei, secundum id quod in ea certitudinis, & cognitionis est: ergo licet Theologia nostra principiis fidei, quoad cognitionem, & certitudinem innitatur, nihilominus ipsa manebit, quia & fides quantùm ad genus cognitionis in patria manet. Minor patet ex glossa *in cap.* 1. *Matth.* quia charitas tendit in bonum supernaturale per fidem cognitum; est enim fides fundamentum credentium collocans eos in veritate & veritatem in eis, ut ait Dionysius, per ipsamque fit prima conjunctio hominis ad Deum.

Confirm.4.dona Spiritus Sancti eadem secundùm speciem in patria manent: sed tamen fidei innituntur; quia per fidem Christus habitat in nobis: ergo etiam Theologia eadem manebit, esto à principiis fidei pendeat, quia hæc dependentia solummodo est quoad genus cognitionis. Respondet nonnullus, quod dispar ratio sit, quia nimirum dona sunt clara, idcirco non pugnant cum visione beatifica. Sed hæc solutio est contra D. Thomam, & veritatem ipsam, loquendo de donis prout in nobis. Contra veritatem, inquam, quia quælibet cognitio viæ est ex parte, id est, imperfecta, specularisque, & ænigmatica: *Videmus nunc*, ait Apostolus, *per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam,*

51. 1.2.q.68. a.6. 3.p. q.7.a.5.

1. Corinth.14. D.Th. lec.4.

cognoſcam, *ſicut & cognitus ſum*, ubi D. Thom. cognoſco ex parte, id eſt, obſcurè, & imperfectè; Paulus autem donis Spiritus Sancti abundabat; præſertim ſapientia, & ſcientia: 1. Corinth. 1. *ſapientiam loquimur inter perfectos.* Contra D. Thomam etiam militat; nam ipſe 2. 2. quæſt. 8. art. 1. inquirens *utrum donum intellectus poſſit eſſe ſimul cum fide*, arguit ad probandum non poſſe eſſe cum fide, quia intellectus eſt comprehenſivus, & penetrativus rerum; itaut id quod intelligitur, videatur & certiſſimè cognoſcatur; fides autem eſt de non apparentibus, & iis quæ non comprehenduntur, vel intelliguntur. Et ſtatim reſpondet in corp. *Dupliciter dici poſſumus aliqua intelligere. Vno modo perfectè quando ſcil. pertingimus ad cognoſcendum eſſentiam rei intellectæ, & ipſam veritatem enuntiabilis intellecti, ſecundùm quod in ſe eſt. Et hoc modo ea quæ directè cadunt ſub fide, intelligere non poſſumus durante ſtatu fidei: ſed quædam alia ad fidem ordinata etiam hoc modo intelligi poſſunt. Alio modo contingit aliquid intelligi imperfectè, quando ſcil. ipſa eſſentia rei, vel veritas propoſitionis non cognoſcitur quid ſit, aut quomodo ſit: ſed tamen cognoſcitur ſecundum quod ea quæ exteriùs apparent, veritati non contrariantur, inquantum ſcil. homo intelligit, quod propter ea quæ exteriùs apparent, non eſt recedendum ab his quæ ſunt fidei. Et ſecundum hoc nihil prohibet durante ſtatu fidei intelligere etiam ea, quæ per ſe ſub fide cadunt.* Quod quidem etiam per habitum Theologiæ conſequimur; nam huic ſcientiæ tribuitur illud quo fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, per eamque ſcitur quid credi debeat, & quid non

credi,

credi, &c. videndus D. Thom. 2. 2. quæst. 9. art. 1. ad 2.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Arguitur 1. ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 13. ubi loquens de scientia Sanctorum, seu fidei, quæ est Theologia, asserit quod destruetur. Nec valet dicere quod non destruetur quantum ad id quod est formale, & essentiale in ipsa, nimirum species intelligibiles, & certitudo; sed quantùm ad modum, quo nunc intellectus inquirendo, & convertendo se ad phantasmata speculatur, accipitque sua principia per viam fidei, & credulitatis. 52. q. 20. de verit. art. 3. & loco cit. ad Corinth. lect. 3.

Non, inquam, valet; primò quia modus iste est dè essentia Theologiæ nostræ: sed ablato aliquo substantiali non potest rei substantia remanere: ergo non potest ipsa secundùm substantiam remanere modo isto cessante. Secundò, nam secundum Paulum prophetia neque quantùm ad substantiam manebit; sed non alia ratione, nisi quia caret evidentia rerum, de quibus est: ergo cum Theologia nostra careat evidentia rerum scitarum, neque ipsa manebit. Tertiò, quia etiam charitas destrueretur, cum modus habendi illam sit imperfectus respectu status patriæ, quod tamen negat Apostolus, *ibid.* 53.

Resp. quod modus iste cognoscendi non est essentialis ex parte sui, sed ex parte subjecti, cui secundum statum viæ talis modus cognoscendi competit: hoc autem per se solùm est essentiale scientiæ, ut per eam scibilia cognoscantur. 54. ibid. ad 2.

cantur. Et ideo quando variatur status subjecti, variatur modus cognoscendi, non tamen habitus scientiæ.

55. 1. Corinth. 13. lec 3. Resp. ad 2. quod prophetia evacuabitur, quippe quæ in gloria locum non habebit, quia prophetia respicit futurum: status autem ille non expectabit aliquid in futurum, sed erit finale complementum omnium eorum, quæ ante fuerant prophetata. Vnde in psal. 47. dicitur: *sicut audivimus*, scil. per prophetas, ita & *vidimus*, præsentialiter, *in civitate domini virtutum*. Scientia autem non est de contingentibus & futuris, sed de necessariis, & iis quæ sunt. Vnde non repugnat statui gloriæ sicut prophetia.

56. Resp. ad 3. quod imperfectio non est de ratione charitatis, ad quam cognitum bonum diligere pertinet; sed est de ratione scientiæ ex modo agendi. Vnde scientia dicitur evacuari, quoad modum scil. agendi, non verò charitas, sed tantum dicitur perfici; quia quò perfectiùs in patria cognoscetur Deus, eò ampliùs diligetur. *Ibidem.*

57. 3. dist. 31. q. 2. a. 1. c. & art. 2. ad 2. 1. 2. q. 67. a. 3. ad 2. & a. 5. c. Ex quibus patet ad rationem dubitandi initio positam; dicimus enim quod fides est causa Theologiæ, sicut etiam charitatis, & aliarum virtutum infusarum, secundum id quod est perfectionis in ipsa, cognitionem videlicet certissimam primæ veritati innixam; non verò secundum id quod imperfectionis involvit, nimirum obscuritatem, & ænigma. Fides autem quantum ad cognitionem manebit, ac subinde Theologia quoad habitum, & certitudinem.

58. Arguitur 2. destructo aliquo quod ad essentialem

tialem ac formalem rei alicujus rationem spectat, ipsa secundùm speciem manere nequit: sed ratio formalis Theologiæ nostræ, quæ ex S. D. est divina revelatio, non manet: ergo ratio formalis Theologiæ nostræ in patria non manet. Prob. minor, revelatio illa est essentialiter obscura, cum sit essentialiter à fide dependens: ergo destruitur quemadmodum & fides.


Resp. quod divina revelatio quantum ad id, 59.
quod convenit ei secundum se, manet; non 1. Co-
tamen secundum modum quem hic habet ex rinth.12.
indispositione subjecti imperfectè participantis lect.1.
illud divinæ revelationis lumen. Nam revela- Iob.4.
tio secundum se claram dicit perceptionem di- lect.3.
vinæ veritatis in se. Quo pacto dixit Aposto- Rom.8.
lus ad Rom.8. quod gloria divina revelabitur in sanctis: quia gloriam nunc equidem sancti occultatam in conscientia habent; tunc autem in conspectu omnium tam bonorum, quàm malorum revelabitur, & manifesta erit. Quod igitur in via illa revelatio obscura sit ex indispositione subjecti oritur, quæ tunc auferetur, & subinde quidquid Theologiæ ex ipso competit; non tamen id quod secundum se habet.

Arguitur 3. secundum Philosophum in 2. 60.
Ethic. capite 10. omnes habitus ex actibus q.20. de
acquisiti, producunt actus illis similes, à qui- verit.a.3.
bus acquiruntur; sed scientia Theologiæ, arg.3.
quam nunc habemus, acquiritur ex actibus obscuris, cum ex principiis fidei conclusiones deducantur: ergo si in patria maneret, similes actus redderet; sed hoc est impossibile, quia ibi erit clarissima, & facilis cognitio:

cognitio : ergo ipſa eadem ſpecie manere nequit.

61. Ibid. ad 3. Reſpondeo quod unus actus poteſt dici alteri ſimili dupliciter ; uno modo quantùm ad ſpeciem actus, quam trahit à materia circa quam eſt ; & ſic habitus acquiſitus ſemper reddit actum ſimilem illi actui, à quo generatus eſt, ſicut fortia faciendo efficitur aliquis fortis, & fortis effectus fortia facit. Alio modo quantum ad modum qui ſequitur diſpoſitionem ſubjecti, & ſic non oportet actus prædictos eſſe ſimiles. Conſtat enim quod actus ex quibus fortitudo politica acquiritur, ſunt actus cum triſtitia, & ſine delectatione effecti ; actus autem qui ſequuntur habitum ſunt faciliores & cum delectatione, vel ſaltim ſine triſtitia : ita videmus in ſcientia quod homo in conſiderando aliqua, ſcientiam illorum acquirit ; & ſciens illa poteſt eadem conſiderare, tamen alio modo quam ante ; quia jam non inquirit, ſed contemplatur. Dicimus itaque quod Theologia ſimiles actus, quantùm ad ſpeciem actus reddet, ſed non ſimiles quantum ad modum qui ſequitur diſpoſitionem ſubjecti, à qua habent illi actus quod ſint obſcuri.

ARTI



ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Sacra Doctrina sit una, vel plures?

CAPVT PRIMVM.

Quadam de unitate subjecti in esse scibili pramittuntur.

SACRAM doctrinam utcunque esse unam nulli dubium esse debet, nam ut scitè dixit lacteum illud Christianæ eloquentiæ flumen Lactantius lib. 3. divin. institut: *sicut est unus mundi rector, & constitutor Deus, una veritas, ita unam esse, ac simplicem sapientiam* (scilicet de eo) *necesse est. Quia quidquid est verum, & bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare.* Totus ergo difficultatis cardo in præsentiarum vertitur circa illius unitatis radicem, & modum; utrum scil. sit una scientia unitate specifica, necne; & unde veniat desumenda hujusmodi unitas in ipsa, cum de tot, & tam diversis rebus, Deo nimirùm, & creaturis agat? 1.

Observandum est 1. ab una veritate increata, quæ Deus est, veritatum multitudinem in animas nostras derivari; quemadmodum ab una specie objecti similitudines plurimæ in diversis speculis, aut in speculo fracto resultant. Veritas autem hujusmodi primò & per se consistit in primis principiis per se notis, per quæ de aliis 2.

q.1. de verit. art. 4. in 4. dist. 49. q.2. art. 7. & alibi.

omnibus, sive in operabilibus, sive in speculativis dijudicamus. Principia verò terminorum definitionibus innotescunt. Cum igitur scientia sit quædam intellectus perfectio in habitudine ad cognoscendum aliquod speciale verum, eatenus plura unificat, quatenùs ipsa in una veritatis ratione conveniunt, ut possit eodem modo de illis certum judicium, resolutivaque ac veluti definitiva sententia comparari; sed omne id per quod aliquid manifestatur, ac discernitur, perfectéque dijudicatur lumen est, ut testatur Apostolus *ad Ephesios* 5. patétque in luce hac visibili, cujus beneficio colores discernimus, ac de illis judicamus: Igitur prout aliqua nata sunt eandem illuminationem subire, seu eidem subesse lumini, & medio quo manifestentur, ac dijudicentur, ad eandem scientiam pertinent; sed illuminatio fieri nequit, nisi per quandam à materiæ fæcibus, & grossitie depurationem, in qua formæ lumen immersum veluti tegitur, aut obumbratur; igitur tandem denique oportet ad immaterialitatem devenire, ceu fontem cognoscibilitatis, ac cognitionis, unitatisque ipsius scibilis, ac scientiæ.

3. Notandum 2. quod finis cujuslibet scientiæ est ut habeatur cognitio de subjecto conclusionis demonstratæ, quod dicitur subjectum scientiæ; demonstrando de ipso passiones. Vnde unitas scientiæ ab unitate subjecti desumi dicitur; subjecti, inquam formaliter sumpti, & in esse scibilis, cujus cognitio ultimatè intenditur. Dicitur autem subjectum unum genus scibilis, cum ex parte ejus non sumitur aliqua differentia determinans, quæ sit à natura illius generis

Hic & art. 7. & 1. post. lec. 41.

generis extranea, ut si quis per principia mobilitatis communia probet, tum hominem, cum plantam habere naturaliter certum augmenti, ac decrementi terminum; non additur aliqua differentia extranea, ac subinde ipsa unum genus scibilis habent; ac respiciunt, pertinentque simpliciter ad eandem specificam scientiam. Secundum quid autem est unum genus, quando circa subjectum aliqua differentia extranea assumitur; & aliena à natura illius generis; sicut visuale est extraneum à natura lineæ, & sonus à genere numeri. Numerus ergo simpliciter, qui est objectum Arithmeticæ, & numerus sonorus non sunt unum genus subjecti simpliciter; similiter nec linea simpliciter, quæ est objectum Geometriæ, & linea visualis, quam considerat Perspectivus; subindeque diversæ constituuntur scientiæ penes numerum sonorum, nimirum Arithmetica, ac Musica; & penes lineam, & lineam visualem, sicut Geometria, atque Perspectiva. Videnda sunt quæ diximus *in Clyp. Philos. tom. 2. quæst. 15. artic. ultimo.*

4. Vt autem de subjecto cognitio acquiratur, oportet quod principia, & causæ ejus cognoscantur; tunc enim cognoscere arbitramur unumquodque, cum causas primas, & prima principia cognoscimus; idcirco in scientia oportet cognoscere quid sit; quod quidem cognoscitur per definitionem tanquam per medium probandi passiones de subjecto: unde tunc erit una scientia, quando erit unus medij modus propter unam formalem rationem immaterialitatis, quâ habet intellectum movere, & ei proportionari; quidditas enim rei intelligibilis

Ibidem; & 1. physic. cap. 1. lect. 1. 1. post. lect. 2.

est proprium objectum intellectus, & principium formale determinans ipsum, seu forma per quam agit; actio autem specificatur à principio agente formaliter sumpto, ac subinde à medio specificatur scientia, tanquam à principio formali per quam agit intellectus certam cognitionem; ratio autem sub qua movet, & agit, est immaterialitatis modus.

5. D. Thomas 1. Post. lec. 41. Finis autem scientiæ non est, ut habeatur quælibet cognitio de subjecto, sed ut passiones ejus manifestentur, & ei attribui demonstrentur. Quapropter conclusio demonstrata, ut visa in principiis, medij beneficio unientis utrumque extremum & illuminantis conclusionem, est finis ultimatus scientiæ, & objectum quod significatur, ut terminus ejus. Hoc autem non fit, nisi mediantibus principiis; idcirco ad unitatem specificam scientiæ requiritur primò unitas subjecti in esse scibilis; unitas medij, ceu causæ cognoscendi, & formæ intellectus; unitas objecti formalis; & unitas principiorum. Vnde unitas medij se habet quodammodo, ut formalis ratio *sub qua* omnia in genere scibilis unificantur; ratio autem *qua* est ratio subjecti scibilis, cujus cognitio in scientia quæritur.

6. Ad sciendum autem quæ sit ratio formalis scibilis subjecti Theologiæ, advertendum quod quemadmodùm in nobis necessarius est intellectus principiorum, qui versatur circa veritates quasdam complexas per se notas; ita & infunditur habitus fidei, quo cognoscamus articulos, tanquam prima quædam principia doctrinæ sacræ; cum hoc tamen discrimine, quod ad sumendam illorum principiorum notitiam, necessum est scire quid termini eorum significent, v.g.

ad

ad cognoscendum hoc principium, *homo est animal*, opus est nosse quid sit homo, quidve animal; & terminorum notitiam cognitione accepta à sensibus venamur; attamen notitiam principiorum fidei non accipimus per terminorum cognitionem sciendo quid sint, sed potius quid non sint, nec sensuum experientia ad hauriendam eorum cognitionem sufficit, quia nihil tale in sensibilibus invenitur; unde totum præstat superna revelatio, & divinum illud lumen afficiens voluntatem, & intellectum inducens ad certum assensum, non ex evidentia objecti, sed ex efficacia luminis voluntatem afficientis, ut velit assensum intellectualem certum præbere. Vnde revelata formaliter, propriè loquendo, sunt veritates complexæ, quibus intellectus per modum naturæ assentitur, & non ex notitia terminorum aut convictus evidentia objecti. Ratio ergo assentiendi est revelatio, quæ ex parte principij habitudinem dicit ad Deum revelantem, ex parte termini veritatem divinam certò cognitam, ex parte medij, & principij proximi, intellectum illustratum lumine divino & speciebus intelligibilibus, quæ ut participant virtutem luminis divini, virtutem habent ad inclinandum ad assensum certum.

Ex his manifestum redditur, quod esse revelatam aliquam veritatem, vel revelabilem 7.
non est pura denominatio extrinseca, aut aliquid omninò illi extrinsecum, sed quid intrinsecum, saltim si sumatur radicaliter, nimirùm prout ipsa res divinitùs cognoscibilis, est lumen quoddam intellectui nostro improportionatum, sed non omninò extraneum, ratione cujus natum est movere intellectum nostrum

ad sui cognitionem, non tamen secundum eas quas naturaliter habet vires, sed prout formatum lumine superno, ceu principio activo, & virtute præstante vigorem potentiæ intellectivæ in ordine ad veritatem illam, ut formata specie intelligibili ejus, ceu principio formali determinante, eliciat cognitionem supernaturalem de veritate illa, & in hoc distinguitur à cognoscibilitate seu scibilitate ordinis naturalis.

CAPUT II.

Sacram Doctrinam esse unam specie scientiam statuitur.

8. Dicendum est itaque sacram doctrinam esse unam specie scientiam respectu omnium de quibus agit. Huic conclusioni favet sacræ scripturæ authoritas, & loquendi modus, quæ ubique de hac doctrina, sicuti de una scientia loquitur, præsertim *Sap.* 10. ubi ait; *dedit illi scientiam sanctorum.*

9. Probatur conclusio ratione D. Thomæ; si Theologia non esset una scientia specie atoma, maximè quia de diversis agit rebus, nimirùm de Deo, & creaturis, tum corporalibus, cum spiritualibus, actibus virtutum, & moribus hominum; sed hoc non obstat: ergo est una scientia. Prob. min. potest una, & eadem scientia specie de diversis rebus agere, dummodo in aliqua formali ratione conveniant; sed Theologia de diversis agit, ut conveniunt in una formali ratione objecti, nimirùm ut revelabilia sunt;

sunt: ergo nil obstat, quin ipsa simpliciter sit una scientia. Major patet; eadem enim est habitudo potentiæ, & habitus ad suum objectum: sed unica specie potentia plura, & diversa attingit, prout in aliqua formali ratione objecti conveniunt v. g. potentia visiva unica specie existens diversa, sicut hominem & lapidem, corporaliaque omnia, prout colore induuntur: ergo pari modo potest unus, & idem scientiæ habitus de diversis rebus agere, dummodo conveniant in una aliqua ratione scibili.

Minor verò probatur, tota scibilitas objecti ex scibilitate principiorum dependet; per resolutionem enim ad principia de conclusionibus habetur visio, seu scientia, & cognitio certa; sed principia Theologiæ sunt articuli fidei divinæ, seù veritates formaliter revelatæ, & ut revelatæ à Theologo attinguntur, supponunturque notæ per se in scientia Dei: ergo cognoscuntur, & sciuntur conclusiones Theologicæ inquantum revelabiles, ac prout subsunt revelationi divinæ, seu principiis formaliter revelatis, per quæ certò cognoscuntur, ac resolutivum de eis judicium fertur; igitur omnia quæ ad Theologiam pertinent, spectant ad eam sub una formali ratione objecti, sive sint moralia, sive veritates divinæ speculativæ. Major patet ex Philosopho 5. *phys. cit.* Minor etiam est evidens, tum ex his quæ diximus, & probavimus supra, nimirùm principia Theologiæ debere credi fide divina, tum authoritate D.Thomæ, & communi Theologorum sententia. 10. **D. Th. ibidem lec.1. videndus.**

Secunda consequentia, quantum ad veritates morales probatur, non enim de moribus in Theologia est sermo, quemadmodum in 11.

scientia morali, in ordine ad beatitudinem naturalem, sed quatenùs per eos homo practicè dirigitur in vitæ æternæ finem, quæ est contemplatio perfecta Dei in se, & fruitio ejus; sed nequit illa ordinatio, & directio per sola communia principia operabilium, & cognitionem naturalem finis debitè fieri: ergo altiora exigit principia, & cognitionem finis excedentem, qualis est revelatio divina. Major patet ex illo Isaïæ 63. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te:* ergo dilectio Dei non ordinatur ad quemcunque finem prout à Theologia respicitur, & est virtutis Theologicæ actus, sed finem supernaturalem & excedentem, & prout sunt meritorij ejus, quatenùs in gratia radicantur. Minor verò probatur, quod quis voluntariè mortem oppetat, & crucem confusione contempta, non cadit sub aliquo principio communi operabilium, & naturali; quia si ratio dictat bonum esse amplectendum, & malum fugiendum, ignominiosa mors, dum apprehenditur ut malum naturale, & morale, profectò non cadit sub illo principio: ergo sub altiori, & revelato; nimirùm, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* ergo operabilia particularia in ordine ad finem sunt etiam practicè revelabilia per habitudinem, quam dicunt ad præcepta formaliter revelata, ceu principia eorum. Antec. confirm. authoritate D. Augustini *tract.1.de discip.Christiana cap.12.*dicentis. *Quare mortes martyrum, oculos carnis interroga, malè mortui sunt. Oculos fidei interroga, pratiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Quidquid ergo est quod exhorres in morte, omninò non*

non exhorreas, si eos imitaris id age, ut bonam vitam habeas; & quacunque occasio fuerit, ut exeas de hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem qua nec habet timorem nec finem.... Finem respice, Christianus es, oculum fidei intende.

Quod autem spectat de assensibus conclusionum ex uno principio naturali, & altero de fide deductarum, omninò dicimus non esse specie distinctos; tum quia principium Theologicum in ratione principij inferentis non est naturale sed revelatum, ut supra demonstravimus; tum quia conclusiones illæ certæ sunt theologicè, suntque veritates de se excedentes; v. g. ergo Christus est risibilis: ergo stant sub ratione revelabilitatis formaliter, & adæquatè; quia ut diximus, propositionem esse revelabilem dicit aliquod lumen veritatis divinæ imbibitum, & de se improportionatum captui intellectus, & rationis naturalis; quod habent omnes illæ propositiones, seu conclusiones theologicæ deductæ: ergo sunt ex natura sua revelabiles, & dicentes habitudinem ad revelationem principiorum sub eadem ratione qua aliæ conclusiones procedentes ex utraque præmissa revelata formaliter. 12.

Confirmatur: quæcunque conveniunt in ratione una subjecti scibilis possunt ad unam scientiam pertinere, sed divina scientia determinat de rebus per rationem divinam, quæ una existens omnia complectitur, etiam secundum particulares eorum rationes: ergo ipsa una specie existens potest de diversis rebus agere, prout conveniunt formaliter in illa ratione, ratione cujus unam subordinationem formaliter sortiuntur. 13. 1. sent. prol. art. 2.

tiuntur. Major patet: nam Metaphyſica plura omninò diverſa conſiderat, nimirùm ſubſtantiam, & accidens, prout conveniunt in ratione entis; atque finitum, & infinitum, prout ſunt paſſiones ejus. Minor verò prob. quia quæcunque à Theologia reſpiciuntur, ad Deum dicunt habitudinem, ſicut ad unum genus ſcibilis, in quantum ipſum attendunt, ut principium, & finem, ſcilicet ſupernaturalem, prout ab ipſo, & ad ipſum ſunt: ergo divina ſcientia determinat de rebus per rationem divinam, quæ omnia complectitur, etiam ſecundum particulares eorum rationes.

14. Nota breviter quod omnia dicuntur reſpicere Deum ut principium, & finem, videlicet in ſe cognoſcibilem, & non ex effectibus, ſicut in Metaphyſica contingit, ſed ut revelabilem, ſeù cognoſcibilem per revelationem quantùm ad ea quæ illi attribuuntur, ceu paſſiones quædam, vel effecta; v.g. ipſi attribuitur quod ſingularia per ſe cognoſcat, etiam ſecundum proprias eorum rationes, & deducitur ex hoc principio revelato, Deus habet perfectiſſimam providentiam de omnibus etiam ſingularibus, & actibus eorum: ſed non poteſt perfectè providere niſi cognoſcat, quia providentia eſt directiva rerum in finem; quod abſque perfecta cognitione perfectè fieri nequit: ergo cognoſcit ipſe perfectiſſimè ſingularia ſecundum proprias rationes, & operationes eorum. Deus qui eſt ut ſubjectum ſcibile concluſionis demonſtratæ, ſubeſt revelationi divinæ quoad hoc quod de eo paſſiones demonſtrantur, quæ nonniſi per revelationem attribui illi demonſtrativè, & certò poſſunt.

CAPUT

CAPVT III.

Quomodo causa, vel cognitio quò altior, & universalior, eò ad plura se dicatur extendere.

ANtequam ad diluenda argumenta contraria procedamus, examinandum venit 15.
quoddam axioma, quo passim utitur D. Thomas, nimirùm: *quod quantò aliqua causa, vel cognitio altior, seu universalior est, tantò est magis unica, & ad plura se extendit absque diversitate.* Supponendum quod aliqua causa seu ratio potest dici universalior dupliciter, primò in prædicando, & per modum actus inchoati, seu imperfecti, ac totius potentialis; quo pacto vivens est universalius animali, continet enim ipsum animal, & plantas etiam, potentiâ tamen formali indeterminatâ, & in actu inchoato, ut fusè explicuimus alibi. Vnde secundùm veram rationem habet de illis prædicari. Secundò potest dici universalior in causando, & per modum actus perfecti, quia videlicet forma per quam agit, habet majorem actualitatem essendi, & virtus ejus ad plura se extendit, v. g. cœlum dicitur universalius quolibet alio corpore naturali, in causando; quia forma per quam agit in inferiora motu suo, & lumine est perfectior, & magis in actu mobilis, utpote minus immersa materiæ, & ut instrumentum Angeli moventis, qui est actus perfectus per se subsistens.

Cum

16. Cum ergo dicitur quod causa, vel cognitio eò perfectior est, quò universalior, & ad plura se extendens, non est sermo de universalitate in prædicando, & quæ sequitur potentiam formalem indeterminatam, sed de universalitate in causando, & quæ sequitur actualitatem perfectam: nam agere sequitur ad esse actu; igitur quò perfectior fuerit, & magis in actu forma quæ est principium formale per quod agit, eò erit universalior in causando, & magis unica in ratione principij formalis. Consequentia probatur, nam forma non dividitur, nisi per divisionem subjecti, & materiæ, seù potentialitatis: ergo quò magis fuerit ab his elongata, eò magis carebit divisionis, & limitationis principio, ac subinde erit magis una, & ad plura secundum virtutem, & efficaciam formæ se extendens, sed de his alibi.

17. Quantum ad id quod spectat ad præsens de cognitione; scito, quod sicut universalitas causæ in agendo sumitur secundum formam per quam agit, ita, & cognitionis altitudo debet desumi à principio formali ejus, quod est quidditas rei, seu quod quid est. Ipsum namque est prima ratio cognoscendi perfectè aliquid, & intelligendi: ergo cognitio erit altior, & plura sub se comprehendens, cujus medium, & causa cognoscendi erit efficacior, & magis in actu secundùm rationem movendi intellectum cognoscentis. Hinc est quod intellectus Dei, qui est altissimus, per lumen quod est ipse Deus, id est, per divinam essentiam, ceu medium cognoscendi, sui ipsius, & omnium rerum cognitionem propriam, atque distinctam habet. Quidquidenim perfectionis est in quacunque creatura,

creatura, totum praexistit, & continetur in Deo secundùm modum excellentem, etiam perfectiones illae per quas ab invicem distinguuntur, sicut vivere, & intelligere: quia divina essentia comparatur ad illas omnes, sicut actus perfectus ad imperfectos; quemadmodum numerus senarius ad unitatem, binarium, ternarium, quaternarium, & quinarium, omnes enim istae numeri species sunt actus non adaequantes perfectionem senarij, & forma totalis senarij has omnes complectitur, & praeterea unitatem ultimam, ceu propriam perfectionem per quam ab eis distinguitur. Vnde sicut ratio senarij est ratio cognoscendi seipsum & binarium &c. ita & essentia divina est ratio cognoscendi se, & alia omnia.

Manifestum est autem quod Theologiae doctrina cum sit quaedam impressio scientiae divinae habet medium cognoscendi universalius, & perfectius, nimirum deitatem in ratione principij & finis divina revelatione cognoscibilem, & sub divino lumine efficaciam habent ejus principia, quod altissimum est, cum sit immediata quaedam participatio Dei in se, prout ejus esse, seu essentiae est ratio cognoscendi omnia; optimè ergo concluditur, quod ipsa una existens plura, immò omnia sub una ratione formali scibilis, seu cognoscibilis per revelationem complectatur, unica manens, & non diversificata secundùm diversas scibilis rationes. 18.

Sicut autem medium cognoscendi, scilicet divinum lumen est altissimum, ita & principia ejus prima universalissimam habent efficaciam, & per resolutionem ad ea potest haberi propria 19.

omnium

omnium quæ sunt cognitio. Ejus principia simpliciter prima, & universalissima sunt, quod Deus sit, & providentiam de rebus habeat in
D.Th. ibid. lect.2. ordine ad finem supernaturalem secundùm illud Apostoli ad Hebræos 11. cap. *Credere oportet accedentem ad Deum quia sit* (nimirùm unus in Trinitate subsistens, & specialiter colendus) *& inquirentibus se remunerator sit*, largiendo dona gratiæ, ut inquirant, & coronando opera per præmium vitæ æternæ. Per hæc de omnibus redditur ratio certa, etsi non evidens quoad nos: & licet ad reddendas causas, & rationes rerum, adinventæ sint plures scientiæ, quia tamen judicium earum fit per causas minùs universales, ista unica existens judicium sub una ratione profert reducendo ad hæc principia, prout sunt nobis expressè revelata, ac subindè infallibilia.

20. Doctrinam hanc exemplo illustremus desumpto ex partubus monstruosis animalium, qui ad triplicem causam reduci possunt; nimirùm ad causam proximam, scil. defectum in semine, quod est generationis principium activum; ad corpus cœleste, quod per motum suum est causa generationis primaria; & ad providentiam divinam. Prout judicium fit de eis per causam proximam, ad naturalem spectat; si nequeant reduci ad hoc principium, judicium accipitur per Astronomiam, quæ est scientia superior naturali; & si hujusmodi effectus ad neutram ex his causis reduci queant, ad considerationem divinæ providentiæ, quæ est causa superior, recurritur, fitque judicium de hoc effectu in particulari, eò certius, quo altius principium est providentia, quam sit corpus

corpus cœleste, vel virtus activa seminis. Et sicut de hoc effectu accipitur judicium per providentiam quæ est directiva rerum in finem, ita & de multis aliis puta de pœnis innocentium, & morte martyrum, ad quæ nec Astrologus, nec naturalis pertingere queunt, ut patet de morte Christi. Theologia ergo una existens de his considerat sub una ratione, de quibus & Astrologus, & naturalis sub diversis rationibus principiorum agunt. 2.2.*q*.51.*art*.4.

§. I.

Solvuntur argumenta.

Arguitur 1. una scientia est quæ est unius generis subjecti, seu unius scibilis; sed Deus, & creatura, de quibus in sacra doctrina agitur, non continentur sub uno genere subjecti: ergo sacra doctrina non est una scientia. 21.

Confirmatur, ea quæ sunt ab opere nostro, sicut opera virtutum, & quæ sunt ab opere naturæ, ad eandem scientiam non pertinent; sed sacra doctrina determinat per se de his, quæ sunt ab opere nostro, puta actionibus moralibus, & virtutum actibus, & etiam de Deo, Angelis & aliis rebus naturalibus, quæ ab opere nostro non derivantur: ergo una scientia specie atoma esse nequit. Major patet, scientia namque moralis, & naturalis per id distinguuntur, quod Moralis de his agat, quæ ab opere nostro sunt; Naturalis verò de rebus naturalibus, & mobilibus, quorum principium est natura disputet.

Respondetur ad argumentum ex S. D. quod sacra doctrina non determinet de Deo, & crea- 22.
turis

turis ex æquo, sed de Deo principaliter tanquam de subjecto per se scibili, de creaturis autem ut referuntur in ipsum, ut ad principium, & finem, divina revelatione cognoscibilem. Vnde unitas scientiæ non impeditur, quæ ab objecto desumitur, non quomodocunque, sed formaliter sumpto, secundum quod ratio ejus est medium cognoscendi omnia quæ ipsi attribuuntur, vel de eo demonstrantur, vel quoquo modo ad scientiam spectant. Habet enim quælibet res aliquo modo rationem utilis in ordine ad Deum; seù ut ducat nos in cognitionem finis supernaturalis, & amorem fruitionemque ejus; Christus ut via, & causa prædestinationis nostræ, qui per passionem suam nobis præbens exemplum, quomodo sequamur vestigia ejus, & sanguinem fundens meruit introitum Regni cœlestis, virtutes verò, dona supernaturalia, & gratia, tanquam ea per quæ Deo conjungimur, ut explicuimus supra.

23. Ad confirmationem respondet D. Thomas dicens quod nihil prohibet inferiores potentias, vel habitus diversificari circa illas materias, quæ communiter sub una potentia, vel habitu superiori cadunt; quia superior potentia, vel habitus respicit objectum sub universaliori ratione (universaliori inquam, non in prædicando, vel ex parte rei cognitæ, sed universaliori in causando, & ex parte medij cognoscendi) sicut objectum sensus communis est sensibile quod comprehendit sub se visibile, & audibile (non sicut genus comprehendit species in potentia formali indeterminata, & actu inchoato; sed sicut actus perfectus comprehendit imperfectos, habetque perfectiorem immutandi sensus

sensus rationem, utpote minùs materiæ immersam, per quam ipsas quoque sensuum particularium immutationes apprehendit, & inter eas discernit ac dijudicat) Vnde sensus communis, cum sit una potentia extendit se ad omnia objecta quinque sensuum; & similiter ea, quæ in diversis scientiis Philosophicis tractantur, sacra doctrina una existens considerat sub una ratione superiori, prout nimirùm sunt divino lumine cognoscibilia, seù divinitùs revelabilia, *Vt sic sit velut quadam impressio divinæ scientiæ, quæ est una simplex omnium*, in quantum habet unum medium cognoscendi, scil. essentiam divinam per quam de omnibus judicat, Theologia verò habet deitatem divina revelatione cognoscibilem, per quam similiter de omnibus fert judicium.

Arguitur 2. Ea de quibus Theologia tractat non sunt ejusdem immaterialitatis, ut patet; sed unitas specifica scientiarum speculativarum ab immaterialitate, ceu ratione formali sub qua desumenda venit: ergo sacra Theologiæ doctrina non est una scientia specie. 24.

Respondeo communiter quod in Theologia non desumitur unitas ab hujusmodi immaterialitate, sed à revelatione virtuali: sed hæc solutio communior est, quàm vera; unde mihi non probatur. Primò quia hæc scientia est certior aliis, ut docet infra D. Thomas *art.* 5. ergo secundùm se respicit magis immobilia, & necessaria; sed non sunt magis immobilia, & necessaria, nisi quia magis à materia separata, saltim secundum rationes per quas cognoscuntur: ergo ratio sub qua hujus scientiæ necessariò est quidam immaterialitatis modus, seù abstractio 25.

à materia. Min. prob. incertitudo causatur per
1. post transmutationem materiæ sensibilis, unde quan-
lect. 41. tò magis acceditur ad eam, tantò scientia est
minùs certa. Qua ratione Aristoteles *ibidem*
docet scientiam quæ non est de subjecto certio-
rem esse illa, quæ est de subjecto, hoc est, ma-
teria sensibili: ergo non sunt aliqua magis im-
mobilia, & necessaria, nisi quia magis à mate-
1. p. q 14. ria separata secundùm rationes suas. Secundò
art. 1. c. quia immaterialitas alicujus rei est ratio quod
sit cognoscibilis, & secundùm modum imma-
terialitatis est modus cognitionis; sed Theo-
logiæ scientia habet specialem modum cogni-
tionis, & specialia cognoscibilia: ergo specia-
lem modum immaterialitatis, tanquam ratio-
nem formalem sub qua. Tandem quia Theolo-
Hic in giæ scientia est quædam impressio scientiæ di-
corp. vinæ, quæ pro medio, & ratione sub qua ha-
bet essentiam divinam, quæ est in summo im-
materialitatis gradu: ergo & Theologia quo-
dammodo hanc immaterialitatem imitari de-
bet, & eam habere, ceu rationem formalem
sub qua.

26. Respondeo itaque quod ex modo cognoscen-
di hæc scientia habet specialem immaterialita-
tis modum superiorem illo, qui est Metaphysi-
1. sent. cæ. Cum enim contemplatio Dei fiat duplici-
prol. art. ter; una per creaturas, quæ imperfecta est, cum
1. sint effectus non adæquâtes essentiam ejus; alia
perfecta, quâ videtur immediatè per suam es-
sentiam; quæ erit in patria, & est homini pos-
sibilis secundùm fidei suppositionem, doctrina
Theologiæ ad illam Dei complationem perfe-
ctam, & in se quodammodo attinet, cognos-
cendo Deum, non per cognitionem à creatu-
ris

ris sumptam, sed immediatè ex divino lumine inspiratam. Quod quidem lumen est perfectius quolibet lumine creato, & magis certum, seu immobile, ac subinde minus obumbratum, materiæque immersum. Habet igitur Theologia divina in suis principiis, & ratione formali scibilitatis immaterialitatem perfectiorem, ex parte medij cognoscendi. Et licet ea de quibus agit in genere entis non sint æqualis omninò immaterialitatis, sed multum diversæ ac discrepantis, attamen ex parte medij cognoscendi, quod est divinum lumen, seu divina revelatio, ac perceptio veritatis divinæ in seipsa, conveniunt, quod sufficit. Quia neque illa, de quibus Metaphysica pertractat, sunt ejusdem immaterialitatis in se; Deus enim & intelligentiæ ita abstrahunt, ut secundùm rationem suam in materia esse nequeant: cætera verò ità à materia depurantur, quod licet in earum ratione materia non includatur; attamen de ratione earum non est, ut sint absque materia, tamen ut Deus, & Angeli pro hoc statu ex effectibus sensibilibus cognoscuntur, non sunt majoris abstractionis cæteris, de quibus agit Metaphysicus, & hac eadem ratione dicimus, quod ut Deus Angeli &c. sunt cognoscibiles per divinam revelationem, seù ut revelabilia sunt ejusdem immaterialitatis, & immobilitatis. Adde quod Deus est præcipuum & per se subjectum formale scibile, alia ut dicunt habitudinem ad ipsum, sub qua ratione eundem immaterialitatis modum quodammodo subeunt. Quod verò agit de actibus humanis, & operibus hominum, in quorum ratione necessariò includitur materia, hoc habet inquantum

practica est, sed ultima ratio sub qua omnia cognoscuntur, & verificantur, est revelabilitas, seù revelatio divina.

27. Instabis contra hujusmodi revelabilitatem, seu revelationem, virtualem, quam constituimus rationem formalem subjecti, seu objecti Theologiæ: Primò, quia ratio formalis ponit aliquid in objecto, cujus est ratio; sed revelabilitas nihil ponit in re: ergo nequit esse ratio formalis ipsius Theologiæ, verificans omnia, quæ ad ipsam spectant.

28. Confirmatur, quia revelatio divina vel sumitur activè ex parte Dei, vel passivè ex parte nostra? Si primum, certum est, quòd nihil intrinsecè ponat in re revelabili, vel revelata, cum sit aliquid immanens in Deo, sicut neque cognitio ponit aliquid reale intrinsecum in ipso objecto cognito. Si sumatur passivè, sic est aliquod lumen habituale perficiens intellectum nostrum, incircunscriptum, & nullius rei determinatæ, efficiens cognitionem, sicut est lumen fidei: ergo revelatio divina nullatenus potest esse ratio formalis Theologiæ.

29. Respondeo ad argumentum quod revelatio, ut se tenet ex parte Dei testificantis est quid extrinsecum; ut se tenet ex parte potentiæ est aliquid intrinsecum perficiens ipsam ad cognoscendam veritatem divinam; ut se tenet ex parte objecti revelabilis, est aliqua lux superior imbibita per modum hypostasis in excedente & superiori intelligibili, vel lux derivata ex lumine superno perficiente intellectum agentem, quæ inesse intelligibili ultimatè, & motivi intellectus perficit objectum, estque ei quid intrinsecum, sicut lux solis, ut efficiens coloratum

ratum actu lucidum in esse visibilis, & motivi in actu visus, est quid intrinsecum, esto in genere entis extrinsecum sit. Ex quibus ad confirm. patet, dico enim quod revelabilitas est aliquid ex parte objecti, per modum luminis divini imbibiti in natura intelligibili quæ excedit intellectum humanum, per cujus species determinatur lumen divinum ex parte intellectus se tenens, sicut lumen naturale determinatur per species intelligibiles objectorum, ut aliquid determinatè intelligat.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Sacra Doctrina sit scientia practica?

CAPVT PRIMVM.

Vnde sumatur ratio practici & speculativi in scientiis?



SCIENDVM quod nihil scitur nisi verum, quemadmodùm nihil appetitur nisi bonum, aut boni umbram habens. Accidit autem verò secundum se, & rationem suam, quod ad opus ordinetur; de sua enim ratione dicit rationem manifestativi duntaxat, & adæquationem sui, seù conformitatem cum intellectu. Idcirco practicum non est essentialis ipsius intellectus differentia, qui habet respicere verum absolutè, & in communi, sed accidit ei ab extensione ad 1.

appetitum, à quo habet efficienter moveri, & ad aliquod verum operabile modo operabili ordinari. Eapropter non est differentia essentialis ipsius intelligibilis, aut scibilis absolutè sumpti, sed in quantùm induit aliquam rationem boni, & operabilis modo operabili, & in exercitio, itaut intellectus scientis non intendat ipsum scibile, ut cognoscens fiat, aut sciens, sed ut efficiatur rectè operans. Quapropter de Ethica, seu Morali sermonem faciens Aristoteles dixit; *hujusmodi sermonem suscipimus, non ut scientes simus, sed operantes.* Nam sub ea duntaxat ratione, qua scibile habet in re boni rationem, vel convenientis appetitui, natum est movere appetitum, qui intellectum applicat, ut modo directivo, & operabili ad illud scibile tendat. Vnde scientia speculativa dicitur, cujus finis non est nisi scire; scientia autem practica est, cujus finis est operari.

2\. 3.cont. gent. c. 97. Licèt autem ratio, seù scientia practica, & speculativa fine differant, atque objecto, conveniunt tamen in hoc, quod sicut ratio speculativa incipit ab aliquo principio, & per media ad conclusionem intentam devenit, ita ratio seu scientia practica, & operativa incipit ab aliquo principio, & per aliqua media devenit ad operationem, vel operatum, quod intenditur. Principium hujusmodi in speculativis est quod quid est rei, seu natura, & forma ejus, quæ est ratio cognoscendi ipsam; & medium ad probandum passiones, vel proprietates aliquas de ipsa. In operativis autem principium est finis, qui quandoque est forma, aliquando aliquid aliud, v. g. finis ædificantis est constructio domus secundum aptam formam,

mam, & dispositionem ad habitandum, & propter hanc disponuntur, & fiunt omnia quæ ad domum pertinent, sicut tectum, paries &c. Et ex fine fertur judicium de omnibus.

Eapropter sicut scibilitas subjecti in scientiis speculativis attenditur secundùm habitudinem ad medium demonstrandi, & principia simpliciter prima in genere aliquo scibilis speculativi; quæ enim ex alteris sunt principia in principia simpliciter prima tandem resolvuntur ut efficaciam demonstrandi habeant; ita in scientiis subjecti operabilis dirigibilitas, seu ordinatio attendi debet secundùm finem præcipuum, & principia operabilium simpliciter prima in illo genere; sicut dolatio lapidum, & compaginatio lignorum, & quælibet dispositio materiæ est in ordine ad constructionem domus secundùm aptam, & congruam dispositionem ad habitandum; & hæc omnia secundùm principia artis domificandi simpliciter prima regulantur, ut recta sint. 3.

Duplex est rectitudo in operabilibus; alia artificialis, moralis altera. Rectitudo moralis desumitur penes finem moralium, scil. bonitatem moralem. Bonitas autem moralis desumitur ab objecto in esse moris primariò, & essentialiter, quia habet rationem formæ. Objectum autem dicitur bonum in esse moris, quando est consonum rectæ rationi, & legi. Vnde lex, seu legis præcepta sunt principia per quæ regulantur opera nostra, seu actiones morales, & per ea dijudicamus de illis. Rectitudo autem artificialis desumitur penes finem artificialium, qui est bonum ipsorum, ut scil. sint conformia regulis artis, & fini intento; bonum enim artis 4.

est in ipsis artificiatis, v. g. bonum domus constructæ est quod sit aptè disposita, & concinnata juxta regulas artis, ut nos valeat à nive, frigore, & aliis inclementiis temporum, vel incommodis sublevare. Idcircò discrimen inter veritatem practicam, & speculativam in hoc reperitur, quod veritas speculativa in scientiis sumitur per adæquationem conclusionum ad principia speculativa, & rationes rerum quæ sunt medium demonstrandi; sed in practicis moralibus per adæquationem conclusionum seu electionum ad legem, seù legis præcepta per quæ regulamur, & dirigimur practicè ad operandum rectè in ordine ad finem, per quem, ceu medium, de omnibus judicium fertur, & dicitur bonum, vel malum opus, prout conforme, vel difforme fuerit legi, & fini, & ab eis discordans, vel cum eis consonans.

5. Finis Theologiæ seu sacræ doctrinæ est nos in cognitione recta Dei, ac divinorum perficere, ne circumferamur omni vento doctrinæ, sicut gentes quæ Deum ignorant, & hoc mediante revelatione, ut ratione formali scibilitatis suæ, ut supra fusè explicuimus, & prætere nos dirigere in operatione recta; utrumque in ordine ad Deum, ceu principium, & finem supernaturalem, tam cognitio, quam operatio destinantur. Vnde utriusque principia stant sub eadem formali ratione revelationis. Per revelationem enim, & non aliter didicimus, quod Deus sit unus in Trinitate subsistens, & quod diligentibus se remunerator sit largiendo gloriam; principium, & finis supernaturalis, ut patet ex illo Apostoli ad Hebræos 11. *Oportet accedentem ad Deum credere quod sit,*

&

& diligentibus se remunerator sit. Quæ sunt duo principia simpliciter prima Theologiæ, & fidei nostræ, ex quibus cætera efficaciam habent, & de conclusionibus Theologicis per ea accipitur judicium, tùm in speculativis, quàm practicis, seù moralibus. Hoc enim principium moralitatis Christianæ, *Inimicus est diligendus*, vel *sustinendum fortiter Crucis opprobrium*, vel *diligendus Deus amore perfecto, & supernaturali*, in tantum efficaciam habent, in quantum regulantur principio illo, Deus est finis supernaturalis creaturæ, remunerans & dilectionem inimici, & mortis opprobrium. Et conclusiones practicæ, quæ ex his principiis operabilium, seù lege divina deducuntur; v. g. quod hic & nunc sit propter Deum subeundum martyrium, vel condonanda injuria inimico, proximè dijudicantur per regulas illas operabilium, & exempla majorum, præsertim Christi, cujus vita, ut diximus, lex morum fuit. Similiter conclusiones speculativæ; v. g. quod Deus habeat de rebus singularibus perfectam cognitionem, deducitur ex illo principio quod Deus sit, & providentiam de rebus habeat, præsertim de actibus humanis, ut coronet merita, & demerita puniat, & sic de cæteris.

Restat modò examinandum quomodo conclusiones tam diversæ, seù potiùs cognitio earum sit practica, & speculativa, itaut idem habitus sub una formali ratione revelabilitatis eis assentiens, & per principia illa revelata dijudicans, utrumque complectatur; sciendum est quod potest aliquid formaliter in alio contineri duplici modo: primò secundum rationem & esse ipsius formæ absolutè sumptæ; 6.

secundò

secundò quoad modum essendi proprium quem habet, non quidem secundum se absolutè, sed ut in hoc, sicut sensitivum absolutè dicit principium quo aliquid sentit, & cognoscit per apprehensionem objecti, sed sensitivum in homine & leone contrahit specialem in operando modum, nam cognoscit objecta sensibilia homo sine necessitate, appetendi illa, vel respuendi, propter conjunctionem sensitivi ad rationalem appetitum, qui in res cum differentia potestativa fertur, quod leo vel brutum carens ratione non habent. Cum itaque dicatur aliquid perfectius in quantum plures in eo perfectiones continentur, continere plura formaliter secundum esse, & rationem formæ absolutè, ad perfectionem pertinet, quia omnis forma est ut actus quidam, & perfectio Dei, sed continere modo proprio essendi in hoc, perfectionem non importat de se absolutam; sed huic & secundum quid v.g. sentire sicut leo sentit, non est perfectio absolutè, sed est perfectio huic, scil. leoni, esto ex parte subjecti, quando scilicet consequitur ad formam in suo optimo subjecto, & perfectissimo, sit perfectio haberi tali modo, vel accedere ad talem habendi modum, quo pacto sensitiva, quæ magis ad modum cognoscendi rationalium appropinquant, perfectiora sunt. Idcircò quod sic continet, formaliter se habet, ut actus perfectus continens plures imperfectos, & inadæquatos; sicut senarius numerus est ut actus perfectus respectu ternarij, & binarij, ut ex D. Thoma supra notavimus. His suppositis ad resolutionem difficultatis accedamus.

CAPVT

CAPUT II.

Theologiam esse simul practicam, & speculativam statuitur.

7. Dicendum est primò : Theologia prout in nobis non est practica duntaxat, aut purè speculativa ; sed simul practica, & speculativa. Prima pars conclusionis probatur. De ratione scientiæ simpliciter practicæ est quod subjectum ejus sit operabile, seu dirigibile in opus modo operabili, & conformiter ad principia operabilium, finisque ejus sit operatio, seu operatum aliquod ; sed in subjecto scibili Theologiæ formaliter multa continentur, quæ non sunt operabilia modo operabili, seu dirigibilia in opus, nec finis cognitionis eorum de se est operatio simpliciter, aut aliquod operatum : ergo Theologia nostra secundum omnia quæ formaliter ambit non est omnimodè, & simpliciter practica. Major patet, exemplificando in omnibus scientiis operativis seù practicis, nam Moralis subjectum est operatio humana prout progreditur ab appetitu recto, & conformi dictamini rationis, & legi in ordine ad finem rectum, & bonum ; ædificativa est de ædificiis & ratio est ; quia quælibet scientia dicit intrinsecam habitudinem ad suum subjectum, sub aliqua formali ratione scibilitatis, vel absolutè sistendo in scibilitate & contemplatione veritatis ut speculativa scientia, vel ordinando ad opus, ut practica ; si autem

Hic in sed cont.

ſubjectum ordinatur ad opus, formaliter reſpicitur ut operabile, vel ut dirigibile in opus.

8. Minor verò probatur. Subjectum primum, ac præcipuum Theologiæ eſt ipſe Deus, quâ Deus eſt hæc eſſentia, ut fatetur ipſemet Scotus; ſed Deus ſub ratione quâ eſt hæc eſſentia non eſt operabilis à ſciente, neque per ſe dirigibilis in opus ſecundum omnes veritates neceſſarias de ipſo demonſtrabiles: ergo in ſubjecto ſcibili Theologiæ multa formaliter continentur, quæ non ſunt in opus per ſe dirigibilia, vel operabilia. Prob. min. tum quia omne operabile eſt contingens eſſe, & non eſſe; veritates autem neceſſariæ non poſſunt non ineſſe ſubjecto per ſe primo; tum etiam quia Deus, ut eſt hæc eſſentia, eſt ſubjectum maximè cognoſcibile, ſeu intelligibile, & ſpeculabile, & operatio intellectus circa illum eſt maximè perfecta in linea cognitionum humanarum; ſed ſpeculatio, & contemplatio veritatis, quæ quæritur propter ſe eſt perfectior cognitione practica, & certior, nam practica ſe habet ex additione reſpiciendo ſubjectum circa quod operetur: ergo cognitio Theologica Dei inquantum eſt hæc eſſentia eſt potiſſimùm, ac præcipuè ſpeculativa, & non practica.

q.3.prol. q.2.laterali.

1.poſter. lec.41.

9. Arg. 1. & 2. Secunda pars probatur 1. ſacra doctrina ad operationem ordinatur: ſecundum illud Iacobi 1. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm:* ergo ſacra doctrina non modò ſpeculativa, ſed etiam practica ſcientia eſt 2. Quia ſacra doctrina per legem veterem, & novam dividitur: ſed lex pertinet ad ſcientiam moralem (cum ſit directiva operationum humanarum) quæ eſt practica: ergo ſacra doctrina eſt practica. 3. Quia

Quia Deus, qui eſt ſubjectum hujus ſcientiæ, non modò eſt primum ac ſupremum intelligibile, ſed etiam eſt ultimus finis, & beatitudo objectiva rationalis creaturæ: ſed ſicut reſpicere primum, ac maximè intelligibile ad ſcientiam, quæ præcipuè ſpeculativa eſt, nimirum Metaphyſicam pertinet, ita reſpicere beatitudinem, ac de felicitate humana agere, quæ eſt ultimus finis operationum humanarum ad practicam ſpectat: ergo Theologia eſt ſimul practica & ſpeculativa.

Secunda concluſio; Theologia eſt ſimul practica, & ſpeculativa, non modò virtualiter, ſed etiam formaliter, non quidem ſecundùm modum proprium eſſendi practici, & ſpeculativi, prout ſunt quædam differentiæ limitantes eſſentialiter, & contrahentes amplitudinem habitus cognoſcitivi circa ſpecialem rationem cognoſcibilem abſolutè, vel cum ordine ad opus; ſed ſecundùm rationem, & eſſe practici, ac ſpeculativi. Prob. ſacra doctrina una exiſtens formaliter perficit hominem, non modò in contemplatione Dei, veritatumque divinarum ſcibilium de ipſo, ſed etiam in recta operatione circa finem ſupernaturalem: ergo eſt formaliter practica, & ſpeculativa. Antecedens prob. ſacra doctrina eſt quædam divinæ ſcientiæ impreſſio, quatenus Deum, ut in ſe cognoſcibilem contemplatur per medium, quod eſt Deitas ipſa, ut cognoſcibilis per revelationem; ſed ſcientia Dei per unam rationem formalem, quæ eſt Deitas attingit, ſeu cognoſcit ſe,& ea quæ facit; ergo ſacra doctrina una exiſtens formaliter perficit hominem in cognitione Dei, & operatione circa eum, ut finem ultimum. 10.

11. Confirmatur. Quando aliqua forma superior se habet ordinatè, & ex additione alicujus perfectionis essentialis ad inferiores, à quibus specie distinguitur, secundum rationem & esse debet eas formaliter continere, non tamen quoad modum essendi proprium istarum, per quem specie differunt; sed sacra doctrina est superior quædam forma, utpote habens superiorem rationem per quam potest tam de scibilium, quam operabilium rationibus judicare: ergo una existens formaliter continet rationem practici, & speculativi; esto non secundum modum proprium, quo in Philosophicis disciplinis reperitur. Maj. patet 1. In anima rationali, quæ formaliter continet vegetativum, & sensitivum secundùm rationem, & esse, sed non secundùm modum essendi proprium vegetativi, vel sensitivi. 2. In sapientia, quæ alias virtutes intellectuales speculativas, secundum rationem, & esse formaliter complectitur, quia habet rationem formalem sciendi superiorem, per quam de principiis (de quibus est intellectus,) & de conclusionibus (de quibus est scientia) judicare potest.

12. Minor verò prob. quia ratio formalis Theologiæ est divina revelatio, seu deitas ut cognoscibilis lumine divinæ revelationis, non modò in ratione principij, & finis rerum omnium, sed etiam in ratione finis supernaturalis, & beatitudinis objectivæ ad quam creatura rationalis specialiter ordinatur, sed per rationem hanc sacra doctrina habet judicare, non modò de veritatibus scibilibus de Deo, sed etiam de operationibus humanis prout hominem ad finem supernaturalem ordinant: ergo sacrá doctrina

1.p. q.1. art. & 1. sent. ad Annib. prol.q.2. art.1.

ctrina est superior quædam forma utpote habens altissimam quamdam rationem formalem, per quam potest, tam de scibilium quam operabilium rationibus judicare. Prob. minor, tum quia Deus idcirco eadem scientia se cognoscit, & ea quæ facit, habetque scientiam, quæ una existens est practica, & speculativa, quia medium cognoscendi tam se, quam alia est divina essentia, quæ se habet in ratione primi intelligibilis, & finis omnium rerum. Tum quia sicut veritates fidei divina revelatione attin- 2. 2. q 8.
guntur, ita & operationes humanæ lege æterna art.3. ad
diriguntur quæ naturalem rationem excedit, & 3.
ideò humanarum operationum cognitio, prout à lege æterna regulatur, nonnisi per revelationem haberi potest: ergo per eamdem rationem formalem, quæ est revelabilitas, Theologia de omnibus habet judicare, tum cognoscibilibus veritatibus speculativis, tum practicis, & operationibus humanis.

Tertia conclusio; sacra doctrina principali- 13.
ter est speculativa, seu magis est speculativa, Hic
quam practica. Prob. sacra doctrina principa- corp. & 1. sent.
lius agit de Deo, & rebus divinis (de quibus prol.a.3.
speculativam duntaxat cognitionem habet) c.
quam de actibus & operationibus humanis, de quibus practicam habet cognitionem; sed scientia est potissimùm dicenda practica, vel speculativa ex ordine ad finem ultimum ad quem per se, & principaliter ordinatur: ergo principaliùs est speculativa, quam practica. Prob. maj. sacra doctrina non agit de actibus, & operationibus humanis, nisi prout per eas ad beatitudinem supernaturalem ordinatur, quæ in perfecta Dei contemplatione sita est: ergo

principa

principalius Dei contemplationem in se intendit; quæ imperfectè quidem habetur hîc per fidem, & doctrinam, perfectè autem in patria per claram Dei visionem.

CAPVT III.

Contraria argumenta dissolvuntur.

14. 1. sent. ad Annib. prol. q. 2. art. 1. ARguitur primò secundum Philosophum in 6. *Ethic.* Sapientia, & prudentia differunt, quia sapientia est speculativa, prudentia verò practica; sed hæc doctrina est sapientia (ut *art.* 6. dicetur;) ergo est speculativa tantùm. Conf. quia sicut Philosophus *in* 1. *metaphys.* docet, nobilissimam scientiam oportet sui gratia esse, sed practicæ non sunt sui gratia, immò propter opus: ergo cum ista sit scientiarum nobilissima, non erit practica. 1. sent. prol. a. 3. arg. 2.

15. *Loc. cit. in argum. &* in corp. Respondeo quod Philosophus ibi accipit sapientiam pro sapientia, quæ duntaxat est respectu ultimi finis simpliciter, quæ equidem est speculativa tantùm, quippe quæ Deum contemplatur, ut est finis communis, & principium omnium rerum à quo habent esse; non verò ut est finis specialis creaturæ rationalis, aut ultimus in tota vita humana, seu ad quem omnes operationes humanæ ordinantur, hoc enim ad Moralem pertinet, quæ de fælicitate agit. Theologiæ autem doctrina considerat Deum, ut cognoscibilem revelatione divina, non modò quatenùs est finis, & principium omnium rerum (in quo cum Metaphysica convenit) sed etiam ut

ut est finis supernaturalis, & beatitudo perfecta objectiva hominum (in quo convenit cum Morali.) Eapropter est simul practica, & speculativa, non autem Metaphysica.

Resp. ad Conf. quod hæc doctrina maximè est gratiâ sui: opus enim non est ultimum intentum in hac scientia, immò potiùs contemplatio primæ veritatis in patria, ad quam depurati ex bonis operibus pervenimus; sicut dicitur Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*; & ideò principaliter est gratiâ sui, & speculativa magis quam practica. 16. Loc. cit. in com. solut. ad 1.

Contra solutionem, ac tertiam conclusionem instat Durandus. *Primò*; quia finis, qui denominat scientiam est operatio, quam ipsa elicit, vel regulat, atque dirigit; sed beatitudo non est operatio elicita, vel regulata ab hac scientia: ergo non ita denominat illam, ut ab ea dici queat speculativa magis quam practica. *Secundò*, quia nulla scientia denominari valet practica, vel speculativa à fine remoto, seu ad quem à remotis disponit, sed à fine proximo; sed visio patriæ est finis Theologiæ remotus ad quem per modum dispositionis nos disponit, & non per modum formæ immediatè ei conjungentis: ergo non est dicenda maximè speculativa à visione patriæ. 17.

Respondeo quod equidem finis scientiam denominans proximè est ejus operatio, in speculativis scilicet scire, gratiâ ipsius scire; in practicis autem scire propter operari; & quod finis proximus à quo denominatur Theologia speculativa est Dei contemplatio in se per revelationem susceptam; finis autem, à quo practica dicitur, est operatio virtutis in ordine ad 18. Opusc. 70. art. 17. o.

finem supernaturalem consequendum ; & ab his denominatur formaliter practica, & speculativa ; ac subinde ab aliqua ejus operatione. Verùm quia utraque hæc operatio ad beatitudinem patriæ ordinatur, sicut imperfecta fœlicitas ad perfectam ; & ratio ordinatorum ad finem à majori, vel minori proportione, & accessu ad rationem finis habenda est ; idcircò S. D. ait Theologiam dici speculativam magis, quam practicam, quia finis, ad quem ultimò ordinatur, est contemplatio Dei in se, in patria habenda, quæ est operatio speculativa principaliter., cum qua contemplatio viæ magis convenit quam operatio. Verba S. D. sunt ;
Hic art. 4. c. fin. *Magis tamen est speculativa, quam practica ; quia principaliùs agit de rebus divinis, quam de actibus humanis ; de quibus agit secundùm quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem in qua æterna beatitudo consistit.* Vbi S. D. ex fine proximo rationem practici, & speculativi in Theologia desumit ; quia verò operatio virtuosa ad contemplationem perfectam Dei in se (in qua ejus beatitudo consistit) ordinatur, quæ per fidem in via jam habetur; ideò Theologiæ doctrinam principaliter esse speculativam asserit ; & secundùm aliquid duntaxat
1 Sent. prol. art. 3. c. practicam ; *Vnde quantum ad quid practica est, & etiam speculativa.*

19. Ad pleniorem hujus rei intelligentiam notandum est ex eodem S. D. quod scientia potest
1. p. q. 14. art. 16. dici speculativa, vel practica tripliciter ; primò ex objecto seu ex parte rei scitæ, sicut scientia hominum de rebus naturalibus, vel divinis est speculativa ; de moribus autem, seu actionibus humanis est practica. Secundò ex modo sciendi,

sciendi, sicut si aliquis consideret actiones humanas definiendo, dividendo, & secundùm communia illarum prædicata non applicando ad opus, erit cognitio practica ex parte rei scitæ, sed tamen speculativa secundùm modum sciendi. Tertiò quantum ad finem v. g. si quis consideret quo pacto domus construi possit non ordinando ad operationem ceu finem, sed ad cognoscendum tantùm, erit quantum ad finem (nimirùm scientis) speculativa consideratio, & tamen de re operabili. Scientia, quæ est speculativa ratione ipsius rei scitæ, seu objecti est speculativa tantùm; quæ verò est speculativa secundùm modum, & finem, & non ex parte rei scitæ, est secundùm aliquid practica, & secundum aliquid speculativa; Quæ verò ex se ad finem operationis ordinatur est practica tantùm, seu simpliciter. Et hoc pacto Theologiæ doctrina dicitur secundùm aliquid practica in ordine ad finem beatitudinis, quæ est contemplatio Dei in patria, & etiam speculativa; quia est de objecto speculabili, tamen applicando universalia supernaturalis cognitionis principia ad opus in particulari tendit ad illud, & operatio est quodammodo finis ejus, sed non ultimus.

Si instes quod Theologia erit duntaxat practica respectu actionum humanarum, quæ sunt 20. subjectum secundarium, ac subinde non simpliciter. Respondeo quod actiones humanæ, 2.2. q.8. art.3. ad 3. prout regulantur lege æterna quæ naturalem rationem excedit, sunt quiddam revelabile, & pertinens ad subjectum formale Theologiæ, licèt per attributionem ad Deum, ceu principale subjectum illius; sicut materia, & forma

ad Physicæ subjectum formale spectant, non tamen sine habitudine ad ens mobile, cujus sunt causæ, & principia.

21. Arg. 2. duæ differentiæ essentialiter oppositæ nequeunt eidem competere; sed practicum, & speculativum sunt differentiæ essentiales habituum, cum sumantur ex fine, & objecto ad quæ ordinantur: ergo Theologia nequit esse simul practica, & speculativa.

22. Respondet S. D. quod quamvis ista scientia
1.sent.q. sit una, tamen perfecta, ac superioris ordinis,
prol.art. ac subinde sufficiens ad omnem humanam per-
3. fectionem (quam scientiæ practicæ, ac speculativæ præstare possunt dirigendo in cognitione veritatis, & operatione virtutis in communi vel particulari) propter efficaciam divini luminis.

23. Ad pleniorem hujus rei intelligentiam nota,
1.2. q.3. quod speculativæ scientiæ ultra virtutem suo-
art.6.c. rum principiorum, id est, ultra quam cognitio sensitiva, & lumen intellectus agentis à phantasmatibus abstrahens corporeis, ducere potest; se extendere nequeunt: similiter practicæ ultra quam finis cognitio, seu ratio recta humana se extendit, in operando hominem dirigere non valent. Se habent enim fines in operabilibus; sicut principia in speculativis. Hinc est, quod cum alia sint speculabilium, alia operabilium, in nobis principia naturaliter indita, oportet nos diversimodè, seu diversis scientiarum habitibus perfici in contemplatione veritatis, & operatione recta circa finem; quia habitus per principia distinguuntur, inquantum sunt formæ quædam. At verò Deitas, seu divina essentia in se cognita (cujus quædam impressio

pressio est divinæ revelationis lumen, cum Deus per eam in se cognoscatur, licet imperfectè) cum sit primum principium simpliciter, & ultimus finis omnium, ac specialis creaturæ rationalis, beatificans ipsam, secundum se est ratio cognoscendi omnia, & ratio omnium quæ aguntur; quapropter potest intellectum nostrum in consideratione cujuscunque veritatis perficere,& in operatione recta universaliter dirigere.

Et hoc indicare videtur Apostolus 1. Corinth. 2. dicens; *Spiritualis homo judicat omnia*; Quia cum aliarum scientiarum singulæ circa singula earum genera occupentur, sacra doctrina circa omnia nos illustrat. In ipsa enim revelantur divina, docentur cœlestia, & terrestria judicantur, & honestæ vitæ documenta traduntur. Vnde Augustinus *in epist. ad Volusianum* de sacra doctrina, seu scriptura loquens, ait: *Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, diliguntur; scilicet Deus, & proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est.* Et S. D. de ipsa illud sap. cap. 7. intelligendum putat; *Attingit ubique* (id est non restringitur ad aliquid speciale) *propter suam munditiem; vapor enim est virtutis Dei.* 24. Prol. sent. ad Annib.

Vnde in forma ad arg. resp. dist. min. practicum, & speculativum sunt differentiæ essentiales habituum secundùm rationes suas absolutè sumptas, nego: secundum determinatos essendi modos, quibus intellectum habent dirigere, ac perficere ad speciale cognoscibile per 25.

rationes formales, & principia limitata, concedo; unde secundùm rationes suas possunt eidem superioris scientiæ habitui convenire, non tamen secundum illum limitatum essendi modum, quem in inferioribus scientiis, & habitibus habent.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Sacra Doctrina sit dignior aliis scientiis.

1. HEOLOGIAM secundum se omnibus aliis scientiis digniorem ac præstantiorem esse nemo est qui dubitet, tam speculativis, quam practicis; speculativis quidem inquantum speculativa est, practicis autem inquantum practica. Id probat Sanct. Doct. ex illo Proverb. 8. *Sapientia misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem*; ubi secundum aliquos interpretes sermo est de sacræ scripturæ doctrina, seu Theologiæ sapientia, quæ omnes philosophicas disciplinas, ceu ancillas in ministerium assumit, ut ad arcem, id est, Christi fidem vocet homines. Quod quatenus id præstet, infra explicabimus. Vnde ea est omnium scientiarum ad Theologiam in dignitate comparatio, quæ est ancillæ ad Dominam. Hanc eandem sacræ doctrinæ præstantiam S.D. colligit ex illo *Ecclesiast.*24.ubi sapientia divina de se loquens ait: *Ego in altissimis habito*; Quem locum non pauci de sacra doctrina, seu scriptura exponunt, inter

inter quos D. Thomas in prol. ſent.ad Annib. inquiens : *Habitant quidem in infimis omnes mechanicæ artes, quæ circa particularia, in quibus conſiſtit operatio, verſantur. In altis verò habitat ſcientia naturalis, quæ de ſenſibilibus univerſalem ſpeculationum habet. In altioribus vero commorantur aliæ philoſophicæ ſcientiæ, quæ ſua conſideratione ſenſibilia tranſcendunt, intuitum tamen rationis ſequentes; ſed in altiſſimis habitat Chriſtianæ ſapientiæ doctrina, quæ intuitum ſuperat rationis.*

Hanc eandem ſuper alias ſcientias ſacræ doctrinæ excellentiam multis proſequuntur Sancti Patres, quæ recenſere longum eſſet, D.Auguſtinus *lib. 2. doctr. Chriſt.* ita de ipſa ſcribit; *Quantò minor eſt argenti, & auri veſtiſque copia, quam de Ægypto ſecum ille populus abſtulit, in comparatione divitiarum, quas poſtea Hieroſolymæ conſecutus eſt, tanta ſit cuncta ſcientia collecta de libris Gentilium, ſi divinarum ſcientiarum ſcripturæ comparetur.* Hinc Euſebius *lib.14. de præpar. evang.* Philoſophos, ac mundi ſapientes cum Theologis comparans ait: *Quandò Philoſophos inter ſe aut cum aliis comparo, non facile negaverim ipſos claros fuiſſe viros; quando verò ipſos Hebræorum Theologis, qui videlicet Prophetas habuerunt, comparo, & doctrinam doctrinæ confero, caduca, & frivola omnia, quæ Philoſophi excogitarunt, mihi videntur.* 2.

Quod ſacra doctrina inquantum ſpeculativa cæteris diſciplinis phyſicis, ſeu ſpeculativis ſcientiis præemineat, prob. S. D. quia ſcientiarum ſpeculativarum una dicitur altera perfectior, tum propter nobilitatem materiæ, circa quam, ſeu honorabilitatem objecti, tum quia 3. Hic, & lib.1. de anima lect.1.

certior; sed Theologia versatur circa nobiliorem materiam, seu nobilius objectum, quam sint materia, seu objecta circa quæ aliæ scientiæ speculativæ versantur, estque certior simpliciter: ergo absolutè, & secundùm se est dignior, ac cæteris scientiis præstantior. Maj. patet; quia omnis scientia sicut & quælibet res in finem ordinata ex actu laudatur; v. g. laudadamus bonum equum, quia bene currit; sed omnis actus ex eo melior, ac laudabilior existit, quia est de meliori objectò, & meliorem illud attingendi modum sortitur, v. g. ædificare est melius simpliciter, quam lectum construere, & quantò modus ædificiij est melior, tantò est ædificare melius: ergo quò perfectius est objectum, & modus ipsum attingendi melior, eò scientia erit perfectior; modus autem seu qualitas essentialis ipsius scientiæ est certitudo per resolutionem conclusionum ad principia certa, in quibus videntur, & à quibus certitudinem accipiunt: ergo quoad modum essentialem scientia dicenda est perfectior, quia certior.

4. Minor verò quoad primam partem prob. sacra doctrina est principaliter de his quæ sua altitudine rationem transcendunt; sed hæc sunt nobilius objectum, quam ea, quæ rationem non superant: ergo Theologia habet nobiliorem materiam circa quam, seu nobilius objectum. Maj. patet, nam Theologia est principaliter de Deo, ut cognoscibili, non ex effectibus, sed in se, & secundùm ea quæ sibi soli nota sunt, & per revelationem hominibus. Minor verò prob. hæc sunt maximè intelligibilia; ex hoc enim habent, quod rationem transcendant, quia lucidissima, & maximè abstracta à materia

in

in se, ut patet in substantiis spiritualibus, sed intantum aliquod objectum scientiæ speculativæ est nobilius inquantum est magis intelligibile in se, & nobiliùs intellectum perficiens: ergo ea quæ transcendunt rationem sunt nobilius objectum quam ea, quæ rationi subduntur.

Quoad secundam autem partem prob. illud est simpliciter certius, quod certiorem habet causam: sed Theologia certiorem habet causam quam omnes aliæ scientiæ: ergo absolutè, & simpliciter est certior. Prob. minor, aliæ scientiæ ex lumine naturalis rationis certitudinem habent, quæ errare potest in accipienda à sensibus principiorum scientia, ex quibus demonstrat, & per resolutionem ad ea judicat; sacra autem Theologiæ doctrina certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, & revelationis, quæ errare non potest: ergo Theologiæ doctrina habet firmiorem suæ certitudinis causam. Vnde S. Augustinus *lib. 2. de Genes. ad litt. c. 5.* sic habet; *Quoquomodo autem, & qualibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus; major est quippe Scripturæ hujus authoritas* (quippe quæ à Deo revelata) *quam omnis ingenij humani capacitas.* 5.

Quod autem sacra doctrina inquantum practica sit omnibus scientiis practicis humanitùs inventis dignior, ac præstantior, probat S. D. Quia practicarum scientiarum illa est dignior, quæ ad ulteriorem finem non ordinatur, id est, quæ considerat finem ultimum, cui aliarum fines subordinantur: Sed Theologiæ, prout est scientia practica, finis est beatitudo æterna, quæ est summum creaturæ rationalis bonum, 6.

ad quod omnium ſcientiarum fines ordinantur: ergo Theologiæ doctrina inquantum practica eſt cæteris ſcientiis practicis dignior. Maj. patet, quia unaquæque cauſa tantò prior, ac potior eſt, quantò ad plura ſe extendit; unde bonum quod habet rationem cauſæ finalis, tantò potius, ac divinius eſt, quantò communius, & ad plura ſe extendens; ea propter finis ultimus melior eſt, propter ipſum enim ſunt cæteri boni; v. g. finis Civilis eſt bonum Civitatis, quod eſt bonum communius, ac divinius, quam bonum exercitus, nimirùm victoria, quæ eatenus bona eſt, quatenus ad bonum civile conducit.

1. Ethic. lec. 5.

7. Minor verò prob. ex D. Auguſtino lib. 19. de Civitate Dei cap. 1. dicente. *Nulla eſt homini cauſa philoſophandi, niſi ut beatus ſit. Quod autem beatum facit ipſe eſt finis boni. Quamobrem qua nullum finem boni ſectatur, nulla philoſophia ſecta dicenda eſt.* Idem docet D. Thomas 3. *cont. gent. cap.* 25. *rat.* 6. ubi oſtendit totam cognitionem practicam ad ſpeculativam ordinari, iſtam autem ad cognitionem Dei, in qua beatitudo ſita eſt.

8. Circa hanc rationem advertendum notat D. Cajetanus, quod major non intelligitur abſolutè de ſcientiis practicis, ſed de practicis ſubordinatis; quoniam non eſt verum inter practicas diſparatas digniorem eſſe, quæ ad ulteriorem finem non ordinatur. Dignius namque eſt miniſtrare ſuperioris ordinis arti, puta aurifici, quam principari in arte inferioris ordinis, puta figuli; ſed inter practicas, quarum una ſubordinatur alteri, proculdubio major eſt vera; ac proinde veriſſimum eſt Theologiam, quatenus

quatenus practica est, omnibus aliis præstare scientiis; quia omnes aliæ scientiæ ad finem illius ordinantur; atque ipsa finem ultimum simpliciter, qui est summum bonum, ac beatitudo respicit.

§. I.

Solvuntur argumenta contraria.

ARg. 1. Certitudo ad dignitatem scientiæ pertinet; sed aliæ scientiæ speculativæ sunt sacrâ doctrinâ certiores; ergo ipsa non est dignior illis. Prob. min. omnis certitudo scientiæ est ex principiis; sed principia, saltim prima & universalissima, aliarum scientiarum sunt certiora quam sacræ doctrinæ principia: ergo aliæ scientiæ sunt certiores quam sacra doctrina. Prob. min. quia principia sacræ doctrinæ sunt articuli fidei, qui dubitationem recipiunt, principia autem prima scientiarum ita certa sunt, ut nullo modo corde negari possint, esto negentur ore, ut dicit Philosophus. 9. Hîc arg. 1. & lib. 1. de anima lec. 1.

Resp. neg. min. ad prob. dist. min. aliarum scientiarum principia sunt certiora secundum quid, & quoad nos, concedo; simpliciter, & quoad causam certitudinis, seu ex parte rei, quæ nata est causare certitudinem nego; sic enim Theologiæ principia certiora sunt. Quod enim fidei articuli dubitationem recipiant non est propter incertudinem rei, quæ summè intelligibilis, ac visibilis est secundum sui naturam, ac maximè potens ad sui assensum naturaliter intellectum determinare, sed propter intellectus nostri debilitatem, qui secundum sibi proprium intelligendi modum, quo ex sensibilibus intelligi 10. Hîc, & 2.2. q. 4. art. 8. c.

intelligibilia cognoſcit, ſe habet ad naturæ maniſeſtiſſima., ſicut oculus noctuæ ad lumen ſolis, ut dicitur in 2. *Metaphyſ. text.* 1. Et diſt. conſeq. aliæ ſcientiæ ſunt certiores ſecundum quid, & quantum ad modum habendi certitudinem, concedo; abſolutè & ſimpliciter, nego: Quia per Theologiæ doctrinam pro hoc ſtatu, non ita perfectè credibilia videmus, ſicut per philoſophicas diſciplinas concluſiones earum intuemur. Sumitur ex D.Thoma *q.12. de verit. art.1. ad 7.*

11. Arguitur 2. Inferioris ſcientiæ proprium eſt à ſuperiori accipere, & non è contra; ſicut Muſicus ab Arithmetico ſua principia accipit, non autem Arithmeticus à Muſico, quia Muſica eſt ſcientia inferior & ſubalternata Arithmeticæ; ſed ſacra doctrina aliquid à Philoſophicis diſciplinis accipit: ergo ſacra doctrina eſt inferior aliis ſcientiis. Minor prob. ex D. Hieronymo *in epiſt. ad mag. Orat. Vrbis Romæ*, ubi docet, quod *Doctores antiqui intantum Philoſophorum doctrinis, atque ſententiis ſuos reſperſerunt libros, ut neſcias quid in illis priùs admirari debeas, eruditionem ſæculi an ſcientiam ſcripturarum.*

12. Reſpondet S. D. quod ſacra doctrina accipit à philoſophicis diſciplinis, non tanquam à ſuperioribus ſcientiæ inferiores ſua principia accipiunt; principia enim ſacræ doctrinæ non habentur per ſenſum, & experientiam, vel notificationem quidditivam terminorum, ſed immediatè per divinam revelationem; ſed utitur illis tanquam ancillis, & inferioribus; ſicut Architectonicæ utuntur ſubminiſtrantibus artibus, ut Civilis Militari. Et hoc ipſum, quod ſic

sic utitur eis, non est propter defectum, vel insufficientiam ejus, cum per propria principia habeat de omnibus sufficienter judicare; sed propter defectum intellectus nostri; qui in addiscendo divina non parum juvatur eorum cognitione, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ ceu principio activo) cognoscuntur. Multa enim quæ sunt in scientiis demonstrata, v. g. animam esse incorruptibilem, & similia considerata in creaturis, in divinæ sapientiæ,& potestatis admirationem inducunt, & ad instructionem fidei, & informationem morum conducunt. Vnde in S. Scriptura de his frequenter est sermo. *q.12.de verit. art.2. in corp.*

Arg.3.contra rationes D.Thomæ,Dona Sancti Spiritus sunt intellectualibus virtutibus nobiliora; sed non sunt de objecto nobiliori quam sint aliquæ virtutes intellectuales, præsertim Theologia; ergo non ideò scientia speculativa est præstantior, quia est de objecto nobiliori. Maj.patet ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 8. & probatur, quia dona sunt absque inquisitione rationis, & discursu, & per hoc habent maximam similitudinem cum scientia Dei,loquendo de dono sapientiæ, & scientiæ. Minor etiam est evidens. Quia donum scientiæ versatur circa res creatas, ut docet D. Thomas 2.2.quæst.9. Metaphysica autem, vel Theologia naturalis est de Deo. 13.

Respondeo primò neg. maj. de omni virtute intellectuali, nam solum verum habet de virtutibus intellectualibus, quæ innituntur lumini rationis naturalis, Theologia autem nostra innititur lumini fidei. Vnde habet idem princi- 14.

pium

pium certitudinis: atqui dona, quæ ideò certissima sunt, quia innituntur fidei divinæ, & ei superaddunt quandam manifestationem, quæ plenior est in Theologo, qui non solùm scit discernere credenda à non credendis; sed etiam fidem roborare, manifestare, & defendere à contradicentibus. Vnde Theologia nostra quantum ad genus cognitionis est perfectior donis, licet dona quantum ad aliquid perfectiora sint, quia faciunt animam magis mobilem à Spiritu Sancto.

15. Respondeò secundò. Quod est differentia inter utrumque, quia nobilitas doni sumitur non quidem ex objecto, sed ex subjectione ad principium scil. Spiritum Sanctum, sicut perfectio mobilis est in ordine ad motorem; nobilitas autem scientiæ speculativæ est per ordinem ad objectum nobilius. Vnde licet concedamus dona esse nobiliora, nihil interest, quia D. Thomas non agit de dignitate Theologiæ comparativè ad dona, vel virtutes theologicas, aut morales, sed comparativè ad alias scientias.

16. Arguitur ultimò, Principia universalissima sunt certiora v. g. *quodlibet est, vel non est,* quam articuli fidei: ergo scientiæ naturales, quæ procedunt ex illis, erunt certiores. Item hoc principium *Deus est*, est certius isto principio *Deus est unus, & trinus*, quia istud ab illo dependet, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæstione* 1. *art.* 7. & tamen cognoscitur lumine naturali. Tandem quia lumen naturale secundum se errare non potest, cum sit à Deo immediatè; Vnde error refunderetur in Deum. Quod autem per accidens erret, potest contin

contingere in habente fidem, & Theologiam.

Respondeo ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 4. *art. ult.* quod sunt certiora non quantum ad causam certitudinis, sed quia intellectus noster pro hoc statu pleniùs illa capit. Certitudo autem simpliciter est ex causis. Respondeo ad secundum quod hoc principium *Deus est*, ut cognitum per lumen naturale rationis non est certius quantum ad causam certitudinis, sed quantum ad majorem manifestationem, ex parte subjecti. Neque hoc principium fidei, *Deus est trinus, & unus*, dependet ab illo tanquam à causa suæ certitudinis, sed præsuppositivè, & inquantum est præambulum ad fidem. Quod si fide credatur sunt æqualis certitudinis. Respondeo ad tertium, quod licet lumen naturale rationis, quantum ad primas conceptiones errare non possit, tamen quantum ad alia potest errare, immò de facto in multis errat, præsertim in accipienda notitia principiorum à sensibus. Lumen autem fidei non permittit errorem, nec quantum ad acceptionem principiorum, neque quantum ad judicium de illis. 15.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Sacra Doctrina sit Sapientia.


ANIMADVERTENDVM velim, sapientiã nullatenus contra scientiam dividi, sicut unum oppositorum contra aliud; sapientia enim quædam scientia est, quatenus id, quod est omnibus scientiis commune, 1. 1.2.q.57. art. 2.0.

mune, ſibi adſciſcit, ut ſcilicet ex principiis concluſiones demonſtret. Vnde & apud Patres quandoque pro eodem ſumitur, ut habetur ex Nazianzeno *orat.* 9.dicente. *Quanam ſapientia, & ſcientia noſtra ob quam feſtis omnibus oppugnamur.* In quæ verba Iacobus Bilius ex Hiceta ait. Idem eſſe ſapientiam, & ſcientiam, tum Platoni in Thæeteto placet, tum nunc Gregorio, Ac propterea cum dixiſſet, ſapientia, & ſcientia, *non ſubjunxit ob quas oppugnamur, ſed ob quam, tanquam videlicet pro una eademque re hæc duo nomina uſurpans.* Diſtinguitur ergo ab illa prout ad rationem ſcientiæ aliquam perfectionis rationem addit: ſicut accidit in totis potentialibus, quorum una pars eſt pefectior altera; v. g. anima rationalis eſt perfectior quam ſenſibilis, & ſenſibilis quam vegetabilis. Ipſa enim ſapientia altiſſimas rei cauſas conſiderat,ut dicitur in 2. *Metaphyſ.* Vnde convenienter ordinat,ac de omnibus judicat; quia perfectum,& univerſale de rebus judicium nonniſi per reſolutionem ad primas cauſas haberi valet.

2. Sciendum eſt autem ſecundum duas potiſſimum cauſas rei judicium perfici; formalem videlicet, ac finalem. In ſpeculativis quidem ſecundum formam, quæ eſt quod quid eſſe rei, & principium cognoſcendi ipſam; in operabilibus autem ſecundum finem; quia ſecundum Philoſophum 6.& 7. *Ethic.* fines in operabilibus ſunt ſicut principia in ſpeculativis. Quoniam in operabilibus ſecundum proportionem eorum ad finem de omnibus judicatur, ac diſponitur; quemadmodum in ſpeculativis de concluſionibus certum comparatur judicium per

Lib. 3. cont. gent. c.97.

per resolutionem ad principia in quibus videntur.

Humana sapientia (id est, quæ homini competit, eumque sapientem denominat) duplex est, alia particularis, quæ in aliquo dumtaxat genere sapientia est, ac subinde secundum quid: per quam potest homo in ultimum cujusque artis; sicut Architectonica in genere ædificij, quæ universalem ipsius dispositionem, atque structuram considerat secundum proportionem ac commensurationem ad finem, propter quem ipsum ædificium construitur, & secundùm hujusmodi commensurationem ad finem, de omnibus quæ ad ædificium spectant, nimirùm lignis, lapidibus, ac cæmento disponit, ac judicat. Et in operabilibus prudentia dicitur viro sapientia, *Proverb.* 8. quippe quæ in genere totius humanæ vitæ ad debitum illius finem humanos ordinat actus. Sed tamen neque prudentia, neque architectonica habentem simpliciter sapientem denominant, sed secundùm aliquam dumtaxat specialem ordinationis rationem, nimirùm ædificij, vel humanæ vitæ, cujus ordinationis principia nequaquam universalissima, atque altissima sunt, ut est manifestum. 3. AdRom. c.8.lec.2. 1. Corinth c. 3. lect.2.

Vniversalis autem sapientia ultimum in omnibus entibus, & scientiis existit, utpote supremam, & altissimam omnium causam considerans, nimirùm Deum; Eapropter quemadmodum est unica duntaxat hujusmodi causa suprema, ita & unica esse dicitur sapientia, videlicet Metaphysica. Sapientiam communiter dictam definiunt Philosophi, humanarum, ac divinarum rerum cognitionem: at verò Dei, 4. Ibidem.

divinarumque contemplatio rerum ſapientia ſimpliciter nuncupatur, ut ſumitur ex D. Auguſtino lib. 14. de Trinit. cap. 1. ubi ait: *Diſputantes*, Philoſophi, *de ſapientia definierunt eam dicentes; ſapientia eſt rerum humanarum divinarumque ſcientia; Verùm ſecundum hanc diſtinctionem, qua dixit Apoſtolus, alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, iſta definitio dividenda eſt, ut divinarum rerum ſcientia propriè ſapientia nuncupetur, humanarum autem propriè ſcientiæ nomen habeat.*

5. Prima concluſio; Sacra Theologiæ doctrina, inter omnes ſapientias humanas, ſeu præ omnibus ſapientiis humanis (ſive ſermo fiat de humana ſapientia ſimpliciter, qualis eſt Metaphyſica, ſive de ſapientia humana in aliquo genere, cujuſmodi ſunt prudentia in genere operabilium, ſive actuum humanorum, & Architectonica in genere factibilium ſive artificialium) eſt maximè ſapientia. Dixi inter ſapientias humanas, nam ſi conferatur cum Dei, aut beatorum ſapientia, cujus quædam impreſſio eſt, & imperfecta ſuſceptio, non eſt maximè ſapientia, ut patet, quia videt, atque intuetur in ſpeculo, & ænigmate Deum primam, & altiſſimam omnium cauſam.

Hic a. *6.* cap. & 1. ſent. q. prol. art. 3.

6. Prob. S. D. *in ſed contra* ex Deuter. cap. 4. ubi de ſacra ſcriptura divinitùs inſpirata, præſertim verò ſcientia, & obſervatione legis divinæ, dicitur; *Hæc eſt ſapientia veſtra, & intellectus coram populis, ut audientes univerſi præcepta hæc dicant; En populus ſapiens, & intelligens, gens magna. Non eſt alia natio tam grandis &c.* ſcil. dignitate donorum, ut explicat gloſſa, quia videlicet accepit legem divini-

tùs

tùs datam, & sapientiam inducentem ad amorem Dei, cum qua si leges cæteræ, ac sapientiæ humanæ conferantur, quasi nihil reputandæ sunt, quippe quæ multum vanæ curiositatis, aut noxiæ falsitatis admixtum habeant. Vnde Tertullianus, *Nemo*, inquit, *sapiens nisi fidelis*.

7. Probat. S. D. C. ratione; illa scientia quæ considerat primam causam simpliciter totius universi, quæ Deus est, maximè sapientia est; sed sacra doctrina propriissimè determinat de Deo secundum quod est altissima causa; non verò Metaphysica, vel aliæ sapientiæ humanæ: ergo sacra doctrina maximè sapientia est inter omnes sapientias humanas, non in aliquo genere tantùm, sed simpliciter, Maj. patet, quia ex eo quod sapientia de Deo, qui est altissima causa tractat, ideò rerum cognitio divinarum dicitur, ut patet per D. August. *lib.*14. *de Trinit. cap.*1. Minor verò probatur; sacra doctrina tractat de Deo non solum quantum ad illud, quod est de ipso per creaturas cognoscibile, & à Philosophis cognitum est, ut dicitur Rom.1. *Quod notum est Dei manifestum est illis*; sed etiam quantum ad id quod est notum sibi soli de seipso, & aliis per revelationem communicatur; sed hoc propriissimè est agere de Deo secundum quod est altissima causa; igitur Theologia propriè considerat de Deo secundùm quod est altissima causa. Prob. minor, altima causa dicitur supremum, & maximè intelligibile, ad quod intellectus pervenire potest; sed ultimum ad quod pervenire potest intellectus creatus, est ut cognoscat Deum in se, seu secundum ea quæ sibi ipsi soli nota sunt, sicuti Deum esse in Tri-

1. Metaphys. lect.2.

nitate unum, Redemptorem, glorificatorem &c. & non solum ex effectibus creatis, qui cum inadæquati sint, insufficientes sunt ad cognitionem Dei faciendam secundum ea quæ rationem humanam excedunt: ergo cognoscere Deum non solùm ut cognoscibilem ex effectibus creatis, sed etiam quantum ad id quod sibi soli de seipso notum est, & aliis per revelationem communicatum, est propriissimè cognoscere Deum, ut est altissima causa.

1. sent. prol. q. 1. art. 1.

8. Itaque ly *propriissimè determinare de Deo*, est de eo determinare eo modo quo sapienti competit, nimirùm per *modum causarum altissimarum*, & rationes ipsarum immediatè, per quas adæquatè & potissimùm judicatur, & scitur de omnibus. Nam Theologia agit de Deo secundum quod habet rationem principij, & finis omnium rerum; & etiam ut est finis, & beatitudo hominum per divinam revelationem cognoscibilis. Divina autem revelatio, seu inspiratio, quæ est ratio formalis scibilitatis objecti, est ratio per quam de omnibus rebus judicatur. In quo Metaphysicam dignitate hæc sapientia excedit. Quia Metaphysica Deum altissimam causam, ex rationibus creaturarum, seu effectibus creatis duntaxat considerat. Vnde solum potest judicium ejus se extendere ad omne illud cujus similitudo in creaturarum rationibus reperitur; non autem ad illud cujus nulla similitudo in eis reperitur, sed omninò earum superexcedit rationes. Vnde non judicat de gloriosa morte Christi, & justorum, qui in paupertate, & laboribus vixerunt, vel martyrio coronati sunt: immò reputat stultitiam dicere, quod Deus homo potuerit obire mortem, &

2.2. q. 9. a. 2 c.

& glorioſum ſit pro veritate hujus myſterij ſubire martyrium, ſed fides utrumque judicat, & magnam miſericordiam, ſummæque dilectionis pignus reputat primum; ſecundum autem dicit eſſe ſecundum ſapientiam, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam tribulationum pondus operatur in eis qui ſimilia agunt. Ita inſinuat D. Thomas 1. *ſent. prol. art.* 3. *c.* dicens, *Eſt magis dicenda* (ſcilicet ſacra doctrina) *ſapientia, quam Metaphyſica, quia cauſas altiſſimas conſiderat per modum ipſarum cauſarum; quia per inſpirationem à Deo immediatè acceptam. Metaphyſica autem conſiderat cauſas altiſſimas per rationes ex creaturis aſſumptas.*

Arguitur primò, nulla doctrina aliunde ſua principia ſupponens, nomine ſapientiæ digna eſt; ſed hæc doctrina ſua principia aliunde ſupponit, nimirùm ex ſcientia Dei, & beatorum: ergo non eſt ſapientia. Prob. major, quia ſapientiæ eſt ordinare, & non ordinari, ut dicitur 1. *Metaphyſ.* unde non competit ei, ut ab alio perſuadeatur. 9. Hic arg. 1.

Reſpondeo quod ſacra doctrina non ſupponit ſua principia ab aliqua ſcientia humana, ſed à ſcientia divina, à qua ſicut à ſumma ſapientia omnis noſtra cognitio ordinatur; Et ratio eſt, quia cum ſapientia ſit ſcientia divina, & de cauſis altiſſimis, eam Deus maximè habet; homo autem non adipiſcitur, ut propriam poſſeſſionem, ſed ut aliquid mutuatum à Deo, qui ſolus hujuſmodi cauſarum perfectam comprehenſionem obtinet. Vnde nihil prohibet quin hæc doctrina, quæ de altiſſimis eſt, à Dei ſapientia ſua principia ſupponat, & 10. Ibid. ſolut. ad 1. 1. metaph. lec. 3. §. oſtēdit quātum.

tamen ſapientia vocetur, non tamen ſumma.

11. Arguitur 2. ad ſapientiam pertinet aliarum ſcientiarum principia probare; ſed hæc doctrina aliarum ſcientiarum principia non probat: ergo non eſt ſapientia. Major patet, nam ſapientia caput ſcientiarum dicitur. 6. *Ethic. cap.* 7. ſicut enim per ſenſus, qui ſunt in capite, diriguntur motus, & operationes omnium aliorum membrorum, ita ſapientia dirigit omnes alias ſcientias, dum ab ea omnes ſua principia ſupponunt. S.D. *ibi lec.*6.

12. Reſp. S. D. quod ad eam ſapientiam ſpectat aliarum ſcientiarum principia probare quæ per inveſtigationem rationis procedit; hæc enim, vel ſunt per ſe nota, & probari non poſſunt; vel per rationem naturalem probantur, ac ſubinde per communes entis rationes, per quas cognoſcuntur omnium entium cauſæ. Propria verò hujus ſcientiæ cognitio eſt quæ eſt per revelationem, non autem quæ eſt per naturalem rationem, quæ attingit communes entis conceptiones, per quas ſcitur de omnibus; & ideo non pertinet ad eam principia aliarum ſcientiarum probare; ſed ſolùm de illis judicare (judicio ſcil. comparativo) inquantum quidquid in aliis ſcientiis invenitur veritati hujus ſcientiæ repugnans, totum condemnatur ut falſum. Vnde dicitur 2. Corinth. 10. *Conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.* Ea de cauſa S. Hieronymus explicans illud Iſaïæ cap. 2. *Et incurvabitur ſublimitas hominum: & humiliabitur altitudo virorum: & elevabitur dominus &c.* hæc habet; *Tamdiu videtur humanus ſermo habere rationem, quamdiu divina ſcientia non fuerit comparatus.*

Cum

Cum autem mendacium veritati quasi stipula igni appropinquaverit, cito voratur & deperit: & omnia dogmata falsitatis, quæ nunc idola nominantur, ab eo quod simulata sint atque conficta, penitus conterentur.

Arguitur 3. sapientia inter dona Spiritus Sancti computatur, ut patet Isaïæ *cap.* 11. ac subinde per infusionem habetur; sed sacra Theologiæ doctrina per studium, & acquisitionem habetur: ergo non est sapientia. 13.

Respondet S. D. quod sapientia, quæ Spiritus Sancti donum constituitur, diversa est ab ea, quæ ex principiis revelatis procedendo per studium, & inquisitionem habetur, qualis est Sacra Theologiæ doctrina. Ratio diversitatis sumitur penes diversum judicandi modum de rebus; nam sapientia quæ donum Spiritus Sancti est, judicat de rebus per modum cujusdam inclinationis, & absque ratiocinatione, approbando statim ea quæ sunt fidei, & afficiendo intellectum, & voluntatem ad illa. Unde Isaïæ *capite* 50. dicitur: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij*; De quo judicio loquitur Apostolus 1. ad Corinth. 2. dicens; *Spiritualis judicat omnia*, quia scil. homo habens intellectum illustratum, & effectum ordinatum per Spiritum Sanctum, de singulis quæ pertinent ad salutem rectum habet judicium, secundum quod inclinatur & rectè afficitur ad illa; sicut virtuosus rectè judicat de his, quæ sunt secundùm virtutem agenda, quia ad illa rectè se habet, & inclinatur; unde & *in* 10. *Ethic.* dicitur quod virtuosus est mensura, & regula 14. Hic, & 1. sent. ad Annib q. 2. prol. a. 1. 1. 2. q 68. a. 1. c. Ibidem lec. 3.

actuum humanorum, quia scilicet in rebus humanis talia sunt singularia, qualia virtuosus judicat ea esse: sicut taliter se habent sapores qualiter judicat is, qui sano gustu præditus est. Et Dyonys. 2. *de divin. nom.* dicit; quod *Ierotheus doctus est* (nimirum hanc sapientiam) *non*
D. Th. ibid. lec. 4. *solùm discens, sed & patiens divina* per dilectionem, & affectum, quibus rebus divinis unitus fuit, & non solùm secundum unionem intelligibilem qua cognitum est in cognoscente. Sapientia autem illa, quæ non est donum Spiritus Sancti, sed per studium acquiritur, judicat per modum cognitionis, hoc est judicium de rebus accipit resolutis effectibus in causas altissimas in quibus ea quodammodo videt, quæ resolutio per cognitionem fit, & non per effectum ad res divinas.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Deus sit subjectum hujus Scientiæ.

CAPVT PRIMVM.

Quædam prænotantur, & Deum sub ratione absoluta Deitatis esse formale Theologiæ subjectum ostenditur.

1. 1 post. lec. 15. 16. 41. 1. sent. q. prol. art. 4. NON est sermo de subjecto inhæsionis, seu in quo ipsius Theologiæ, sed de subjecto scibili, & circa quod ipsa scientia versatur. Differt subjectum scientiæ ab objecto, quia istud est quid

quid complexum, nimirùm conclusio demonstrata, quæ primò cognitionem scientificam terminat, prout in suis principiis videtur; subjectum verò est id de quo in conclusione propria passio, vel aliquid hujusmodi demonstratur; ac subinde aliquid simplex, & incomplexum est.

Tres exigit conditiones: Prima est, ut omnia, de quibus in scientia agitur, sub subjecto contineantur; vel sicut principia subjecti, quemadmodum materia prima, & forma sub ente mobili: vel sicut partes integrales, sicut caro, ossa, & nervi sub corpore naturali; vel sicut partes subjectivæ, sicut mobile ad ubi, & corpus mobile ad formam simpliciter, seu ad formam mixti perfecti vel imperfecti sub ente, seu corpore mobili; vel sicut passiones, quemadmodum unum, verum, bonum sub ente; vel denique sicut dicens habitudinem effectus, vel aliquid simile ad subjectum. Secunda est, quod ejus cognitio principaliter in scientia illa intendatur. Tertia est quod per habitudinem ad ipsum, ceu rationem formalem, scientia ab aliis omnibus differre intelligatur. Qui plura de ratione objecti scire desiderat, videat quæ diximus *tom. 1. Clypei philosoph. part. 2. quæst. 1. art.* 2. Ibid.

Quidam ad primam conditionem attendentes subjectum hujus scientiæ, res & signa assignarunt, quippe quæ omnia de quibus est Theologiæ scientiæ complectantur; sub signis enim universa comprehenduntur sacramenta; sub rebus autem continentur res quibus fruendum est, sicut beatitudo, & Deus qui illius obje-ctum 3. 1. sent. q. prol. art. 4. & dist. 1. text.

ctum est; & etiam res quibus utendum est, id est, quibus tendentes ad beatitudinem assequendam adjuvamur. Hæc sententia Magistro attribuitur, sed communiter rejicitur. Primò quia per rationes subjecti debet scientia ab aliis differre; sed per rationes signorum, & rerũ Theologia ab aliis scientiis nõ distinguitur, cum de rebus, & signis, etiam aliæ scientiæ tractent: ergo res, & signa non sunt subjectum hujus scientiæ.
1.2.q. 49 art.6. ad.1. Secundò quia quandocunque multa requiruntur ad unum, necesse est unum eorum esse principale ad quod omnia alia ordinentur, ut sub una ratione scibili, ac scientia attingi queant; sed res, & signa oppositas habent rationes inquantum hujusmodi; nam res dicunt aliquid absolutum, & in se; signa autem aliquid relativum, seu ad aliud ex sua institutione ordinatum: ergo debet unum eorum esse principale, sub cujus ratione cætera attingantur, ut unam scientiam specificare, & terminare valeant: hoc autem est Deus, quo fruendum est: ergo Deus, non res, aut signa, est hujus scientiæ subjectum.

4. Alij propter eandem rationem pro hujus scientiæ subjecto totum Christum, caput videlicet, & membra, seu opus restaurationis constituerunt; eo quod quidquid in hac scientia traditur, ad hoc reduci videatur. Vnde Apostolus, qui perfectissimus Theologus fuit, totam suam scientiam in hoc sitam esse ajebat, quod Christum nosset. *Neque existimavi me aliquid scire inter vos nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* 1. Corinth. 1. Tribuitur Hugoni de S. Victore *in prol.* 1. *de sacram.* & Gloss. Cassiodori *in principio Psalm.*

5. Sed contra est; quia illud est subjectum de quo

quio primò & per se agitur & de cæteris per ordinem ad ipsum; sed de Christo, & membris ejus, seu operibus restaurationis in Theologia agitur per ordinem ad Deum, non è contra: ergo Christus totus, vel opera restaurationis non sunt subjectum, sed Deus. Antecedens patet: tum quia Theologia inscribitur sermo, seu ratio de Deo, & non de Christo, quod secus se haberet, si Theologia de Christo per se ageret, & non per ordinem ad Deum; quia scientia inscribi consuevit ab eo, de quo est primò, & per se sermo in scientia. Tum quia per humanitatem Christi in Deitatem cognoscendam manuducimur; Vnde quasi lac primò (videlicet in primitiva Ecclesia) incipientibus proponebatur, quibus tamen postmodum perfectis cognitio Deitatis, veluti solidus cibus ad quem manuducendi erant, tradebatur.

D. Th. hic in sed contra, & in fin.corp. 1.sent.ad Annib.q. 1. prol. art.2. ad 3.

Præter has opiniones à S. D. relatas est specialis Durandi sententia, qui ait, quod si Theologia pro habitu illo usurpetur, quo fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, Deum equidem esse illius subjectum, non tamen sub ratione absoluta Deitatis, sed sub ratione determinata, & respectiva Salvatoris. At verò si accipiatur Theologia pro habitu fidei, quo assentimur iis, quæ in sacra scriptura traduntur; aut pro eo habitu, qui ex principiis fidei conclusiones Theologicas deducit, actum meritorium esse illius objectum asseverat. Communior Theologorum sententia, & in Sholis magis recepta Deum sub ratione Deitatis pro Theologiæ formali subjecto attributionis adæquato constituit. 6.

Conclusio, subjectum formale attributionis 7.

adæquatum

i.sent.ad Annib. q.1.prol. art.2.o. adæquatum Theologiæ est Deus sub ratione absoluta Deitatis, ut cognoscibilis pro hoc statu per viam fidei, seu revelationis. Dixi, *sub ratione absoluta Deitatis*, & non ut consideratur sub aliqua speciali, ac determinata ratione, puta restauratoris, glorificatoris, aut hujusmodi. Dixi *cognoscibilis per viam fidei*, ut distinguatur ab objecto Theologiæ beatorum, quod est Deus per essentiam visus, & etiam ab objecto Metaphysicæ, quod est Deus per viam naturalis rationis cognoscibilis.

8. Prob. S. D. 1. *in sed contra*: Illud est subjectum scientiæ, de quo est principaliter sermo in scientia; sed in hac scientia fit sermo de Deo principaliter: ergo Deus est subjectum hujus scientiæ. Prob. minor, quia Theologia dicitur sermo de Deo; sed nonnisi quia de Deo in ea fit principaliter sermo: ergo in Theologia primò, & principaliter est sermo de Deo. Prob. min. sic res nominare consuevimus, sicut eas cognoscimus; sed cognoscimus scientiam per habitudinem ad id de quo primò tractat, & per quod ab aliis distinguitur: ergo Theologia, sermo de Deo idcirco dicitur, quia de Deo in ea fit principaliter sermo.

9. Hic modus arguendi ab Ethimologia nominis non ineptus tibi videatur, aut puerilis, nam aptissimum esse ostendit, non modò ratio à nobis assignata, sed & summorum Pontificum, & Conciliorum authoritas, quæ hoc modo in rebus gravibus usa sunt. Et ut de aliis prætercam, Eugenius 16. quæst. 1. *Placuit secundò* alloquens Monachum ait: *Sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Agnoscat nomen suum, Monos enim græcè, latine est unus,*

unus. Achos gracè, latinè est tristis. Vnde dicitur Monachus, id est, unus tristis; sedeat itaque solitarius, & jaceat, tristis & officio suo vacet; quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Concilium autem Nicenum ea de causa, *& quæstione cap. Placuit ei primo* sic ait, *placuit omnibus residentibus in Sancta Nicena Synodo ut monachorum conversatio, & vita secundum ethymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim gracè, latinè singularis dicitur. Vnde monachum per omnia singulariter* (id est non sæculariter, glossa ibi) *agere oportet.*

Secundò probat *in corpore* subjectum formale alicujus scientiæ, est illud sub cujus ratione formali ad scientiam referuntur omnia, de quibus in scientia agitur; sed omnia de quibus est sacra doctrina, pertractantur in ea sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem: ergo Deus verè, (id est per se, & propriè) est subjectum hujus scientiæ. Major probatur, sic se habet subjectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, vel habitum: quia sicut objectum est finis actuum potentiæ vel habitus, & subinde specificat actus, & potentias vel habitus; ita & subjectum ad scire se habet in ratione finis; finis enim ejus est cognitio perfecta subjecti; & sic eâ habitâ sciendi desiderium quiescit; sed propriè assignatur objectum potentiæ, vel habitus id sub cujus ratione omnia ad potentiam, vel habitum referuntur; v.g. coloratum dicitur objectum visus, quia quæcunque attingit in particulari visus ut hominem, vel asinum, nonnisi sub ratione colorati videt: ergo subjectum formale alicujus 10. 1.p.q.77. art. 3.

alicujus ſcientiæ eſt illud ſub cujus ratione formali ad ſcientiam referuntur omnia de quibus in ſcientia agitur. Minor primi ſyllogiſmi ut nota ſupponitur à D. Thoma, ſed probari poteſt, quia in ſacra doctrina de omnibus agitur prout pertinent ad beatitudinem ſupernaturalem quæ Deus eſt. De gratia prout primò nos ordinat ad illam, de virtutibus infuſis, & actibus earum prout per actus earum in beatitudinem pervenimus, de Chriſto prout nobis eam ſuis actibus meruit, & ut ejus vita nobis in exemplum morum traditur ſecundùm illud Auguſtini lib. de vera Relig. cap. 16. dicentis. *Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina* morum fuit. Et Tertullianus in apolog. adverſus gentes, ***Deum colimus***, inquit, ***per Chriſtum*** : ***illum hominem putate, per eum, & in eo ſe cognoſci vult Deus.*** Et iterum; ***Chriſtus in cognitione veritatis nos oculat.***

11, Ibid. Tertiò prob. Idem eſt ſubjectum principiorum alicujus ſcientiæ, atque totius ſcientiæ; ſed ſubjectum de quo eſt primò, & per ſe cognitio in principiis ſacræ doctrinæ, quæ ſunt articuli fidei, Deus eſt : ergo etiam ipſe erit ſacræ doctrinæ ſubjectum. Minor patet, cognitio enim principiorum hujuſmodi eſt fides divina; ſed fides divina eſt per ſe primò cognitio de Deo; unde & actus fidei ſunt credere Deo, credere Deum, & credere in Deum : ergo ſubjectum de quo primò & per ſe eſt cognitio in ſacræ doctrinæ principiis, Deus eſt; Maj. prob. S. D. quia ſcientia, quæ eſt concluſionum notitia, tota virtute continetur in principiis, ſecundum quod continent medium, quod eſt diffinitio ſubjecti, per

per quam scitur quid est de subjecto, & passiones de eo demonstrantur; sed idem est subjectum ipsius quod quid est passionum ejus: ergo idem est subjectum principiorum, secundum id quod de subjecto præcognoscitur, & subjectum conclusionum secundum id quod de eo demonstratur.

Quomodo autem tota scientia in principiis contineri dicatur, seriò inquirunt SS.D. interpretes. Breviter dico, quod in principiis tanquam primis instrumentis intellectualis luminis determinantibus ipsum ad certam rei cognitionem producendam, continetur scientia secundum suam rationem, sed non secundum proprium essendi modum; sicut effectus virtute continetur in sua causa activa univoca, v. g. animal in semine. Quia nimirùm sciens principia, scit quidem in universali conclusiones, inquantum scit medium per quod de conclusionibus scitur, sed particularem & determinatam conclusionum notitiam, seu scientiam suscipit per deductionem, & applicationem principiorum ad conclusiones in particulari. Vnde sciens principia, dicitur scire secundum quid, sciens auté conclusiones actu dicitur scire simpliciter. 12.

CAPVT II.

Solvuntur argumenta contraria, triplexque modus cognoscendi Deum pro hoc statu assignatur, nimirùm per viam causalitatis eminentiæ, & remotionis.

ARguitur 1. secundum Philos. *lib.1. Poster.* in qualibet scientia oportet quid est de subjecto 13.

subjecto supponere; sed hæc scientia non supponit de subjecto quid est: ergo Deus non est subjectum hujus scientiæ. Minor patet, quia ut inquit D. Damascenus lib. 3. fid. orthod. c.4. *In Deo quid est, dicere impossibile est.*

14. Respond. quod sicut in aliquibus scientiis Philosophicis, præsertim naturalibus (in quibus fiunt demonstrationes, ut plurimum per effectus, qui sunt notiores quoad nos) utimur effectu loco definitionis causæ (definitionis inquam Logicæ, quæ datur per causas cognoscendi, & non essendi, seu intrinsecus) Ita & in hac doctrina, licet non possimus scire de Deo *quid est*, (metaphysicè, & per causas intrinsecas ipsum quidditativè definientes) utimur tamen ejus effectibus naturæ, vel gratiæ loco definitionis (videlicet Logicæ) ad ea, quæ de Deo in hac doctrina considerantur.

15. Hujus rei gratia nota quod tripliciter secundum Dyonisium 7. *cap. de divin. nomin.* ex creaturis ad Deum cognoscendum ascendere possumus, nimirum per viam causalitatis, remotionis, & eminentiæ. Et hujus ratio est, quia esse creaturæ est ab altero. Vnde secundùm hoc ducimur in causam, à qua est. Hoc autem dupliciter esse potest; primò secundum id quod à Deo accepit, videlicet esse, vivere, intelligere &c. & sic per modum causalitatis in eum ducimur; v. g. omne quod habet esse ex nihilo, oportet quod sit ab aliquo, à quo suum esse fluxerit; sed omnes creaturæ habent esse ex nihilo, ut satis earum imperfectio, & potentialitas manifestant: ergo oportet, quod sint ab aliquo, uno primo, & hoc est Deus. Secundò considerari potest quantum ad modum quo in creatura imperfectè

1.d.3.di-vis. text.

perfectè recipitur; & sic duo modi cognoscendi Deum accipiuntur, primus per eminentiam, quatenus id quod in creatura recipitur, longè nobilius, & perfectius in Deo reperiri concipimus v. g. bonum, & meliùs dicuntur per comparationem ad optimum; sed in substantiis invenimus corpus bonum & Spiritum creatum meliorem, in quo tamen bonitas non est à seipso: ergo oportet esse aliquid optimum, à quo sit bonitas in utroque. Secundus modus est per remotionem, quatenùs videlicet removemus à Deo omne id quod in creaturis reperitur, & concipimus ipsum esse aliquid supra hæc omnia existens. Et hic modus cognoscendi Deum aptissimus est, & Theologis familiarissimus. Vnde S. Dionysius Areopagita asseruit optimum modum cognoscendi Deum esse, ei ut ignoto conjungi; dum videlicet secretis ab eo omnium creaturarum notionibus, nihil omninò earum Deum esse cognoscimus, sed quidpiam supereminens, & ab eis omninò distinctum.

Ratio est; quia sicut unaquæque res in seipsa esse proprium ab omnibus aliis secretum & distinctum sortitur, ita eo perfectiùs cognoscitur, quò ejus differentias plenius intuemur, per quas cognoscimus quid sit, & quid non sit. Vnde si cujuspiam definitiones aucupari velimus, primò eum in genere collocamus, per quod scimus in communi *quid est*, & postmodum differentias addimus, quibus à rebus aliis distinguamus, & hoc pacto substantiæ, seu essentiæ rei completam notitiam suscipimus; v.g. inventuri quid sit homo, eum substantiam esse dicimus, quæ est primum ejus quidditativum prædicatum. Dein addimus, eum esse corpo- 16. 1. cont. gent. cap. 14.

reum, ut à substantiis spiritualibus distinguamus; & quia hoc etiam in lapide, & aliis inanimis invenimus, aliam accumulamus differentiam dicentes, ipsum esse substantiam corpoream, viventem, & quoniam plantas quoque vivere conspicimus, adjungimus hominem sensitivum esse, & quia sensus signa, & in aliis puta brutis deprehendimus, eum esse rationalem adiicimus, & hoc pacto plenam essentiæ hominis notitiam comparamus, proprias addendo differentias, quibus ab aliis secernatur. In consideratione autem substantiæ divinæ aliter equidem res se habet, quia enim omnem humani intellectus formam subterfugit, non possumus accipere *quid*, quasi genus, nec distinctionem ejus ab aliis per affirmativas differentias comparare. Vnde cogimur ad negativas recurrere. Quemadmodum autem in affirmativis differentiis una aliam contrahit, & magis ad completam designationem rei appropinquat, secundùm quod à pluribus differre facit, ita una differentia negativa per aliam contrahitur, quæ à pluribus differre facit; v. g. si dicamus Deum non esse accidens, per hoc ab omnibus accidentibus distinguitur. Si addamus eum non esse corpus, distinguemus etiam ipsum ab aliquibus substantiis, videlicet corporeis; & sic per ordinem secernendo ab eo omne quod est præter ipsum; per negationes hujusmodi à cæteris omnibus distinguetur, eritque de substantia ejus propria consideratio, cum cognoscetur, ut ab omnibus distinctus, non tamen erit perfecta cognitio, quia non cognoscetur quid in se sit. Eapropter S. D. non raro dicit, quod esto de Deo, quid sit nosse

non

non valeamus; scire tamen quid non sit possumus, & hoc ejus quod quid est vices supplet.

Arguitur 2. subjectum alicujus scientiæ ea omnia, quæ in ipsa considerantur complecti debet: sed in sacra scriptura seu Theologiæ doctrina determinatur de multis aliis quam de Deo puta de creaturis, & de moribus hominum: ergo Deus non est subjectum hujus scientiæ. 17. Hic & 1. sent. ad Annib. prol.q.5. a.2.

Confirmatur: scientia est illius sicut subjecti, cujus partes, & passiones considerat, ut patet ex *lib.1. post. in princip.* sed Deus non habet partes, & passiones, de quibus possit hæc scientia considerare: ergo Deus non est subjectum hujus scientiæ, saltim sub ratione absoluta Deitatis. Minor patet, quia Deus est omninò simplex, & quidquid in eo est, essentialiter est ipsemet Deus. 18.

Resp. S. D. quod omnia quæ in sacra traduntur doctrina, sub Deo, veluti subjecto attributionis adæquato comprehenduntur; non quidem ut partes, vel species, vel accidentia, nec enim Deus compositus est, sed omninò simplex, carens partibus tam integralibus, quàm subjectivis, cum non sit totum universale, vel quantitativum, aut aliquid ex subjecto, & accidenti coalescens (ut dicetur *infra quæst.3.*) sed ut aliquo modo ista ordinantur ad Deum, & ad ipsum habitudinem dicunt, vel signi, vel effectus, vel medij nos conjungentis ei. Itaque de creaturis sacra doctrina agit, non equidem secundum quod in propria natura consistunt (hoc enim pacto ad philosophicas disciplinas spectant; unde & proprias passiones, causasque rerum inquirunt) sed qua- 19. Ibid. 2. sent. prol.

tenùs à Deo rerum omnium principio exierunt, & ad eum, ceu finem ultimum per divinam scientiam, ac providentiam ordinantur, estque earum à Deo exitus & ordinatio hujusmodi per viam fidei, & revelationis aliquo modo cognoscibilis. Inter quas præcipuam rationalis creatura habitudinem ad Deum ceu finem ultimum habet, ad quem videndum per se, & eo fruendum per actiones morales, ut radicantur in gratia, & ex virtutibus infusis procedunt, potissimum pertingere valet.

20. Resp. ad confirm. quod quamvis Deus non habeat propriè loquendo passiones; habet tamen aliquid loco passionum, scilicet attributa quæ secundum intelligendi modum, ejus substantiam seu essentiam consequuntur, ut Damascenus dicit; habitudines & operationes ejus respectu creaturæ, quæ in Theologia de Deo considerantur.

Loc. cit. ibid.

21. Arguitur 3. Ens divinum est Theologiæ subjectum formale adæquatum: sed Deus, & ens divinum non sunt formaliter idem: ergo Deus non est formale adæquatum Theologiæ subjectum. Major prob. ex D. Thoma 1. sent. quæst. prol. art. 4. dicente: *Si autem volumus invenire subjectum, quod hæc omnia comprehendat; possumus dicere quod ens divinum cognoscibile per inspirationem est subjectum hujus scientiæ. Omnia enim, quæ in hac scientia considerantur, sunt, aut Deus, aut ea quæ ex Deo, & ad Deum sunt inquantum hujusmodi; sicut etiam medicus considerat signa, & causas, & multa hujusmodi inquantum sunt sana, id est, ad sanitatem aliquo modo relata. Unde quantò aliquid magis accedit ad veram rationem divinitatis, principaliùs consideratur*

deratur in hac scientia. Et solut. ad 1. ait; *quod Deus non est subjectum, nisi sicut principaliter intentum, & sub cujus ratione omnia, quæ sunt in scientia, considerantur.*

Confirmatur; illud est subjectum formale quod specificativum alicujus scientiæ cui immediatè convenit ratio formalis scibilitatis; sed enti divino prout abstrahit à Deo, & creaturis convenit immediatè ratio revelabilitatis; omne enim hujusmodi revelari potest: ergo ens divinum revelabile, seu cognoscibile per revelationem & subjectum formale adæquatum hujus scientiæ. Major prob. nam in Metaphysica ponitur ens inquantum ens subjectum formale, quia ipsi immediatè convenit esse abstrahibile ab omni materia; & non Deus, sicut primariò,& per se ei convenit hujusmodi scibilitatis ratio. 22.

Confir. 2. nulla scientia probat suum subjectum, sed illud esse supponit, & de eo proprias passiones demonstrat; sed Theologia probat Deum esse: ut patet *infra q.2. art.*3. ergo Deus sub ratione absoluta Deitatis non est subjectum formale adæquatum attributionis ipsius Theologiæ. 23.

Resp. ex S. D. 5. *metaphys. lec.*7. quod scientiæ subjectum dupliciter sumitur, primò communiter sicut aliquid in tota scientia consideratum; secundò propriè, & sicut de quo est principalis intentio, primò modo ens dicitur Metaphysicæ subjectum; secundò autem modo substantia. Et hoc pacto Deus sub ratione Deitatis est Theologiæ subjectum, videlicet tanquam id de quo est intentio in scientia; primo autem modo, seu tanquam id quod communiter in 24.

scientia consideratur est ens revelabile, seu cognoscibile per revelationem. Et quia subjectum est cujus causæ, & passiones in scientia quæruntur; hic enim est scientiæ finis, idcircò Deus propriè subjectum Theologiæ, & non ens revelabile. Alias solutiones vide in tabula aurea dubio 1154.

25. Resp. ad conf. dist. majorem; illud est subjectum formale specificativum, cui convenit ratio formalis scibilitatis, tanquam subjecto denominationis duntaxat, & communiter dicto, nego: tanquam subjecto intentionis, seu de quo principaliter quæritur cognitio, & cæterorum per habitudinem ad ipsum, concedo; v.g. sanum in medicina est ratio formalis scibilis, nec tamen formale subjectum medicinæ constituitur, omne quod à sano denominatur, sed corpus sanabile per artem, de quo est intentio. Et dist. min. enti divino prout abstrahit à Deo, & creaturis convenit ratio revelabilitatis, tanquam subjecto denominationis, & communiter dicto, concedo; tanquam subjecto intentionis, seu de quo est intentio, nego. Hoc enim est Deus, & quæcunque revelabilia sunt, ea præcisè ratione, quia ordinem aliquem ad ipsum, seu finem supernaturalem dicunt. Vnde si ab eis habitudinem hujusmodi abstuleris, jam ad Theologiam non pertinebunt.

26. Ad illud de Metaphysica respondetur, quod Metaphysica tantummodo ex effectibus Deum cognoscere potest, & non immediatè sub ratione absoluta deitatis, sicut Theologia. Vnde illa non tam Deum ut subjectum, quam ut causam primam subjecti sui, quod est ens inquantum ens, attingit. Theologia autem

respicit

respicit ipsum Deum sub ratione Deitatis immediatè ut subjectum formale intentionis, & non ut causam duntaxat ex effectibus cognoscibilem; quia attingit formalem Deitatis rationem, licet imperfectè. Sumitur ex S. D. 1. *sent. quæst. prol. art.* 1. *c.*

Respondeo ad 2. Conf. quod eo modo Deum esse à Theologo consideratur, quo sub fide & revelatione cadit, quo pacto non probatur, sed per fidem accipitur secundum illud Apostoli ad Hebræos capite 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Cujus rei gratia nota ex S. D. ibidem lect. 2. *quod de Deo potest multipliciter haberi notitia; uno modo per Christum, inquantum scilicet est pater unigeniti, & consubstantialis, & alia quæ specialiter Christus de Deo patre, & filio, & Spiritu Sancto docuit, quantum ad unitatem essentiæ, & Trinitatem personarum, & hoc modo tantum est creditum; secundo modo quod solus Deus colendus est, & sic etiam est creditum; Tertiò quod est unus Deus, & hoc est notum ipsis Philosophis*, per demonstrationem videlicet, probaturque à Theologo, ut quid præambulum ad fidem, seu ut quid conducens ad manifestationem eorum, de quibus agit, quod non implicat. 27.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Theologia sit argumentativa.

CAPVT PRIMVM.

Varij errores referuntur.

1. CVM argumentum sit actus rationis; dicitur enim argumentum quasi arguens mentem, seu ratio rei dubiæ faciens fidem, ea verò quæ sunt fidei, de quibus est Sacra Theologiæ doctrina, omninò rationem excedant; dubium meritò exoritur an in Theologiæ doctrina argumentis uti liceat. Hæc quæstio, tàm respectu principiorum Theologiæ, quæ sunt articuli fidei, quam respectu eorum, quæ ex principiis ostendi possunt, locum habet.

2. Præter Mahometem maledictissimum illum Arabem, qui ne fidei doctrina (qualiscunque fides ejus sit) in disputationes vocaretur, omninò, etiam sub capitali pœna, inhibuit (ut refert Prateolus *verbo*, Mahometes) pauci admodum reperiuntur hæretici, qui in fidei doctrina argumentis uti non licere asseruerint. Quinimmò vetus fuit antiquorum hæreticorum proverbium (Tertulliano teste *lib.præscrip. cap.* 8.) mysteria fidei, quæ sunt hujus doctrinæ principia, quærenda ac ratione investiganda esse, ad capiendam eorum, quemadmodum

&

& cæterarum rerum intelligentiam. Cum scriptum sit; *Quærite, & invenietis* Matth. 7. cap. Et rursus; Ioan. cap. 5. *Scrutamini scripturas, illa enim testimonium perhibent de me.* In hoc errore versatos fuisse Arthemonitas, & Manichæus ex Eusebio *lib.5. cap.ultimo*, refert Gravina *lib. 2. cath. præscript. cont. unica art. 1.* Hi enim demonstrationes ad credendum exigebant; citò namque, & absque ratione credere, cordis levitatem arguit; Eccles.19.*Qui citò credit, levis est corde.* Vnde Anonymus quidam apud P. Valentia *lib. 5. controv.* eò insolentiæ devenit, ut assereret, quod cum trabali clavo rationis lumen per Catholicos (quos Trinitarios vocat) extinctum sit, facillimum quoque videatur quemlibet fidei articulum condere, & nimium credulis hominibus tanquam cæcis album esse nigrum persuadere.

Eundem errorem Petro Abailardo impingit 3.
præfatus P. M. Gravina *ibidem.* Quod conjicit ex D. Bernardo *epist.*112. dicente. *Nihil videt* (nimirum Abailardus) *per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis, & mirabilibus super se*, sed manifestiùs S. D. hunc Abailardi errorem refert,& impugnat *epist.*190. ubi videndus.Quidquid sit de Abailardo; in hunc errorem impegisse Calvinum non levis conjectura est, quod ipse *lib.3. instit. cap.2.*asserat, non ignorantiæ, nec animi, vel sensus submissione, sed cognitione certa, & explorata Regnum cœlorum adiri. Allegatque Apostolum damnantem eos, *qui semper discunt, & ad scientiam veritatis nunquam perveniunt.* 2.Timoth. c. 3.

Cum autem in hujusmodi argumentationi- 4.
bus

bus theologicis, vel ex authoritate præsertim sacræ scripturæ, vel ratione humana procedi possit, Felicianus quidam Sectâ Arrianus, contra quem D. Augustinus pro consubstantialitate Verbi divini decertavit, rationibus potiùs quam scripturæ testimoniis, in fidei disciplina agendum esse dicebat. Qui error rejectus intelligitur ab Vrbano Papa *lib. Decret. Dist.* 37. & Concilio Lateran. sub Leone X. *sess.* 8. ubi authoritatem scripturæ rationi præferendam esse statuitur; *Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.*

5. E contra verò horum temporum hæretici Scholasticorum argumenta, præsertim quæ à ratione petuntur, ita exosa habent, ut ob id Scholasticam Theologiam, quæ cum Ecclesia nata est, ut vidimus, ipsique admodum utilis, omninò rejiciant, & variis Scommatibus persequantur. Primus inter eos Scholasticam Theologiam impius Vviclef traduxit, asserens Vniversitates, studia, Collegia, Magisteria vanæ gentilitatis imitatione in Ecclesiam introducta esse; tantumque istius bono prodesse, quantùm Diabolum. Addens insuper simplicium inspirationem sacerdotum, tam in hujusmodi rerum divinarum notitia, quam in polita institutione morum, plus Laïcorum fidelium capacitati prodesse, quam omnes Vniversitates cum studiis suis. Quem imitatus Lutherus *lib. contra Latornum* Scholasticam Theologiam dixit, ignorantiam veritatis, ab Adolescentibus ceu mortem animæ vitandam. Vnde & de ipsa intelligendum volebat illud Apostoli ad Colos. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem*

ditionem hominum, secundùm elementa mundi, id est, rationes à physicis, & naturalibus rebus peritas.

Philippus quoque Melanɑon Lutetiæ natam Scholasticam Theologiam somnians, eam prophanam vocat, ac subinde ceu pestem evitandam, cum scriptum sit; *Prophanas vocum novitates devita* 2. ad Timoth. 6. Cum tam perniciosa sit, ut eâ admissâ Evangelium obscuratum, & Christi fides extincta sit. Carlostadius etiam omnia hujusmodi studia penitùs rejicienda dogmatisans asseruit, uni Bibliorum Lectioni vocandum: nec fas esse Christiano litteris vitam insumere, quod & Anabaptistæ quidam pronunciarunt, nihil penitùs in Ecclesia, vel in Scholis præter Biblia juventuti proponendum affirmantes, idcirco Biblistæ nuncupati sunt. In summa nullus est Novatorum, qui Scholasticam Theologiam non carpat, Scholasticosque Doctores non laceret. Verum illud *ne lateat istos* (inquiebat D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 10.) *nos quidem esse belli occasionem; cæterum negotium revera ad excelsum spectare. Itaque in nos quidem machinas, & insidias instruunt, seque mutuò exhortantur ad ferendas suppetias, ut quisque peritia, aut robore valet, cæterùm in quod oppugnatur, fides est; isque scopus communis est omnibus, ut soliditatem fidei in Christum labefactent.* 6.

Non magis,aut meliùs in Scholasticam Theologiam, Scholæque Doctores affectus invenitur. Erasmus, qui *prol. in D. Hilarium*, eos temeritatis notâ inurit, quod debilium rationum humanarum fulcro innixi ardua tentent, 7.

&

& inaccessa præsumant altiora se quærentes, & Scrutatores Majestatis effecti, seriò modos, & causas operum Dei, actionumque ejus, ac mysteriorum fidei discutiant. Quod nulli hominum, sed Spiritui Dei concessum est. Vnde S. Gregorius Nyssenus *de Resurrect. Christi* sic ait. *Quocirca candidos, gratos, & sanos homines fidem habere decet, iis quæ à Deo dicuntur; modos autem, & causas actionum, & operum tanquam nostram intelligentiam excedentes exquirere non oportet.* Et S. Cyrillus catech. 11. *Qui est alius*, (inquit) *qui cognoscat profunda Dei*, nisi Spiritus Sanctus? *Neque tamen, vel ipse Spiritus Sanctus de filij ex Patre generatione loquutus est. Cur igitur curiosè inquiris, quæ nec Spiritus solus loquutus est in scripturis? Qui ea quæ scripta sunt, non nosti, circa ea, quæ scripta non sunt, ne sis curiosus.*

CAPVT II.

Deciditur quæstio.

8. Hîc in corp. & in sed contra. PRima conclusio; sacræ doctrinæ competit rationibus, seu demonstrationibus uti. Probat S. D. *in sed contra ex illo ad Titum* 1. ubi dicitur oportere Episcopum *esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere:* sed hoc fit per rationem demonstrativam, seu scientiam: ergo sacræ doctrinæ competit esse argumentativam. Minor est D. Chrysostomi *in glossa* dicentis; *Hoc verò quod ait, & contradicentes arguere, referendum est ad scientiam.*

Confirmatur ex illo 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem reddere de ea qua in vobis est fide*; sed poscenti rationem non satisfit nisi ratiocinando: ergo de his quæ sunt fidei ratiocinari convenit. Hinc est quod Paulus Magister gentium ad resurrectionem communem asserendam ex resurrectione Christi argumentatus est, ut patet 1. *Corinth. cap.* 15. 9. 1. sent. ad Annib. q. 3. art. 2.

Hoc idem asserunt communiter Patres & probant. Sufficiat impræsentiarum unus Chrysostom. *Absurdum est*, ait, *quod Medicus, Coriarius, textor, & omnes generatim opifices, quisque pro artis suæ, professione pugnet, Christianus autem non possit ullam Religionis suæ afferre rationem.* Et paulò infra, *Si illi* (nempe Gentiles) *ut contra Religionem loquerentur, tantoperè invigilarunt, quâ nos veniâ dignamur, nisi hujusmodi contrarios insultus propulsare calleamus? Hoc nobis Petrus præcipit; Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, qua in vobis est fide, & spe. Et Paulus*; ad Coloss. c. 3. *verbum Christi habitet in vobis abundanter.* 10. Homil. 16. in Ioannem.

Prob. ratione; ut argutè dixit D. Augustinus *lib.* 2. *soliloq. cap.* 11. (& habet vera Philosophia lib. 1. Posterior.) *Nulla occurrit facies disciplinæ* (seu scientiæ) *in qua non definitiones, ac divisiones, ac rationes, & ratiocinationes sint.* Sacra doctrina passim in Sacra Scriptura dicitur scientia, ac disciplina: ergo ei competit argumentari, seu rationibus, ac demonstrationibus uti. 11.

Secunda conclusio; Sacræ doctrinæ non congruit sua principia ratione disquirere, ac probare; sed ea per fidem revelata suscipere, & 12. Hîc & a. 1. sol. ad 1. & opusc. 70.

ex

ex his ad alia argumentari. Hæc conclusio sumitur ex illo Isaïæ cap. 7. *Nisi credideritis, non permanebitis.* Vbi Septuaginta legunt; *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quæ versio est communiter recepta, ceu veritati eorum quæ dicebantur maximè accommoda. Ibi enim de adventu Messiæ & Incarnationis mysterio sermo erat, ad quod arcanum intelligendum, quam maximè opus est fide. Vnde Eusebius; *Valde necessariò*, inquit, *Propheta Virginis partui, & nativitati Emanuelis Dei inter homines prætulit: Nisi credideritis, non intelligetis.* Ea propter SS. Patres communiter in hujus veritatis confirmationem hocce testimonium adducunt. Audiendus est S.Cyrillus *lib.* 4. *in Ioann.* dicens; *Optimè fidem cognitioni præposuerunt. Præcedit namque fides, cognitio sequitur juxta illud: Nisi credideritis non intelligetis. Nisi enim absque ulla dubitatione fidei jeceris fundamenta, non poteris paulatim cognitionem, quæ in Christo est superædificare, & in virum spiritualem evadere.* Videndi sunt D. Cyprianus *lib.*1. *contra Iudæos* D. Augustinus *lib.*1. *de libero arbit. c.* 2. & *in* 7. *cap.Ioann.* & alibi sæpe.

13. Eandem conclusionem probat illud Apostoli 1. *ad Timoth. cap.* 2. ubi se Magistrum gentium à Domino constitutum asserens, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ait, *Veritatem dico, non mentior, Doctor gentium in fide, & veritate*; Augustinus in glossa: *Veritate futura quæ est res, & merces fidei. Quæris mercedem, fides præcedat. Credimus enim, ut videamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides. Fides ergo est, quod non vides credere. Veritas quæ credidisti videre.*

Fides

Fides ducit ad veritatem, si maneatur in eo quod creditur, pervenitur & ad id quod creditur. D. Anselmus in eum locum, D. Hilarius in c. 13. Matth. *Regni mysteria*, inquit, *fides percipit.* Et lib. 2. de Trinitate. *Deus credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est.* D. Chrysost. homil. 17. in 1. ad Timoth. *Neque enim*, ait, *si quis clausis oculis quærat invenire quid poterit, sicut item si apertis illis, seipsum humo obruat, aversatusque solem ibi inquirat, invenire aliquid nequaquam poterit. Adeo sine fide nihil invenire potest; eaque absente pugnas nasci necessariò contingit.*

Insuper D. Bernardus Petrum Abailardum redarguens *epist.* 190. ita scribit. *Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere. Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere? Denique exponere volens illud sapientis; Qui credit citò, levis est corde; citò credere est, inquit, adhibere fidem ante rationem. Cum hoc Salomon, non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate. Nam illam, quæ in Deum est fidem D. Papa Gregorius negat planè habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum. Laudat autem Apostolos, quod ad unius jussionis vocem sequuti sunt Redemptorem. Scit nimirùm pro laude dictum; in auditu auris obedivit mihi; increpatos è regione discipulos, quod tardiùs credidissent. Denique laudatur Maria, quod rationem fide prævenit; & punitur Zacharias quod fidem ratione tentavit.* 14

Ratio

15. Ratio D. Thomæ est; Nulla scientia sua principia probat, sed ad aliquid demonstrativè probandum ex principiis notis, vel suppositis argumentatur; Sacra Theologiæ doctrina est scientia, ut ostensum est: ergo non debet argumentari ad sua principia demonstrativè probanda, quæ sunt articuli fidei, sed ex eis ad aliquid ostendendum demonstrativè procedere.. Majorem asserit D. Basilius *in psal.* 115. dicens; *Necesse est cujuslibet disciplinæ indemonstrata esse discentibus principia; quoniam circa principia pugnantes, ac contendentes rectè ac ordinatè posse ad finem procedere impossibile est. Hoc enim manifestè ex iis, quæ sunt externa, apparet. Nam si Geometriæ prima principia non concedas, impossibile fuerit inde quicquam concludere. Item in Arithmetica qui primis repugnat elementis, reliqua quæ ex illis sequuntur impediunt; sic nec à Medicis Medicinæ principia demonstrantur. Denique in quolibet studio, quo ordine in finem procedit, impossibile est primorum subjectorum demonstrationes inquirere, sed necesse est omnium artium quæ probationi nituntur principia sine vestigatione, aut ratione admittentem, ad reliqua quæ deinceps sequuntur inspicere. Sic & Theologiæ mysterium ex fide minimè rationibus probata ædificium quærit. Credendum est, inquit Apostolus, accedentibus ad Deum quod sit Deus, non contendere quid sit.*

16. Tertia conclusio; sacræ doctrinæ, quatenus altissima scientia, seu sapientia est, competit contra negantes sua principia argumentari, si aliquod fidei principium admittant, ex quo ad alia probanda valeat demonstrativè procedere, sin minus ei argumentis uti non conceditur,

sed

ſed rationes duntaxat adverſariorum fidei ſolvere, ſi quas adverſarij (hæretici nimirùm, vel infideles, aut quivis alij fidem Catholicam oppugnantes) adducant. Pars prima patet ex eo Apoſtoli loco ad Titum 1. ubi rationem reddens, cur contradicentes ab Epiſcopo arguendi veniant, ſubdit; *Sunt enim multi, etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de Circumciſione ſunt* (id eſt Iudæi, qui ſub nomine Chriſti judaiſare docebant) *quos oportet redargui*; patet autem quod Iudæi vetus organum, ſeu teſtamentum admittant; ex quo ad ea, quæ in novo teſtamento de Chriſto dicebantur, argui poterat, ad eos convincendos. In Evangelio Matthæi cap. 19. notiſſimus etiam eſt locus ille, quo matrimonij indiſſolubilitas à Chriſto contra Phariſæos ex teſtimonio veteris organi theologicè probatur; *Non legiſtis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam, fecit eos; & dixit; Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſeparet.* In quæ verba D. Hieronymus *in cat. D. Th.* ad dictum cap. 19. ait: *Sic reſponſionem temperat, ut muſcipulam eorum tranſeat, ſcripturam ſanctam adducens in teſtimonium, & naturalem legem primam Dei ſcientiam ſecundæ opponens.*

Similiter Chriſtus *Matth.* 22. Saducæos qui 17.
reſurrectionem corporum non credebant, & animam putabant interire cum corporibus, interrogantes, & turpitudinem fabulæ opponentes revicit, & confutavit ex ſcripturæ teſtimonio, dicens; *De reſurrectione autem mortuorum,*

non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium; ex quo inferebatur, quod Abraham, Isaac, & Iacob, etiamsi corpore defuncti, tamen secundùm animam viverent; ac subinde quod anima cum corpore non interiret. Advertit idem S. Hieronymus *in cat.D.Thom.* quod licet multa essent sacræ scripturæ testimonia multò clariora, tamen hoc, quod obscurum esse videbatur, ex libris Moysis adduxit, quia solos hos scripturæ libros Saducæi recipiebant; *Ad comprobandum,* inquit, *resurrectionis veritatem multis aliis exemplis manifestioribus uti potuit, ex quibus est illud; Resuscitabunt mortui & resurgent, qui in monumentis sunt, & in alio loco. Multi dormientium de terra pulvere resurgent. Quæritur ergo quid sibi voluerit Dominus hoc proferre testimonium quod videtur ambiguum,vel non satis ad resurrectionis pertinens veritatem, & quasi hoc prolato probaverit quod volebat, statim intulerit. Non est Deus mortuorum, sed viventium. Supradiximus autem Saducæos nec Angelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confitentes, & animarum quoque interitum prædicasse, hi quinque tantum libros Moysi recipiebant, Prophetarum vaticinia respuentes.Stultum autem erat inde proferre testimonia, cujus auctoritatem non sequebantur. Porrò ad æternitatem animarum probandam, de Moyse ponit exemplum; Ego sum Deus Abraham; statimque infert; Non est Deus mortuorum, sed viventium, ut cum probaverit animas permanere post mortem; neque enim poterat fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent, convenienter introduceretur & corporum*

porum resurrectio, quæ cum animabus bona, malaque gesserunt.

Insuper Christus (ut habetur in eodem c.22.) cum Iudæi æstimantes ipsum esse hominem purum, eum tentarent; volens ostendere, inquit Chrysostomus homil.72.in Matth.quod cognoscebat fallaciam cordis eorum & quia Deus erat, talem interrogationem eis proposuit; *Quid vobis videtur de Christo cujus filius est*, & cum respondèrent se reputare eum filium David, eos testimonio ejusdem Psal. 109. redarguit aiens; *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens. Dixit Dominus Domino meo; sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est.* Quæ ratio secundum D. Thomam *ibidem*, ita formari potest; Habetur in lege quod pater major est filio; non ergo filius Dominus est Patris: ergo vel Christus non est filius David, vel in eo est aliquid majus David, cum vocet eum Dominum. Aliæ multæ sunt hujusmodi argumentationes in novo testamento, ut *Matth. cap.12. Lucæ 6.1. ad Corinth. cap.15.* ubi Apostolus ex resurrectione Christi ad communem resurrectionem stabiliendam argumentatur. Et ut uno verbo concludam in actibus Apostolorum, & Canonicis epistolis hic arguendi modus familiariter occurrit; quem etiam Concilia, & Patres in disputationibus contra Hæreticos observasse ita notum est, ut probatione ampliori non indigeat. Vnde S. Iustinus Martyr in quæst. ad gent. quæst.145. hanc D. Thomæ conclusionem pro regula ab omnibus servanda præscribit; *Primum*, inquit, *ea quæ pro confessis habentur ponere, ac deinceps*

18.

eorum, quæ in quæstionem veniunt, solvere ambiguitatem debet.

19. Probat S. D. exemplo à physicis disciplinis sumpto, sic; Quamvis in aliis scientiis humanis, quæ sunt inferiores, contra negantes quodlibet principium non arguatur, tamen Metaphysicæ, quæ suprema earum est, atque caput, sapientiaque, competit contra negantes principia disputare, si aliquid admittant, ex quo possit ad alia probanda procedere; sed sacra doctrina est maximè, & propriissimè sapientia, cæteras omnes scientias humanas dignitate superans, ut ostensum est supra: ergo ad eam pertinet adversus negantes sua principia argumentari, si adversarius, puta infidelis vel hæreticus, aliquod fidei principium admittat, ex quo valeat ad alia probanda arguendo procedere.

20. Notandum, quod quando Sacra Theologia contra negantes principia ex aliquibus concessis argumentatur, non modò probabiliter, sed etiam demonstrativè procedere potest, ut v. g. adversus Iudæos, qui vetus testamentum admittunt, ex suppositione alicujus principij ibi traditi argumenta necessaria conflantur; quibus concluditur jam advenisse Messiam; Prophetarum oracula in Christi persona adimpleta. Et ita intelligendus est D. Thomas hîc. Quod autem hujusmodi demonstrativis rationibus non convincantur, & resipiscant ab errore, in causa est, quia *obtusi sunt sensus eorum*, inquit Apostolus 2. Corinth. 3. & 4. *usque in hodiernum diem velamen positum est super cor eorum.* In quæ verba S. Thomas lect. 3. inquit. *Obtusi sunt sensus eorum, id est, ratio eorum hebes est, & sensus eorum imbecilles, & obtusi sunt nec possunt*

possunt videre claritatem Dei, ideſt, divinæ veritatis abſque velamine figuratum. Et hujus ratio eſt, quia claudunt oculos, ut non videant, quia velum templi ſciſſum eſt. Et ideò eſt ex eorum culpa infidelitatis, non ex defectu veritatis, quia remoto velamine omnibus aperientibus oculos mentis per fidem clariſſimè veritas manifeſtatur. Rom. 11. Cæcitas ex parte contingit in Iſraël.

Secunda pars concluſionis etiam aſſeritur à Sanctis Patribus, præſertim D. Iuſtino ſupracitato, & D. Auguſtino 2. *de ſerm. Domini in monte*, ubi ait; *Qui novit quid reſpondeat, debet reſpondere, vel propter alios, quibus deſperatio ſuboritur, ſi propoſitam quæſtionem ſolui non poſſe crediderint.* Inſuper D. Gregorius Nazianzenus orat. 49. quæ eſt de fide, loquens de libello quodam, quem jam pridem adverſus Arrianos ediderat; *Et quia res digna*, inquit, *tam catholicæ confeſſioni, quam hæreticæ reſponſioni univerſorum judicio æſtimata eſt, multi eum, vel legere, vel deſcribere voluerunt.* Et in fine, cur reſpondendum ſit, oſtendit dicens; *Ne videatur hæc perverſitas præjudicata magis, quam examinata damnari, breviter tibi de hac oppoſitione reſpondeam.* Tandem D. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. *Revera*, inquit, *Verbum non vult otioſum eſſe qui credidit. Quærite inquit, & invenietis, ſed inquiſitionem terminat inventione recedentibus nugis, inſerta autem contemplatione, quæ noſtram fidem confirmat. Hoc autem dico, ne quis vos decipiat in probabilitate ſermonis, ait Apoſt. ut qui, quæ dicuntur ab eis diſcernere, ſcilicet didiceritis, & iis quæ objiciunt occurrere docti ſitis.* 21.

Probaturque ratione D. Thomæ ſic. Meta- 22.

physica, utpote suprema scientiarum, & cujus est contra negantes principia disputare, si adversarius nihil concedat, unde convinci possit, ejus rationes dissolvere potest; sed Theologia est suprema scientia, & maximè sapientia: ergo pariter, si adversarius nihil credat eorum quæ divinitùs revelantur, non remanet ampliùs via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, quas inducit contra fidem. Maj. patet; Prima scientiarum principia maximè vera sunt, quia naturaliter rationi sunt insita, ac subinde eorum veritas immediatè à prima veritate derivatur: ergo non est impossibile contrarium demonstrare, aliàs Deus, à quo induntur, author falsitatis esset, ac subinde omnes rationes, quæ contra hujusmodi principia adducuntur, solubiles sunt. Conseq. verò prob. quia id, quod de fide tenetur, nullatenus potest esse falsum, aut rationi naturali contrarium, cum primæ veritati, quæ omninò infallibilis est, & totius veritatis etiam naturalis fons, & origo innitatur: ergo quævis rationes contra fidei principia militantes, esto veritatis speciem ostendant, tamen veræ esse non possunt, sed sophisticæ, ac subinde eas solvendi remanet locus. An autem hujusmodi rationes evidenter solubiles sint, alterius loci est disputatio.

23. Ex 3. metaph. lect. 1. Confirmatur; contrariis ligatur rationibus intellectus noster, ne ad veri cognitionem pertingere possit; sed maximè eniti debemus, ut ad veritatis divinæ cognitionem pervenire possimus, cum in ejus contemplatione salus humana consistat: ergo oportet rationes, quæ contra fidem adducuntur, per quas à veritatis cognitione impedimur, solvere.

Tertia conclusio; etiam contra eos, qui nullum fidei principium admittunt, quemadmodum Gentiles, & Pagani, non modò non est illicitum argumentis, & rationibus uti, quinimò apprimè necessarium, & expediens, non quidem ad demonstrandam fidem, seu fidei Christianæ principia, sed ad ostendendum illa rationi non repugnare, esto rationem excedant. Prob. ex D. Augustino lib. 4. de doctr. Christ. dicente; *Cum posita sit in medio facultas eloquij, quæ ad persuadendum, seu prava, seu recta valet pluribus, cur non bonorum studio comparetur, ut militet virtuti, si eam mali in usum iniquitatis, & erroris usurpant.* Idem probatur ex D. Chrysostomo *loco supra citato in* 1. *concluſ.* & ex D. Clemente Alex. lib. 1. strom. dicente; *Meritò Apostolus variam, ac multiplicem dixit Dei sapientiam, utque multifariam, multisque modis, per artem, per fidem, per prophetiam, per scientiam, suam ostendat potentiam ad nostrum beneficium.* Idem asserunt communiter Patres. 24. Hic, & opusc. 70. q. 2. art. 3.

Triplex ex eis hujus ratio desumitur; prima est, ut fideles instruantur faciliùs, & ex his, quæ norunt, ad ea, quæ non norunt, manuducuntur. Sumitur ex Tertulliano lib. 2. contra Praxeam; *Propter instructionem*, inquit, *& munitionem quorundam; vel ne videatur unaquæque perversitas non examinata, sed præjudicata damnari.* Secunda est, ut corroborentur in fide, D. Bernardus serm. 64. *Nam etsi*, inquit, *hæreticus non surrexit de fæce; Ecclesia tamen confirmatur in fide; & quidem de profectibus sponsæ sponsus sine dubio gratulatur, gaudium enim Domini est fortitudo nostra.* Tertia est ad exercitium studiosorum, & aliorum solatium. Sumitur ex D. 25.

Clemente Alex. *lib.* 1. *Stromatum*, & Origene *lib.* 1. *Periarch.* S. Prospero 1. *de vita contemplativa*, & utramque hanc rationem assignat D. Thomas hîc.

26. Probatur ex D.Thoma *opusc.70.quæst.2.art.1.* Perfectio hominis consistit in conjunctione ad Deum secundum illud Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est*; ergo oportet quod homo ex omnibus, quæ in ipso sunt, quantum potest ad divina innitatur, & adducatur, ut intellectus contemplationi, & ratio inquisitioni divinorum vacet. Confirm. ex eodem S. D. *hic in solut. ad* 2. Gratia non tollit, sed perficit naturam: ergo oportet, ut naturalis ratio fidei subserviat, sicut naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Vnde Apostolus 2. ad Corinth. 10. *In captivitatem*, inquit, *redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.*

27. Secunda pars conclusionis prob. ex D. Cyrillo Alexandrino lib. de recta fide, ubi ait: *Stultissimum, & omnino fuerit exanimi subjicere ea, quæ mentem nostram transcendunt, & tentare intelligere, quæ intelligere impossibile est*; sed fidei principia rationem transcendunt, & pro hoc statu ea intelligere impossibile est, seu demonstrationem naturalem de eis habere, cum non sciamus quid de Deo; ergo ad hoc non debet Theologus uti rationibus naturalibus ut fidei principia probet demonstrativè, sed solùm, ut ostendat non repugnare. Quapropter idem S.D. lib. 4. in Ioann. *Demus* inquit, *operam, qui Dei Mysteria discere gliscimus, ut quasi optimi nummularij nummum cognoscamus, ne aut in fide accipienda, ratione docere velimus, aut quæ ratione probari possunt, temerariâ credulitate*

dulitate approbemus, sed alterutris, ut decet attendentes, ac per iter regium in neutram partem declinantes ambulemus.

Notat S. D. *opusc.*70. *quæst.*2. quod tripliciter 28.
potest homo investigatione divinorum per rationem naturalem, peccare. Primò ex præsumptione, quia scilicet sic ea investigat, & scrutatur, quasi perfectè comprehensurus. Vnde S. Hilarius; *Ne te inseras*, inquit, *in illud secretum, & arcanum inopinabilis nativitatis; ne te immergas summam intelligentiæ comprehendere præsumens, sed intellige incomprehensibilia esse.* Secundò ex hoc quod in eis, quæ sunt fidei, ratio præcedit fidem, & non fides rationem; dum scilicet aliquis hoc solum vult credere, quod ratione potest invenire, cum debeat esse è converso. Vnde Hilarius. *Credendo inquirere, percurre, persiste.* Tertiò ultra modum suæ capacitatis ad divinorum perscrutationem se ingerendo. Vnde *Rom.*12. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Non enim omnes eandem mensuram sunt consecuti; unde aliquid est ultra modum unius, quod non est ultra modum alterius.

CAPVT III.

Competatne Sacræ Doctrinæ magis propriè uti rationibus, quam authoritatibus, & quibusnam uti debeat?

CVm potissimum in sacra doctrina ad probandam veritatem, erroresque contrarios refellen 29. Quodlib. 4. art. 18.

refellendos, aut rationibus agere, aut eis authoritate arguere possimus; dubium exoritur hîc, quisnam horum arguendi modorum sit aptior. Ratio dubitandi est, quia ex una parte videtur, quod magister determinans quæstiones theologicas magis debeat uti authoritatibus, quàm rationibus, quia in qualibet scientia quæstiones optimè determinantur per prima principia illius scientiæ; sed prima principia scientiæ theologicæ sunt articuli fidei, quæ nobis per authoritates innotescit: ergo maximè quæstiones theologicæ sunt determinandæ per authoritates. Ex altera autem parte obstat quod dicitur ad Timoth. 1. *Vt sit potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere*; sed contradicentes meliùs revincuntur rationibus, quàm authoritatibus: ergo magis oportet determinare quæstiones per rationes quàm per authoritates.

31. S. Thomas *ibidem* hanc difficultatem ita resolvit: Dicendum, quod quilibet actus exequendus est secundum quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quædam enim disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; & in tali disputatione theologica maximè utendum est authoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur; puta, si cum Iudæis disputetur, oportet inducere authoritates veteris testamenti. Si cum Manichæis, qui vetus testamentum respuunt, oportet uti solùm authoritatibus novi testamenti. Si autem cum Schismaticis, qui recipiunt vetus, & novum testamentum, non autem doctrinam sanctorum nostrorum, sicut sunt Græci, oportet cum eis disputare

tare ex authoribus novi, vel veteris testamenti, & illorum Doctorum quos ipsi recipiunt. Si autem nullam authoritatem recipiant, oportet ad eos convincendos ad rationes naturales consurgere. Quædam verò disputatio est magistralis in Scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit, & tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, & facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur; alioquin si nudis authoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet. Huc usque D. Thomas. Ex quibus sequitur, quod sacræ doctrinæ potissimùm competit authoritatibus uti, quia potissimè ordinata est ad removendum errorem circa veritates divinas, & instruendum homines, an ita sit de Deo, & veritatibus illis. Et per hæc patet responsio ad objecta.

Circa secundum dicendum est cum D. Thoma; quod authoritatibus canonicæ scripturæ utitur sacra doctrina propriè ex necessitate argumentando. Authoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Authoritatibus denique Philosophorum & rationibus naturalibus sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt; quasi extraneis argumentis, & probabilibus. Primam partem probat, quia sacra doctrina innititur articulis fidei, ceu primis, & propriis scientiæ principiis; sed fides nostra innititur revelationi, Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros 32. In hoc art. 8. solut. ad 2.

libros scripserunt: ergo sacra doctrina authoritatibus canonicæ scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando; quia dum argumentatur sic ex primis scientiæ principiis arguit, ac subinde demonstrativè, & ex necessitate.

33. Confirmatur, quia sicut Deus prima scientiarum principia naturæ humanæ indidit, quibus homo disciplinas physicas, & cognitionem rerum naturalem suscipere possit, ita & per scripturam nos doceri voluit veritates divinas, & ipsiusmet cognitionem, quæ naturæ viribus comparari nequit; sed ex principiis hujusmodi de necessitate arguitur, & demonstrativè in physicis disciplinis: ergo & sacra doctrina ex authoritatibus sacræ scripturæ, per quam nos veritates revelatas doceri voluit. Ea propter D. August. lib.6. confess. cap. 5. *Ideoque*, ait, *cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate sanctarum litterarum, jam credere coeperam nullo modo fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras authoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.*

2.2. q.2. a.3. & 4. opusc. 70. q.2. art.2. & 3.

34. Secundam partem probat D. Thomas, quia fides nostra non innititur revelationi, si qua facta fuit aliis Doctoribus Ecclesiæ, præter Apostolos, & prophetas quos Dominus ad se gerat destinatos nationibus Magistros, & primos doctrinæ parentes: ergo non arguit ex authoritatibus, sicut ex principiis primis scientiæ. Vnde S. Augustinus *epist.* 19. quæ est ad Hieronymum ita scribit; *Solis scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem*

rem deferre, ut nullum authorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant; non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripserunt.

Tertiam partem D. Thomas probat *ibidem* dicens; Cum gratia non tollat, sed perficiat naturam, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei; sicut, & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Vnde & Apostolus dicit 2. ad Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et inde est quod etiam auctoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus actuum 17. inducit verbum Arati dicens; *Sicut, & quidam Poëtarum vestrorum dixerunt, genus Dei sumus.* 35.

Circa hæc sciendum est primò, quod ratio humana de qua hîc est sermo, nihil aliud est, quam argumentatio aliqua ex solo naturali lumine robur habens, sive sit demonstrativa, sive probabilis, quæ ad aliquam physicam disciplinam spectat. Quæ cum sit diversum genus scientiæ; ideò Theologia arguens ex hujusmodi rationibus extraneis, id est, pertinentibus ad diversum genus scibilis, arguere dicitur. Deserviunt itaque istæ rationes, ut ancillæ, ac ministræ ad manifestanda quodammodo divina, vel ostendendum ea, quæ sunt fidei, rationi naturali non repugnare. 36.

Notandum est tamen quod quædam sunt rationes naturales demonstrativæ, ut ex quibus demonstratur Deum esse, incorporeum &c. quæ sunt præambulæ ad fidem, & sic ad Theologiam 37.

pertinentes

pertinentes ſub lumine tamen divinæ revelationis, unde quando his utitur Theologia, non procedit omninò ex extraneis. Quia ad eam pertinent tum præambula ad fidem, tum conſequentia, atque per ſe ſpectantia ad illam.

38. Sciendum eſt ſecundò, quod ſicut Philoſophi locos nominare conſueverunt, *argumentorum ſedes*, ex quibus nimirùm ipſi argumenta in ſingulis ſcientiis, ſive demonſtrativè arguendo ex propriis, ſive dialectica, & Sophiſtica arguendo ab extraneis, deſumere ſolent (de quibus nos ſatis *tomo* 1. *clyp. philoſoph. part.* 1. *q. ult. art. ult.*) ita & hos argumentorum fontes, locos Theologicos hujus doctrinæ ſapientes nuncupant theologicarum argumentationum ſedes; à quibus nimirùm Theologus ſuas ratiocinationes accipit.

39. Decem recenſentur communiter: Primus eſt ſacræ ſcripturæ authoritas, quæ libris canonicis continetur. Secundus eſt authoritas traditionum Chriſti, & Apoſtolorum, quæ ſcriptæ non ſunt, ſed de aure in aurem ad nos pervenerunt. Tertius eſt Catholicæ Eccleſiæ authoritas. Quartus authoritas Conciliorum præſertim generalium, in quibus Catholicæ univerſalis Eccleſia reſidet. Quintus Eccleſiæ Romanæ authoritas, quæ divino privilegio & eſt, & vocatur Apſtolica. Sextus eſt authoritas ſanctorum ac veterum Patrum. Septimus eſt Theologorum Scholaſticorum authoritas; quibus adjunguntur juris canonici, ſeu Pontificij Doctores, ac periti. Etenim iſtius doctrina quaſi in æquilibrio Scholaſticæ Theologiæ reſpondet. Octavus eſt ratio naturalis, quæ per omnes ſcientias naturali lumine inventas, latiſſimè patet; harum enim

omnium

omnium rationes quodammodo Theologicæ doctrinæ subserviunt,ut ancillæ. Nonus est Philosophorum authoritas, qui naturam ducem sequuntur; cum quibus sine dubio sunt Cæsarei Iuris Consulti,qui veram (ut ipsi aiunt) Philosophiam profitentur. Decimus tandem est humanæ authoritas historiæ, sive per authores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiosè, neque aliter sed gravi constantique ratione.

Ex his locis tria duntaxat D. Thomas enumeravit, nimirùm canonicæ scripturæ authoritatem, sanctorum Patrum testimonia, ac demùm rationem naturalem Philosophorumque authoritates. Ad quæ nihilominùs decem enumerati reduci possunt.Quoniam ad authoritatem canonicæ scripturæ Ecclesiæ authoritas, etiam Romanæ & Conciliorum, ac traditionum Apostolicarum firmitas reduci poterit. In his enim omnibus divina authoritas continetur, quæ primò in sacris litteris,sive in sacrarum litterarum autoribus invenitur, in quibus etiam Ecclesiæ authoritas commendatur,dum dictum est Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Deinde ad aliorum Doctorum Ecclesiæ auctoritatem reduci potest tanquam aliquid minùs auctoritas Scholasticorum,& Philosophorum, quorum auctoritas in hac parte non tanta est, atque Sanctorum Patrum,quos ipsi Theologi Scholastici meritò venerantur.Cæterum ad tertium caput, cujus meminit D. Thomas reliqua quæ inter decem numerata sunt facilè reducentur. 40.

CAPVT

CAPVT IV.

Soluuntur contraria argumenta.

41. ARguitur primò ex D. Ambrosio lib. 1. de fide cap. 1. dicente, *Tolle argumenta ubi fides quæritur*; sed in hac doctrina præcipuè fides quæritur: ergo sacra doctrina non est argumentativa. Antecedens probatur ex illo Ioan. 20. *hæc scripta sunt, ut credatis.*

42. Resp. ex D. Thoma hîc ad primum dist. maj. tollenda sunt argumenta, ubi fides quæritur, innixa rationi humanæ & præsumentia demonstrare fidem concedo maj. tollenda sunt argumenta, quæ procedunt ex principiis per fidem suppositis alia demonstranda nego. Vnde D. Cyrillus Alexandrinus; *Oportet*, inquit, *fidei radices primùm in anima jacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda sunt.* Quærere autem fit per investigationem rationis.

43. Arguitur secundò: si sacra doctrina esset argumentativa, illi competeret argumentari, vel ex auctoritate, vel ex ratione? Sed neutrum horum sacræ doctrinæ congruit: ergo non est argumentativa. Prob. minor, imprimis non congruit ab authoritate argumentari; quia locus ab authoritate est infirmissimus, & solùm ostendens an res sit; sed uti modo arguendi infirmissimo derogat dignitati sacræ doctrinæ: ergo non competit ei ex authoritate argumentari. Deinde neque ex ratione, nam argumentari ex ratione ejus fini non congruit, quia secundum D. Gregorium homil. 26. in Evangelia, *fides*

fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Reſpondeo ex S. D. *hic*, neg. min. ad probationem primæ partis diſt. maj. Locus ab authoritate, quæ fundatur ſuper humana ratione eſt infirmiſſimus, concedo; nam cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ. Locus qui fundatur ſuper revelatione divina, quæ nec fallitur, nec fallere poteſt, nego maj. Cum enim revelatio divina primæ, & infallibili veritati innitatur, quæ nec falli, nec fallere poteſt, locus in ea fundatus efficaciſſimus eſt. Ad probationem verò ſecundæ partis diſt. antecedens; argumentari ex ratione humana ad demonſtrandum fidem, non congruit ſacræ doctrinæ fini, concedo; quia per hoc fidei meritum auferretur, ſi ad aſſentiendum veritatibus fidei per neceſſariam convictionem, intelligibilium & viſionem eorum intellectus induceretur. Argumentari ex ratione humana ad manifeſtandum aliqua quæ traduntur in hac doctrina, non congruit ejus fini, nego; Sacra enim doctrina, ut diximus *art. 6.* utitur aliis diſciplinis philoſophicis, tanquam ancillis; ſumendo ab eis quæcunque conducere poſſunt ad manifeſtandum aliquo modo res fidei. 44

Arg. 3. contra ſecundam; Quod ſit futura communis. Reſurrectio eſt articulus fidei; ſed Apoſtolus 1. *Corinth.* 16. ex Reſurrectione Chriſti ad communem Reſurrectionem ſtabiliendam argumentatur: ergo ſacra doctrina ad ſua principia demonſtrativè probanda arguit; nam arguere ex loco ſacræ ſcripturæ, eſt arguere ex propriis & demonſtrativè. 45

Confirmatur, Hæc eſt neceſſaria conſequen- 46

tia, *Christus resurrexit : ergo mortuus est* ; sed Christum mortuum esse & resurrexisse sunt duo fidei principia : ergo unum principium Theologiæ potest efficaciter probari ex alio, seu demonstrari.

47. Resp. ad argum. concessa majori dist. min. Apostolus argumentatur ex Resurrectione Christi, tanquam ex principio concesso ad Resurrectionem communem inconcessam, vel saltim in dubio positam à quibusdam Corinthiis, contra quos agebat, concedo; tanquam ex principio de se demonstrativo, & noto pro hoc statu, nego. Quod autem aliqui Corinthij communem Resurrectionem negarent, vel de ea dubitarent, patet ex eodem Apostolo ibi dicente; *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quod Resurrectio mortuorum non est.* Diximus autem supra quod ex principio fidei concesso benè potest ad aliud probandum argui, si sit inconcessum. Sumitur ex D. Thoma 1. sent. q. prob. art. 5. ad 4. ubi ait; *Quod argumenta tolluntur ad probationem articulorum fidei scil. demonstrativam, & comprehensivam eorum per rationem, sed ad defensionem fidei, & inventionem veritatis in quæstionibus ex principiis fidei oportet argumentis uti; sic enim Apostolus facit* 1. *Corinth.* 16. *Si Christus resurrexit : ergo & mortui resurgent.*

48. Resp. ad Conf. dist. maj. hæc consequentia, *Christus resurrexit ; ergo mortuus est*, necessaria est secundum quod mors Christi ponitur fidei principium, & articulus, nego : secundum quod Resurrectio communiter non est, nisi ejus qui mortuus est, concedo. Mors enim

enim Christi, ut est articulus, importat fidem Redemptionis, & salutis humanæ virtute Passionis, & mortis illius factæ, & quod Deitas mortua non sit, & similia, de quibus S. Thom. luculenter, & diffusè *opusc.* 6. §. *Passus sub Pontio Pilato*, quæ ex resurrectione Christi ut sic nequeunt demonstrari.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum Sacra Scriptura debeat uti metaphoris.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Sacra Scriptura, & an sit propriè verbum Dei.

§. I.

Quædam prænotantur, & hæreticorum errores breviter referuntur.

SVPRA *art.* 1. aliquam doctrinam divinitùs inspiratam comparandæ saluti necessariam esse constituimus. Dupliciter autem potest homo divinitùs edoceri; primò per internam Dei locutionem sive inspirationem, quâ ipse Deus ad cor hominis loquitur, veritatis notitiam mentibus hominum inspirando. Ratione cujus solus ipse Magister dicitur Matth. 23. *Vnus est Magister vester.* 2. exte- 1.

riùs, per homines loquendo divinitùs edoctos, & inspiratos tanquam verbi Domini ministros. Quo pacto loquutus est primò per Prophetas suos; Deinde per unigenitum Verbum suum carne indutum, secundùm illud Apostoli ad Hebr. 1. *Multifariè, multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in filio.* Tandem per Apostolos suos quos adlegerat destinatos nationibus Magistros secundum illud Apostoli 2. Corinth.3. *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Vnde S. Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 3. inquit; *Hoc priùs per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantùm satis esse judicavit, locutus, etiam scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentissimæ authoritatis.*

2. Scriptura igitur, quæ hujusmodi continet doctrinam scriptura sacra, seu sancta nominari consuevit, ut habetur *Rom.* 1. Quia sancta continet, quia ad sanctitatem provocat,& quia specialiter est à Deo, tanquam quæ dicitur illius Epistola ad nos missa, ut habet D. Ambrosius *epist.*84. dicens; *Quid est scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam missa*? Dicitur sancta, seu sacra ad differentiam aliarum scripturarum, quæ divinitùs inspiratæ non sunt, nec per Verbi Domini ministros idoneos, & fidei nostræ præcones annunciatæ, sed voluntate humana allatæ.Vnde Apostolus 1. ad Corinth. 2. *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non hujus sæculi, neque principium hujus sæculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam*, id est, non loquimur sapientiam, quæ est per rationes humanas inventa, hujusmodi est tota hominum Philosophia,

ſophia, aut legum ſcientia, dæmonumque artes; ſed ſapientia Dei, id eſt, quæ ſpeciali jure & modo eſt à Deo nimirùm per revelationem ſecundum illud Sapient. 9. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis.*

Igitur in præſenti quærimus an verè, atque 3.
reipſa ita ſit quod hujuſmodi ſcriptura quæ continetur in libris Canonicis, continetque ſacram doctrinam, Chriſti, Apoſtolorum, & Prophetarum, dividiturque per veterem, & novam legem, ſeu vetus, & novum teſtamentum, ſit à Deo divinitùs inſpirata, & tanquam Verbum Dei habenda, & utrum de hoc aliqua ratio haberi poſſit?

Præter Ethnicos, qui ſcripturam ſacram non 4.
modò ut Dei verbum non ſuſceperunt; ſed ut aviles fabulas contempſere, multi à fide apoſtatantes, atque hæretici eam non eſſe divinitus inſpiratam, nec ut Dei verbum habendam affirmarunt. Sic Celſus apud Origenem in libris contra ipſum, editis. Antiqui etiam Gnoſtici, ut refert Irenæus *lib. 3. cap. 2.* Scripturæ nullam, vel minimam deberi authoritatem aſſeruerunt; quippe quæ & mendacia multa, & pugnantia contineat. Libertini etiam quorum Duces, & Anteſignani extiterunt Quintinus, & Coppinus, ridere ſolitos refert Calvinus *in inſtruct. adverſus Libert. cap. 9.* Si quis ſcripturas allegaret, nec diſſimulaſſe, quin eas pro fabulis haberent. Gaſpar etiam Suvenkfeldius (ut narrat Card. Bellarm. *lib. 1. de verbo Dei cap. 1.*) verbum ſcriptum tanquam litteram occidentem reſpuit, ſoloque ſpiritu interno, qui vivificat contentos nos eſſe debere aſſeruit. Quinimò in

derisum scripturas adducens ajebat ipsas, ceu idolum quoddam, & puerorum pupam ostentari. In eodem errore versatus est Papus *in Breviculo fidei Romana thesi* 9. ut refert Gravina *Cathol. præscript. lib. 4. contr. de verbo Dei scripto art.* 1. ut alios innumeros prætermittam, qui scripturæ partem ut verbum hominum, vel fabulam, & inventum humanum rejecerunt. Ipsum Lutherum sinistram opinionem de scripturis concepisse multi non sine magno fundamento existimant; ipse enim in Colloq. apud Aurifabrum tit. de scriptura inquit, *quod post Biblia nullus habetur in orbe liber elegantior, quam scripta Catonis, & Æsopi fabulæ.* Et id satis ostendere valent vitæ ipsius modus liberior, & perditissimi mores, qui homines in Dei, divinique ipsius verbi contemptum infæliciter deducere solent. Vnde ipsemet Lutherus *epist.* 2. *ad Saxoniæ Ducem* de quibusdam conqueritur quod scripturas nihili faciant, asserentes eas nihil esse, aut posse, & Calvinus 1. *instit. capite* 7. multos scripturæ authoritatem in dubium vocare, & probationem hujus veritatis exigere affirmat. Et ut cæteros prætermittam Muntzerus inter suos potus scripturas in jocum, & contemptum adducere solitus fuit, Castalio eas paruipendit. Libanius libro contra Gretserum dixit, eas non esse verbum Dei, sed aliquid quid. Quia scriptura non vivit, non est veritas, non manet in æternum.

§. II.

§. II.

Statuitur conclusio, & probatur.

Dicendum est scripturam sacram esse à Deo inspiratam, atque verè verbum ipsius. Et ut talem habendam multa probant eo probationis genere, quo credibilitas mysteriorum fidei demonstrari potest. Hujusmodi probationes breviter perstrinxit Iunilius Episcopus Africanus lib. 2. de part. divinæ legis cap. 29. dicens; *Unde probamus libros Religionis nostræ divinâ esse inspiratione conscriptos? Ex multis. Prius est ipsius scripturæ veritas; deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritasque verborum. Additur conscribentium, & prædicantium qualitas, quod divina homines, excelsa viles infacundi subtilia nonnisi divino repleti spiritu tradidissent. Tum prædicationis virtus, quam, dum prædicaretur, licet à paucis despectis, obtinuit. Accedunt his rectificatio contrariorum, ut Poëtarum, vel Philosophorum; expulsio adversariorum utilitas consequentium, exitus eorum, quæ per acceptationes, & figuras, & prædictionem prædicta sunt. Ad postremum miracula jugiter facta, donec ipsa susciperetur à Gentilibus, de qua hoc nunc proximum miraculum sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur.* 5.

Ex quibus hoc argumentum desumi potest; 6. prærogativæ, seu proprietates scripturæ sacræ competentes nulli sapientiæ sæculari seu ratione humana inventæ competunt, aut simul adaptari possunt: ergo non est ratione humana inventa, sed à Deo inspirata, seu ut verbum Dei

habenda est. Prob. antecedens, Proprietates & prærogarivè speciales hujus scripturæ, ut ex Iunilio atrulimus, sunt summa veritas, rerum ordo, consonantia præceptorum, modus locutionis Scribentium, & prædicantium qualitas, prædicationis virtus, rectificatio contrariorum, expulsio adversariorum, seu triumphus de eis infallibiles eventus subsequuti, & denique confirmatio veritatis per miracula, & mortes martyrum ipsius testium; sed hæ nulli doctrinæ humanitus inventæ competunt, aut simul competere queunt: ergo prærogativæ, seu proprietates scripturæ sacræ nulli sapientiæ sæculari, vel doctrinæ humanitùs inventæ competere possunt.

7. Prob. minor exemplificando per singula. Imprimis summa veritas in scripturis sacris relucet, nec aliquid Deo indignum, aut innato rationis lumini repugnans edocetur, ut discurrenti, per singula patebit. Ipsa enim docet Deum religiosè colere, interiùs quidem fide, spe, & charitate; exterius autem per Sacramentorum cæremonias & ritus; per præceptorum & consiliorum observantiam: vivendi normam instituit egregiam, & primis naturalis rationis principiis admodum conformem; scil. nulli malum inferre, omnibus benefacere, venerari Deum, honorare parentes, assurgere & obsequi majoribus; in moribusque tantam exigit perfectionem, ut non modò malum esse, sed etiam à malo parum abfuisse crimini tribuat, dum nos etiam à cogitationibus pravis, vel cujusvis mali appetitione coërcet. Et quod summum in ea est pro inimicis orare docet; persequentes, non gladio sed obsequio, & ancore flectere.

flectere. Vnde Tertullianus in apolog. cap. 31. & 32. *Inspice*, ait, *Dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus, & plerique casus ad extraneos transferunt: scito ex illis praeceptum nobis esse ad redundantiam benignitatis Dei, etiam pro inimicis orare*, &c. Videndus de hac re D. Gregorius Nazianz. orat. 3. quæ est in Iulianum.

E contra verò Gentilium Theologia atque doctrina multa de Deorum natura refert & edocet, quæ Deitati tribuere piaculum ingens est; ut ortum & genituram, corporeïtatem, imprudentiam, rerum ignorantiam, ſtrupra, adulteria, cædes, & denique tam corruptos mores, ut in perditum quemque hominem eos cædere turpiſſimum fuerit. Multitudinem Deorum prope infinitam comminiſcitur, advehit ſuperſtitiones ad eorum cultum innumeras, & plerumque fœdiſſimas, quæ probi cujuſvis hominis aſpectui poſſint horrori eſſe; ut cæteras ſuperſtitioſæ ac vanæ eorum Theologiæ, Theologorumque abſurditates prætereám. Quapropter idem S. Greg. *ibidem*, ita in Iulianum invehitur; *Quid postea? Præbebis ipsis, scil. divinorum, ut ipsi dicere soletis, oraculorum interpretes; ac libros tum theologicos, tum morales evolves, & explicabis. Quosnam tandem hos, dic quæso, & quorum? præclarum erit Hesiodi Theogoniam ipsis accini, & bella illic descripta, & tumultus, Titanes, Gigantes, nominibus simul ac rebus horrendos. Proferentur Cotus, Briareus, Giges, Enceladus, anguipedes vestri, Diique fulmen gestantes, & insulæ in eos injectæ, quæ tela simul & sepulchra illis ad prælium occurrentibus extiterunt; tum acerbi atque immanes eorum* 8.

fœtus

fœtus ac Soboles, Hydræ, Chimeræ, Cerberi, Gorgones, omnis denique mali colluvies. Hæc sint egregia illa, quæ auditoribus ex Hesiodo proponentur, &c. vide plurima ibi.

9. Quod si dicatur hoc egisse fabulosam Theologiam, quæ multa de Diis finxit; certè arguuntur Gentiles, quod imposita hominibus crimina, legibus ac suppliciis mulctarint; calumnias autem Deorum suorum, & criminationes Poëtis permiserint. Meritóque arguendi, immo irridendi veniunt, quod fabulosa, & commentitiæ pro veris habuerint, & templo invexerint. *Et quidem* (ait idem Gregorius ibidem) *si hæc vera sunt, non erubescant illi, sed potiùs glorientur, aut ea turpitudine carere probent. Quid enim necesse est eos ad fabulam, tanquam ad turpitudinis integumentum perfugere? Neque enim præsidentium, sed metuentium, ac terga vertentium est fabula. Si autem falsa, primùm nudos theologos nobis ostendant, ut cum his disputationem ineamus. Deinde dicant, an non stultum sit, quibus ut fictis & fabulosis erubescunt, iisdem ut firmis se se jactare; & quæ multitudini obscura, atque incognita esse potuissent(non enim omnium est eruditio) hæc, tum per figmenta, tum per figuras, ob omnium oculos ponere; quodque gravissimum est, non sine maximè pecuniarum detrimento, in templis, aris, statuis, donariis, ac sumptuosissimis sacrificiis; cumque citra rei familiaris dispendium, pietatem colere liceat, impium esse malle cum detrimento. Quod si hæc quidem Poëtarum figmenta, & nugas esse dicent, duo hæc, hoc est carmen & fabulam, ad conciliandam poësi jucunditatem adhibentium, iisque aurem velut delinientium, cæterum altiorem, & abstrusiorem*

in

in eis sensum reconditum esse, atque ejusmodi, ut sapientiorum pauci ad eum penetrare possint; videte quam simpliciter, & aequè de his rebus disseram. Primùm, cur eos qui contumelias inferunt, laudant, divinisque penè honoribus afficiunt, quibus impietatis pœnam non persolvere, satis amplum lucrum erat? Nam cum eos, qui unumquempiam Deorum privatim etiam ac levi maledicto affecerunt, capitalis pœna legibus constituta sit, quas tandem eos pendere oportebat, qui in omnes simul, & publicè, & ob fœdissima flagitia poësis suæ aculeos strinxerunt, atque hanc comœdiam posteris in longum tempus tradiderunt? &c.

Secundò, quantùm ad rerum ordinem elocutionemque spectat tam admirabili rerum ac verborum contextu & serie conscripta est, tanta sensuum copiâ referta, ut in singulis verbis multiplices intelligentiæ lateant; & nunquam sic diffusè, atque dilucidè exponitur, quin plura exponenda remaneant. Et licet in ea sublimia quæque, ac divinissima tradantur, tamen omnibus accessibilis est. Quod egregiè observavit D. Gregorius *in Iob. cap.* 4. dicens; *Habet in publico, unde parvulos nutriat; servat in secreto, unde mentes sublimium admiratione suspendat; quasi quidam fluvius planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* E contra verò humana sapientia, & Gentilium doctrinæ, teste D. Isidoro lib. 3. de summo bono cap. 19. *exteriùs verborum eloquentiâ nitent, interiùs vacua virtutis sapientiâ manent.* Et si quæ sublimia tradunt, tot subtilitatibus replent, & verborum involucris tegunt, ut videantur potius ea velle ignorari, quam doceri, propriam gloriam, & non commune audientium commodum spectantes. 10.

Tertiò, accedit eximia doctrinæ & præceptorum consonantia, eò mirabilior, quod licet diversis temporibus, & à diversis admodum personis conscripta sint, tamen ubique consonant. Quod D. Iustinus martyr adnotavit. Ex quibus vera horum traditio apparet: Namque, ut ait Lactantius lib. 5. cap. 5. *Quadrat undique, & sibi tota consentit, & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est.* E contra verò in doctrinis humanitùs adinventis multa dissonantia est, etiam iis in rebus, quæ rerum principia, & Deorum naturam concernunt, fœlicitatemque, & summum bonum spectant. Vnde Tertullianus, lib. de anima cap. 2. *Plus diversitatis*, inquit, *reperies inter Philosophos, quam Societatis, cum & in ipsa societate diversitas deprehendatur.* Cujus rationem assignant D. Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 41. & D. Theodoretus lib. 2. de princip. dicens: *Proprias sibi vias fecerunt, tum verò & innumeras excogitarunt; multifidæ sunt enim mendacij, falsitatisque semitæ.* Profectò non modicum sacræ doctrinæ veritati attestatur, & favet tanta eorum in sententiis discordia; Nam ut scripsit Hilarius lib. 7. de Trinit. *Dum sibi adversantur, affirmant.* Et S. Vigilius m. lib. 2. contra Entychetem ait, quod *dum eosdem contrarios invenimus, eorum error veritati testimonium dicit.*

12. Quartò accedit Prædicatorum, & Scribentium qualitas, nempe quòd divina homines, excelsa viles, infacundi subtilia nonnisi spiritu divino repleti tradere potuerunt. Nec in eis mendacij, deceptionis, aut malitiæ suspicio locum habere potest. Nec enim si fuissent mali, tam seriò virtutes commendassent, vitia

ex

exprobassent; illas præcipiendo, ista prohibendo; aut commenta sua Deo tribuere potuissent, qui tam strenuum, & acre bellum mendacio inferebant, etiam in seipsis vitia condemnando. *Neque propter invidiam*, ait Chrysostomus homil. 37. in Genes. *justorum virtutes præterit, neque propter gratiam peccatum adumbrat*, videlicet scriptura. Quibus adde sanam eorum in his agendis intentionem: *Non enim*, ait Lactantius lib. 5. cap. 3. *quæstus & commodi gratiâ religionem commenti sunt, quippe qui & præceptis, & reipsa eam vitam secuti sunt, quæ & voluptatibus caret, & omnia quæ habentur in bonis spernit; & qui non tantùm mortem pro fide subierint; sed etiam morituros se esse, & sciverint, & prædixerint, & postea universos qui eorum doctrinam secuturi essent, acerba & nefanda passuros.* E contra verò Philosophi & mundi sapientes nonnisi gloriam & commodum in suis doctrinis aucupati sunt, & in ferendis de religione legibus, quæ sensum mulcere solent, ut plurimum sunt polliciti: nullatenus autem, quæ sensui & voluptati omnino adversarentur.

Quintò accedit eorum prædicationis virtus, quæ gentes innumeras, & tot homines efferatos, voluptati deditos, abhorrentes ab iis quæ dicebantur, ad religionem Christianam amplectendam, relictis patriis legibus, convertit; & in sui admirationem pertraxit; itaut sapientes multi relicta sæculari sapientia, prædicationis fidei Christianæ simplicitati acquiescerent, religionis nostræ jugo colla subdentes. Nulla sapientia, seu doctrina, tam acriter impugnata per criminationes & calumnias, per comminationes 13.

tiones & terrores, perque Principum edicta, proscriptiones, & supplicia horrenda, per sapientum doctrinam, & Philosophorum fallacias, cum ipsa tamen de omnibus victrix evaserit, persecutionum impetu robur & augmentum suscipiens, quod de nulla doctrina Philosophorum, aut sapientia humana legitur. Hoc annotarunt inter alios Origenes lib. 4. Periar. & D. Clemens Alexandrinus lib. 5. & 6. strom. dicens: *Si quivis magistratus prohibuerit* (scil. Philosophiam) *ea statim gerit. Nostram autem doctrinam à prima usque predicatione prohibent simul Reges & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus cum universis satellitibus, & innumerabilibus etiam hominibus in nos belligerantibus, & nos pro viribus excedere conantibus: illa autem magis etiam floret. Non enim emoritur ut doctrina humana, neque flaccessit ut donum imbecillum.*

14. Sextò accedit utilitas consequentium, & exitus eorum, quæ per acceptiones, & figuras, & prædictionem prædicta sunt. Nam per scripturas idololatria prostrata, oracula deleta, superstitiones abolitæ, Græcorum sapientia confusa, Synagoga redarguta, hæreses jugulatæ, omnis intellectus in captivitatem redactus in obsequium Christi. Videndus de hac re D. Chrysostomus *orat. 2. adversus Iudæos.* Sed profectò majus his testimonium nobis præbet eventus eorum quæ multò antea fuerant in scripturis prophetata. Nam ut perbellè Tertullianus in Apolog. cap. 20. ait: *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et de Moyse scriptore sacro loquens lib. de anima cap. 28. satis, ait, *probavit divinitatem operis ex divinatione*

natione vocis. Cum igitur in sacra scriptura tales profectò prædictiones habeantur, quæ postmodum impletæ sunt, non alius hujus scripturæ author quam Deus existimandus est. Quod autem res ita se habeat, patet ex mutua collatione hujusmodi prædictionum cum eventibus; de quibus D. Augustinus lib. 13. contra Faustum ita scribit; *Si aliquis Gentilis testimoniis Prophetarum de persecutione Regum, & populorum, de fide regum & populorum, de abolitione idolorum, de cæcitate Iudæorum, de probatione Codicum ab ipsis custoditorum, de amentia hæreticorum, de excellentia Sanctæ Ecclesiæ verorum & germanorum Christianorum ante prædicta, & nunc impleta conspiceret, quid inveniret fide dignius, quam illos Prophetas, quibus de divinitate Christi eligeret credere? Etenim si antequam ista fierent, ingererem gentili Prophetas hebræos, quibus ea futura crederet, quæ facta nondum videret; meritò fortasse diceret; quid mihi est cum istis Prophetis, quos unde veraces probem non mihi ostenditur? Cum verò tam magna & tam multa, quæ dixerunt, jam ad effectum, manifestationemque perducta, planè ille, si perversus esse nollet, nec ista ullo modo contemneret, quæ tanto ante, & tanto apparatu prævidendo & prænunciando commendari meruerunt, nec illos, à quibus prævideri, & prænunciari potuerunt.*

Quod si dicatur, Christianos hanc scriptu- 15.
ram composuisse, postquam ista per mundum fieri cœperunt, ut ante divinitus prædicta putarentur; Contra, quia hi libri non à Christianis suppositi, sed ab ipsamet Synagoga producti; *Per eorum quippe Codices* (ait Augustinus lib. 15. de Civit. & in Psal. 88.) *probamus*

non

non à nobis tanquam de rerum eventu commonitis ista esse conscripta; sed olim in illo regno prædicata, atque servata; nunc autem manifestata & impleta.

16. Vltimò accedunt miracula jugiter facta, donec susciperetur à gentilibus, ac etiam postquam suscepta est. Ex innumeris unum, vel alterum referemus. Theopompus quidam græca oratione scripturæ aliquot locos ornare volens, cerebri agitatione tandiu percutitur, donec cessavit ab opere. Theodorus etiam Theodactæ comœdiarum scriptor quædam scripturæ verba ad fabulas convertere studens cæcitate punitur, ut refert Iosephus *lib.12.de antiquit.cap.2.* Tempore persecutionis Vvandalicæ igni traditi sacri codices incolumes servati sunt, subitò demissa è cœlo sereno pluvia, quæ ignem extinxit.

17. Secundò prob. sacra scriptura ab aliquo esse debet; sed non ab inventione humana, vel rationis investigatione: ergo est à Deo inspirata & revelata. Prob. min. cum verba sint signa conceptuum, illi duntaxat principaliter tribuenda est impositio, seu prolatio verborum tales res, seu mysteria significantium, quæ nonnisi ab illo solo primò concipi, aut apprehendi potuerunt; sed res seu mysteria per scripturam sacram revelata, talia sunt, quæ primùm ac principaliter nonnisi à Deo cognosci potuerunt, ut constat de mysteriis incarnationis, passionis, resurrectionis è sepulchro, ascensionis in cœlum &c. & Trinitatis personarum in unitate essentiæ: ergo sacra scriptura nonnisi à Deo, tanquam à causa principali esse potest. Hanc rationem insinuat D.Clemens Alex. *lib.6.strom. cap.6.* dicens; *Quoniam ex Apostoli sententia Spiritus*

Spiritus scrutatur profunda Dei; animalis autem homo non capit quæ sunt Spiritus; sola ergo est à Deo tradita, quæ apud nos est doctrina.

Ex his colliges contra Novatores non sufficere privatum Spiritum internum, ut sit canon & regula divinæ veritatis agnoscendæ; sed exigi sacram scripturam. Quia de regulæ ratione est, ut sit nota ac certa, infallibilis, atque indubitata; sed privatus Spiritus internus non potest pro certo & indubitato à nobis haberi; igitur non sufficit, ut sit Canon & regula divinæ veritatis. Prob. minor quia ille internus Spiritus pro certo & infallibili haberi & agnosci deberet, vel quia ipsi, qui eo illustrati sunt, id dicunt; vel quia ex circunstantiis exterioribus ejus certitudo & infallibilitas apparet? Non primum; cum experimento constet multos, etiam perditissimos homines, & mulierculas jactare se de recepto interno illo Spiritu, quibus nulla fides à cordatis viris habenda est. Quod si ex exterioribus id judicandum veniat, miracula requiruntur in confirmationem (quæ ut plurimum nulla sunt) consensus gentium, & aliæ probationes adductæ, quæ scripturam sacram verè Dei verbum esse ostendunt. 18.

§. III.

Solvuntur contrariorum argumenta.

Arg. 1. Multa in sacra scriptura referuntur, quæ apud Sapientes pro fabulis habentur; v. g. quod Serpens in Paradiso mulierem sit allocutus; quod genus humanum diluvij aquis deperierit; & quod mundus iste sit conflagrationi tradendus (hæc enim omnia à Poëtarum 19.

fabulis mutuata videntur.) Insuper quod legitur de viribus Sampsonis *Iudic. cap.* 14. & 15. & quæ de Davide 1. *Reg. cap.* 17. quod nimirum Leones discerpebat & ursos, & alia hujus generis plurima apud Origenem *lib.* 1. *&* 4. *contra Celsum*. Præterea in sacra scriptura plurima narrantur humilia, & historiarum monumentis indigna; v. g. quod canis peregrinantem Tobiam sequebatur. Quod Paulus esset sollicitus, ut sibi penula Troade apud Carpum relicta mitteretur. Tandem referuntur vitiorum exempla, & perditorum hominum corrupti mores, quæ legentium candorem legere possunt. Sed scriptura quæ hæc omnia continet, indigna est quæ pro Verbo Dei habeatur: ergo sacra scriptura non est verè Verbum Dei.

20. Resp. supponendo Moysen, & Prophetas cæteris scriptoribus antiquiores multò esse. Quapropter Gentiles Philosophi, ac Poëtæ multa ab eis suffurati sunt, & ad fabulas converterunt, hoc agente Dæmone ut sacræ scripturæ veritatem in mendacium traduceret vel eam infirmaret. Vnde Tertullianus in apolog. *Omnia*, inquit, *adversus veritatem constructa sunt operantibus æmulationem istam spiritibus erroris. Ab iis adulteria hujusmodi salutaris disciplinæ suborta, ab his quædam fabulæ immissæ, quæ dissimilitudine fidem infirmarent veritatis; vel etiamsi possent, evincerent, ut quis ideo non putet Christianis credendum, quia nec poëtis, nec philosophis. Vel ideo magis poëtis ac Philosophis existimet credendum, quia non Christianis. Itaque & ridemur Deum prædicantes judicaturum; sic enim & poëtæ & philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ est ignis*

arcani

arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decacchinamur; sic enim & Pyriplegeton apud mortuos amnis est. Et si paradisum nominemus locum divinæ amœnitatis: Elysij campi fidem occaparunt. Vnde hæc, oro vos, philosophis aut poëtis tanquam similia? Nonnisi de nostris Sacramentis, ut de prioribus: ergo fideliora sunt nostra, magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt, si de suis sensibus, jam ergo Sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non substinet, nunquam enim corpus umbra, aut veritatem imago procedit. Videndi etiam de hoc argumento Clemens Alex. *lib. 6. strom.* Eusebius Cæsar *lib. 10. de præp. evang. cap. 1.* Cyrillus *lib. 1. cont. Iulianum.* & Origenes *lib. 1. cont. Celsum.*

Vnde ad illud de serpente, quod fuit olim 21.
Iuliani apostatæ objectio, dicendum cum S. Cyrillo *lib. 3. contra Iul.* quod nullum absurdum sit dicere, quod illud animal naturâ serpens fuerit sermonis expers, induerit verò personam ejus malorum author Sathan homines immortalitate concessa depredari volens. Nam & in obsessis à Dæmone experimur, quod per eorum ora multa proferat, & loquatur, quæ captum & scientiam obsessorum longè, latéque exuperant, utpote cum mulier ignara latinè aut hebraïcè loquitur, quæ idiomata sunt ei omnino peregrina; aut cordis secreta detegit, de quæstionibusque theologicis disputat. Neque aliquid fabulosum asseritur, cum refertur diluvio genus humanum pene extinctum fuisse, & in extremis temporibus mundum igne conflagrandum. Cum enim optimum deceat judicem ac principem (qualis est Deus qui mun-

dum ipsum ex nihilo condidit, & generi humano originem dedit) & malis pro delictorum mensura pœnas infligere, & benemeritis præmia largiri; quomodo historia sacra, quæ, cum diluvium refert, narrat & causam, quia nimirum omnis caro corruperat viam suam, omnesque sensus humani erant ad malum intenti, apud cordatos viros ac prudentes, pro fabula haberi potest. Idem dic de conflagratione mundi.

22. Quod verò de viribus Sampsonis & Davidis refertur, si naturaliter id factum esset, dubitandi aliquis superesset locus; sed cum scriptura ipsa divini Spiritus virtuti hoc facinus perpetratum esse narret, nihil mirum. Illa autem minima, & quæ tantæ scripturæ monumentis indigna videntur, idcirco narrantur; ut per ea ad aliquid in Deo commendandum veniamus; vel ut aliquid nobis occultum & mysticum innotescat, atque detegatur. Itaque canis Tobiam comitans Dei providentiam commendat, & Angelorum specialem custodiam erga justos, quibus vel minima propter meritum eorum incolumia servantur. Fit etiam mentio de penula non sine causa. Nam si per penulam intelligatur legis volumen cum D. Hieronymo, ostenditur quantæ curæ Apostolo fuerit, & nobis esse debeat hujusmodi legis volumen, quippe quod sacra religionis nostræ mysteria continens. Si autem intelligatur sacerdotale quoddam indumentum, ut vult Baronius *tomo* 1. *anno Christi* 58. *num.* 69. hoc non erat contra apostolicum officium curam de eo recuperando habere. Tandem si per penulam intelligendum veniat commune pallium ad pluvias arcendas, ut

ut D. Chrysostomo & multis aliis placet, admonemur quod dum prædicationi vacamus, non propterea inhibemur necessitatibus humanæ vitæ providere, quantum fragilitas humana exigit, & patitur honestas, officiique debitum.

Ad ultimum resp. cum D. Augustino *lib.* 22. 23.
contra Faustum cap. 60. & 61. recenseri sanctorum virorum peccata, ut cum vident homines Deum nec suis amicis pepercisse, aut eorum lapsus dissimulasse, quin potius eos acerbissimis multasse pœnis, divinam timeant ultionem; & dum naturæ infirmitatem in eorum casibus agnoscunt, qui maximè stabiles videbantur, de suis viribus non confidant, sed de Dei adjutorio. Et dum cernunt Dominum eis tam facilè veniam indulsisse, de divina misericordia sperantes, à peccato resurgant, dignosque pœnitentiæ faciant fructus. Tandem ut deprehendatur, quam verax & fidelis est ea scriptura, quæ hujusmodi virorum, quorum nobis facta in exemplum vitæ dantur, pari tenore peccata, & egregia facinora refert.

Arg. 2. Si sacra scriptura pro vero Dei verbo 24.
habenda esset, maximè quia scriptores illius divino afflati spiritu eam conscripserunt; sed hæc ratio est nulla; igitur sacra scriptura non est habenda pro vero Dei verbo. Prob. minor primò; nam Sybillæ multa Christi mysteria divinitùs afflatæ prænunciarunt; & tamen earum oracula, seu prophetiæ pro scripturis canonicis non habentur. Prob. 2. nam D. Paulus *ad Titum* 1. poëtam Epimenidem vocat prophetam, inquiens; *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta; Cretenses semper mendaces, malæ*

bestia, ventres pigri: ergo etiam scripta ipsius pro scriptura canonica habenda forent.

25\. Resp. Sybillas quidem divino afflatas spiritu prophetasse, ut cum D. Hieronymo, S. Clemente Alexandrino *lib.1. strom.* atque D. Augustino *lib.22. de Civit. Dei* docet D. Thomas 2.2. *quæst. 2. art.7.* Eorum tamen oracula per Ecclesiam Catholicam, ad cujus pertinet judicium referre libros in Canonem, non sunt in Canone apposita; tum quia apud Gentiles scripserunt; tum quia in multis depravata sunt. Ex Epimenide testimonium adduxit Apostolus, quia veritati divinæ consonabat, & ut confutaret gentiles illius authoritate; quia apud eos propheta habebatur, non tamen quod verè propheta esset, nec talem nuncupat Apostolus; sed eo pacto eum prophetam vocat, quo alibi scriptura sacra falsos nominat prophetas. Videndus D. Thomas *ibidem lect.3.*

26\. Arg.3. multa inter se pugnantia, & discrepantia passim in sacra scriptura leguntur: ergo Deus non est author illius. Prob. antec. nam *Genes.*4. dicitur de Enos quod, *Iste cœpit invocare nomen Dei*; & tamen de Abel eadem scriptura narrat, quod immolavit Domino, & quod ad Sacrificium ipsius Dominus respexit, quæ immolatio absque invocatione non fuit. Item lib.4. Regum cap.24. refertum quod *decem & octo annorum erat Ioachim, cum regnare cœpisset.* & lib. 2. Paralipom. cap. 36. dicitur quod; *Octo annorum erat Ioachim cum regnare cœpisset.* Tandem *Matthæi cap.* 1. recensentur in Christi genealogia ter quatuordecim generationes, quæ efficiunt numerum 42. & tamen, si recenseantur sigillatim, ad 40. duntaxat perveniunt, & ad

ad personas 41. Sed scriptura quæ continet repugnantia, & inter se discrepantia non potest pro vero Dei verbo haberi: ergo sacra scriptura non est verè verbum Dei.

Resp. neg. maj. ad primam probationem dicitur, quod Enos fertur primus invocasse nomen Domini, cultu nimirum & ritu publico, solemnibusque cæremoniis, quod antea peractum non erat. Ad 2. de Ioachim, missis aliis solutionibus dicimus, quod licet octodecim annos natus regnare cœperit, in regni tamen sui principio ita erat morum integritate, & innocentia præstans, ut octo annorum ætatem præseferre videretur. Vnde & in hoc sensu etiam de Saul dictum est lib. 1. Reg. c. 13. *Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*, nimirum propter innocentiam morum & vitæ. 27.

Ad tertiam dicimus, quod illæ tres quatuordenæ generationes integræ reperiuntur apud Matthæum, non quidem numerando personas sed generationes, itaut quando dicitur, *ab Araham usque ad David generationes quatuordecim*, intelligendum sit, ab Abraham usque ad David generantem, id est, usque ad generationem Salomonis, includendo in qualibet quatuordena primum & ultimum cujusvis generationis. Vnde in duabus quatuordenis prioribus ultima generatio bis repeti debet. Quo pacto quadraginta duæ generationes consurgunt. Cur autem in sacra scriptura hujusmodi apparentes contradictiones inveniantur, Origenes *lib. 4. Periarch. c. 2.* observat dicens; *Ista de causa procuravit divina sapientia offendicula quædam, vel intercapedines fieri historiales, impossibilia quædam vel inconvenientia per medium inserendo ut interruptio* 28.

ipsa narrationis, velut obicibus quibusdam legenti resistat objectis, quibus intelligentia hujus vulgaris iter ac transitum neget; & exclusos nos revocet ad alterius initium viæ; ut ita celsioris cujusdam, & eminentioris tramitis per angusti callis ingressum immensam divinæ scientiæ latitudinem pandat.

29. Arg. ultimò ex illo Apostoli 2. Corinth. 3. *litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Vbi est sermo de veteri lege, quæ ex D. Thoma *ibid.* dicitur testamentum literæ, ut distinguatur à nova lege, quæ non est testamentum literæ, seu literis incisum, sicut lex vetus, quæ in lapideis tabulis digito Dei scripta dicitur; sed in cordibus carneis per Spiritum Sanctum, qui vivificat: sed scriptura seu litera occidens non est Verbum Dei, quod debet esse sanctum, justum, & vivificans; igitur sacra scriptura, saltim ea quæ vetus testamentum dicitur, non est verè verbum Dei.

30. Resp. ab Apostolo legem veterem (scil. absque gratia, quæ in nova lege per Christum conferenda erat) literam occidentem, nimirum occasionaliter, dici: tum quia cum absque gratia impleri non possit, eum cui datur, quodammodo prævaricatorem facit. *Lex*, inquit Apostolus Rom. 4. *iram operatur: ubi non est lex, neque prævaricatio.* Tum etiam quia ipsa prohibitione concupiscentiam auget. Etenim, ut ille ait: *Nitimur in vetitum, cupimusque negata.* Nec tamen infertur, quod lex illa non fuerit sancta, & justa; sed quod non fuit perfecta. Non enim vivificare poterat, nisi per gratiam mediatoris, quæ in nova lege promittebatur, unde hæc dicitur lex gratiæ. Hoc autem à Domino factum fuit, ut homines imbecillitatem suam agnoscentes, per hujusmodi legem instruerentur ad quærendum mediatorem,

rem, & desiderandum ipsum,per quem salutem perfectam consequi poterant. D.Thom. *ibid.*

CAPVT II.

Vtrum scriptura sacra quoad omnia, & singula ipsius verba sit à Deo revelata.

OMissis Libertinorum deliriis, de quibus *cap.præcedenti*, Erasmus *in cap.2. Matthæi*, & alibi asseruit, multa parvi momenti in sacra scriptura referri, quæ indigna sunt,ut dicantur à Domino dictata, sed hoc profectò temerè dictum est,nam ut D.Hyeronimus cap.2.ad Ephesios ait; *Singuli sermones, Syllabæ, apices, puncta in divinis scripturis plena sunt sensibus*; Et D. Chrysostomus hom.21. in Genesim, *In Syllaba*, inquit, *vel apiculo grandis thesaurus invenitur; quandoquidem divino afflati Spiritu Prophetæ loquuti sunt,ideo ut à Spiritu Sancto scripta ingentē in se contineat thesaurum*;igitur nihil in sacra scriptura scriptum reperitur, quod non sit plenum sensibus, & ingentem continens thesaurum. 31.

Non defuerunt etiam alij, qui in dubium revocarunt, an Deus Prophetis tantum significet, id quod dicturi sunt, ipsi verò postea explicent iis, quibus voluerint verbis, & sententiis. Inter Catholicos etiam dissidium est, utrum, ut scriptura sit sacra, & à Deo dictata, necessarium sit, ut specialiter Deus infundat res, & verba;An verò sufficiat notitia scriptorum atque peritia rerum, & vocum, ut ex motione Dei, vel assistentia ad scribendum eleventur, & dirigantur ne in scribendo errent, aut labantur. 32.

Sciendum

33. Sciendum est, quod scripturam sacram divinitùs inspiratam esse multipliciter intelligi potest. Primò, ut res, & verba de novo infundantur, id est, ut res, quæ priùs erant occultæ, intellectui prophetico referentur, seu manifestæ fiant, & verba de novo suggerantur, in illiusque phantasia species efformentur. Quo pacto contigit Moysi dum scripsit illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ut sumitur ex D. Augustino *lib.* 11. *de Civit. Dei cap* 4. Et communiter etiam accidit Prophetis, cum de futuris mysteriis prophetant. Secundò cum Deus res aliunde scriptori cognitas, & verba etiam quæ erant ipsi nota, vult ut scribat, tamen ad has, & ad illas scribendas ejus intellectum applicat, & determinat. Quo pacto multa in actis Apostolorum scripsit D. Lucas, quæ ipse viderat, & hoc modo asserit D. Petrus *epist.* 2. *cap.* 1. quod Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei. Tertiò modo ut inspiratio à Deo facta dicatur per solam ejus assistentiam, & per impulsum, quibus scriptori adest, ne in scribendo erret. Quartò, ut impulsus à principio fuerit ad applicandum animum scriptori perspecta habentis tum verba, cum res; in progressu autem solum fuerit assistentia adjuvandi, vel confortandi ne species rerum, vel verborum, temerè acciperentur aut conjungerentur.

34. Quidam igitur asserunt ad rationem formalem sacræ scripturæ necesse esse, ut semper verba, & res infundantur, ac subinde omnia in scripturis contenta usque ad minimum apicem immediata Dei revelatione dicta, & scripta fuisse, sed hoc stare non potest. Nam sicut in necessariis

necessariis Dei providentia non deest, ita neque in superfluis abundat; sed superfluum esset, cum res, & verba cognita sunt supernaturaliter eorum notitiam infundere: ergo cum semper infundantur.

Alij è contra opinantur satis esse ad rationem formalem sacræ scripturæ, ut sit ex directione, & assistentia divina; ac subinde aliqua in scriptura esse non immediatè à Deo suggesta, sed solùm ipso dirigente, & assistente conscripta. Sed contra; quia nulla intercederet differentia inter sacram scripturam, & sacrorum Conciliorum decreta; nam etiam in his formandis adsistit Spiritus Sanctus, & dirigit Patres, ne in rebus fidei definiendis errent. 35.

Alij dicunt Deum in principio incitasse scriptorem canonicum ad scribendum, sed post motum reliquisse scriptori electionem, & determinationem in rebus sibi perspectis, adstitisse tamen illi, & eum gubernasse in toto operis curriculo ne erraret; sed hæc opinio refellitur eodem modo quo præcedens; nam totum hoc præstat in decretis formandis Conciliorum, & Pontificum, dum ex Cathedra loquuntur, & res fidei definiunt. 36.

Prima conclusio; sacra scriptura, cum sit divinitùs inspirata, in omnibus, sive parvis sive magnis, divinam continet revelationem, & non ex hominum industria verba ejus sunt adaptata. Probari potest hæc conclusio ex innumeris scripturæ sacræ testimoniis, quorum unum, vel alterum duntaxat adducemus. Sumitur hæc conclusio ex illo 2. Petri cap. 1. ubi dicitur; *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti* 37.

locuti sunt Sancti Dei homines, pro *inspirati* in græco legitur φερόμενοι, id est, permoti, & impulsi. Et ita expressè asserunt Sancti Patres, imprimis D. Clemens Alexandrinus *lib. 2. stromat. in fine*. D. Augustinus *lib. 11. de Civitate Dei cap. 3*. Procopius *in Genesim*; D. Gregorius *in proœmio moralium*, ubi ait; *Ipse*, scil Deus, *est qui scripsit, qui hæc scribenda dictavit*. Iisdem verbis utitur Rabanus *de institut. Clericorum lib. 2. cap. 4*. D. Ambrosius super Lucam exponens illa verba; *Quoniam multi conati sunt*, ait; *sine conatu sunt donationes, & gratia Dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium; non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Ioannes, non conatus est Lucas, sed divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta compleverunt.*

38. Prob. 1. quia si compositio verborum sacris scriptoribus reservata fuisset, magis historica diligentia, quam prophetica providentia in illis apparuisset. Secundò, quia Deus dicitur passim locutus per os Sanctorum, & Prophetarum, sed nonnisi quia etiam verba quæque inspirat; igitur &c. Tertiò non propriè esset Deus, qui loqueretur in scripturis, nec per scriptores sacros satis mentem suam aperiret, sed alius qui suo nutu gestum, vel rem narrare sic voluit. Conf. nam si sacra scriptura quoad singula verba non esset à Deo revelata, nulla intercederet differentia inter sacrorum Conciliorum decreta, & sacram scripturam; sed hoc est falsum: ergo &c. sequela prob. Nam etiam Patres in Concilio generali legitimè congregato, vel Romanus

Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, ad definiendum res fidei, impulsu Dei moventur, & humana diligentia supposita assistit Deus, ut nullus sit error in decretorum determinatione: ergo si quoad singula verba non sit, aut debeat esse sacra scriptura à Deo inspirata, & revelata, nulla erit differentia inter eam, & Conciliorum, aut summi Pontificis definitiones.

Dicendum secundò, quod quando scriptor res, & verba perspecta, & in promptu habet, præter impulsum primum & assistentiam Dei extrinsecam, requiritur motio Dei specialis, ac supernaturalis, quâ adest scriptori Canonico, moveτque ut determinatè res istas per hæc verba describat; sententiam hanc proferat; his similitudinibus, & non illis rem significet. Sumitur ex D. Thoma 3. p. quæst. 60. art. 5. ubi ait *quod judicio Spiritus Sancti determinatum est quibus verbis in certis sacræ scripturæ locis res spirituales significentur. In cæteris autem quæ sacri scriptores in promptu non habebant, non tantum sententiæ, sed verba ipsa sunt à Deo dictata.* Vnde utrumque complexus D. Gregorius in Prologo Moralium cap. 1. dixit: *Ille hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui etiam illius operis inspirator extitit, & per scriptoris vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.* 39.

§. I.

Solvuntur argumenta.

ARguitur 1. D. Paulus quædam scribit, quæ Deo, & non sibi tribuit, alia verò sibi, & non Deo: ergo sacra scriptura quoad omnia non 40.

non fuit à Deo inſpirata. Prob. antecedens ex 1. ad Corinth. cap. 7. ubi ait; *Præcipio non ego, ſed Dominus.* Et iterum. *Cæteris ego dico, non Dominus*; ſimiliter Moyſes: *Ego ſum*, inquit, *tenui voce, & tardæ linguæ.* Et iterum, *Hæc dicit Dominus, mitte populum ut me colat.*

41. Reſp. ex dictis, omnia quidem quæ continentur in ſacra ſcriptura eſſe à Deo inſpirata, ſed non eodem modo & tenore; quandoquidem Spiritus Sanctus aliquibus ſcriptoribus nedum res, ſed etiam verba ſuggerebat, quemadmodum factum eſt in revelatione Myſteriorum ſupernaturalium, & tunc ſpecialiter dicitur Dominus loquutus, quòd ſcriptor res illas non capiebat, nec apud ſe notas habebat. Quandoque autem, res, & verba ſcriptori præſto erant, directio autem, & divina motio cum determinatione ad ſignificandum, quod Spiritus Sanctus intendebat, à Deo erant, & tunc ſcriptor dicitur loquutus, non dominus, licet Domino dirigente, & ſpecialiter movente ſcriptor loqueretur. Vnde Apoſtolus poſtquam dixit. *Ego dico non Dominus*; ſtatim ſubdit; *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*, ne quis putaret ea, quæ dicebat quaſi nomine proprio non eſſe à Deo inſpirata.

42. Arg. 2. Si omnia, & ſingula ſcripturæ verba eſſent à Deo inſpirata, idem omninò eſſet ſtylus, & phraſis eadem Scriptorum Canonicorum, ut contingit in libris aliorum authorum, puta Ciceronis, Platonis: ſed omninò non eſt idem ſacrorum librorum ſtylus, nec eadem phraſis: ergo ſacra ſcriptura quoad omnia, quæ in ea continentur, non eſt à Deo. Minor prob. nam ut obſervat D. Hieronymus in prologo ſuper

super Esaïam, & cap.7. *Isaïas utpote vir nobilis in sermone disertus, & urbanæ eloquentiæ apparet, non habens quidquam rusticitatis in eloquio admixtum. Ieremias rusticior videtur, quippequi in viculo natus. Amos stylo, & phrasi utitur Pastorali. D. Lucas sæcularem redolet eloquentiam*; & sic de cæteris.

Resp. Divinam sapientiam, quæ disponit omnia suaviter juxta cujuscunque scriptoris conditionem stylum, & phrasim attemperasse. Vnde S. Augustinus *in quæstionibus super Genesim q.*40. ait, quod more humano in nobis Deus loquitur; hinc styli, & Phrasis diversitas, quemadmodum & diversæ personarum conditiones. 43.

Arg. 3. Quæ à Spiritu Sancto suggeruntur, vel dictantur, sine diligentia ejus, qui loquitur, aut scribit, proferuntur, atque scribuntur; sed multi scriptores Canonici in scribendis suis libris laborasse feruntur, ut patet de D.Luca cap.1. ubi postquam dixisset; *Quoniam multi conati sunt*? Statim subjungit. *Visum est, & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere*, & lib.2. Machabæorum c. 2. author illius operis, ait, *Qui opus breviandi causam suscepimus, non facilem laborem, immò negotium plenum vigiliarum assumpsimus.* Igitur non omnia, quæ in sacris libris continentur, sunt à Deo inspirata. 44.

Confirm. Si scriptores sacri asserantur omnium rerum infusam habuisse notitiam, necessariò dicendum erit Scriptores omnes Canonicos Prophetiæ lumine fuisse illustratos, & pro Prophetis habendos; sed hoc non, nam scriptores libri Iudith, Ecclesiastici, Tobiæ, & Machabæorum pro Prophetis non agnoscuntur: 45.

tur: ergo non omnis scriptura est à Deo inspirata.

46. Resp.ad argumentum dist. min. si tam quoad verba quam internam directionem suggerantur, concedo; si quoad motionem, & directionem tantum, nego; Etenim esto directio, & interna motio sit à Deo, ratione cujus Scriptor deficere non potest, attamen quoad ordinationem verborum, & rerum potest labor accidere, & sic in locis allegatis evenit. Vnde S. Lucas dicitur assecutus, quod multi conati sunt, non tamen sine inspiratione, & motione divina id perfecit.

47. Resp. ad Conf. quod licet omnes Scriptores in scribendo motione divina & impulsu acti, & directi fuerint, non tamen simpliciter dicti sunt Prophetæ, quia egerunt de rebus perspectis, & visis; non autem de absconditis mysteriis, aut futuris eventibus à quorum prænunciatione aliquis propriè, & simpliciter Propheta dicitur.

CAPVT III.

An Scriptores Sacri in Scribendo Spiritus Sancti instrumenta fuerint, & quomodo.

48. SAcros Scriptores fuisse in Scribenda canonica scriptura Sancti Spiritus instrumenta communiter docent Patres, & Theologi, D. Iustinus Martyr *oratione ad Gentes*. Origenes *præfatione in Levit.* Chrysost. *in Genesim hom.* 13. & 14. D. Ambros. *lib.6.epistolarum epist.* 36. D. Greg. *præfat. in Iob.* ubi ad hoc propositum confirman

confirmandum affert illud Psal.44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quod igitur in dubium vertitur est, an Canonici Bibliorum Scriptores ita fuerint acti, & moti à Deo, ut se in scribendo non agerent, sed merè agerentur, seu spontaneè ducerentur. An verò ita moti fuerint, ut etiam se in scribendo agerent, & liberè scripserint. Quidam, inter quos P. Valentia *lib.8. analysis fidei c.5.* asserunt quod spontaneè tantum, & non liberè scripserunt. Oppositum probabiliùs substinent alij Doctores.

Dico primò; Si consideretur mens Prophetæ quantum ad receptionem specierum tam mens quam voluntas ejus quoad impulsum Spiritus Sancti ad scribendum, fuerunt instrumenta mota, & non liberè agentia. 49.

Prob. Hujusmodi specierum receptio, vel impulsus in eorum non erat potestate: ergo respectu impulsus, vel receptionis non erant instrumenta se moventia, & agentia. Quapropter à SS. PP. & Doctoribus communiter vocantur Spiritus Sancti organa, tibiæ, vel canales, quia sicut organum accipiendo impulsum, & ventum non agit, neque mens, vel voluntas Prophetæ in recipiendis speciebus, & impulsu Spiritus Sancti non erat se movens, vel liberè agens. Vnde S. Thom. dicit scriptores canonicos in Ezechiele, & Apocalypsi dici animalia, quia potiùs aguntur, quam agant ex vehementi irradiatione divina. 50.

Dico secundo: Si considerentur Scripturæ quoad judicium, & usum specierum à Deo immissarum mentibus Prophetarum, vel scriptorum in eis fuit libertas. 51.

Prob. quia ut notat D. Epiphanius *adversus* 52.

Catafriges, una ex notis ad discernendum veros Prophetas à falsis, hæc est, quod falsi per dementiam consternati non consentanea sibi verba loquuntur, sed sunt in extasi veluti mortui, ut pote diaboli instrumenta per eos deceptionem operantis; Veri autem Prophetæ fuerunt in veraci spiritu, atque sibi constanter prophetantes, & non fuerunt in extasi cogitationum, & rationis; nam firma cogitatione, & consentanea mente constabant. Sed qui in operando, à firmitate mentis, & rationis non cadit, sed sibi constat, liberè operatur, & non purè spontaneè: ergo quoad usum, & judicium non fuerunt instrumenta purè mota.

53. Conf. congruum fuit, ut sacri scriptores à terreno, & humano sensu nos erigentes usque ad ea verba descenderent quibus humana utitur consuetudo: ergo etiam congruum fuit ut homines, quibus tanquam instrumentis in illis conscribendis Deus utebatur, humano modo, id est liberè agerent in scribendo, & non ut instrumenta purè mota, vel spontaneè tantum.

54. Arguitur primò: Instrumentum animatum ad operandum indiget habitu, non autem inanimatum, ut docet D. Thom. *de verit. q. 29. art. 1. ad 9.* sed mens Scriptorum canonicorum non fuit ad scribendum aliquo habitu perfecta: ergo non fuerunt animata instrumenta Spiritus Sancti.

55. Conf. in Instrumento animato requiritur intentio ad effectum, secus autem in instrumento non animato, ut sumitur ex D.Th. 3. *p. q. 64. art. 8. ad* 1. sed semper Scriptores Sacri non intenderunt ea, ad quæ scribenda Spiritus Sanctus

cos

eos impellebat: ergo non fuerunt instrumenta animata, & se moventia, aut liberè agentia.

Resp. ad argumentum dist. min. mens Scriptorum canonicorum non fuit perfecta habitu per modum formæ in subjecto permanentis, concedo; per modum motionis, vel passionis, & habilitatis cujusdam, nego. Hoc autem sufficit, ut dicatur instrumentum animatum. Sumitur ex D. Thom. *quæst.* 12. *de verit. art.* 1. *in corp.* 56.

Ad Conf. resp. dist. maj. In instrumento animato requiritur intentio, quæ absolutè intendat finem, nego Maj. Requiritur intentio quâ se subjiciat principali agenti, & intendat finem à principali agente intentum, concedo. Et hoc pacto fuit intentio scribendi ea, quæ Spiritus Sanctus intendebat in canonicis Scriptoribus. 57.

Arg.2. Sacri Scriptores non ob aliam causam instrumenta dici possunt, nisi quia Spiritus Sanctus his tanquam organis usus est ad exprimendam sententiam, illos movendo, & agendo; sed hoc non sufficit, ut dicantur instrumenta: ergo &c. Prob. min. quia in omnibus actionibus supernaturalibus justi moventur à Deo; sed tamen non dicuntur instrumentales causæ, sed principales: ergo non sufficit quod sic moveantur, ut causæ instrumentales Spiritus Sancti dici valeant. 58.

Resp. concedo maj. negando min. Ad prob. dist. maj. in omnibus actionibus moventur justi à Deo cum electione, & intẽtione finis concedo; sine electione, & subjiciendo se fini ab alio intẽto immediatè, & principaliter, nego. Sic autem canonici Scriptores moti fuerunt à Deo, ut non 59.

elicerent, quæ ſcribenda erant, neque principalem intenderent finem, ſed ad ſcribendum determinati ſunt à Deo, & ſubjecerunt ſe fini intento ab ipſo.

60. Arg.ult. Tanta fuit neceſſitas ſcribendi impoſita Scriptoribus Sacris, ut non fuerit in eorum poteſtate non ſcribere; ſed quod ſic agitur, & movetur eſt inſtrumentum inanimatum: ergo Sacri Scriptores fuerunt inſtrumenta inanimata. Prob. maj. nam multa ſcripſerunt, quæ ſi fuiſſent in poteſtate non ſcribere, minimè ſcripſiſſent, ut notat Abulenſis quæſt.3. in cap.1. libri Numerorum, dicens; *Si Moyſes foret ſua libertati relictus, non ſic de ſe ſcripſiſſet, erat enim Moyſes vir meritiſſimus.* & D. Gregorius præfatione in Iob. c.1. inquit; *Scriptores Sacri eloquij, quia repleti Spiritu Sancto ſuper ſe trahuntur, quaſi extra ſemetipſos fiunt, & ſic Dei ſententias, quaſi de labiis proferunt.*

61. Reſp. diſt. Maj. Tanta fuit neceſſitas ſcribendi, ut non fuerit in eorum poteſtate non ſcribere, quantum ad antecedentem cauſam, & receptionem ſpecierum, & irradiationem divinam, concedo; quantum ad conſequentia, nimirùm vigiles labores, & exarationem characterum, nego Maj. Vnde non fuerunt inſtrumẽta inanimata, ſed animata. Idcirco dicitur quod non ſunt ſuæ libertati relicti quantum ad electionem ſcribendorum, quia hæc jubebantur ſcribere, & non alia, licet fuerint relicti ſuæ libertati, & vitaliter ſe moverint quoad alia.

CAPVT

CAPUT IV.

Quinam sint Libri Canonici.

SAcra Scriptura in vetus, & novum testamentum dividi solet. Cujus rei gratiâ sciendum est, quod testamentum propriè dicitur extremæ nostræ voluntatis continens testimonium. Unde Ulpianus lib. 1. *Qui testamenta facere possunt:* Testamentum est, inquit, voluntatis nostræ justa sententia de eo quod post mortem fieri voluerimus. Quia verò testamentum scriptoribus, & testibus obsignatur, hinc est, quod testamentum usurpari solet, & pro voluntate testatoris legantis bona, & pro scriptura, seu instrumento in quo talis voluntas exprimitur. Sumitur; & quandoque in Scriptura testamentum pro quolibet pacto, seu fœdere testibus confirmato, quod necessariò promissionem includit. 62.

63. Secundum utramque testamenti acceptionem scriptura sacra optimè testamentum dicitur; quia pactum, seu promissio, & voluntas est Dei de hæreditate aliqua danda hominibus, seu bonis legandis; quæ quidem bona sunt, primò quidem vita æterna, quæ sola verè, & summum hominis bonum, & felicitas dicitur Matthæi 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Secundo autem loco sunt quædam spiritualia bona, quibus vitam, & hæreditatem æternam consequi valeamus, de quibus est sermo Ephesiorum 1. cum dicitur; *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri*

Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.; Ac demum bona temporalia, de quibus Esaïæ 1. *Si audieritis me, bona terra comedetis.* Secundùm ergo diversitatem hujusmodi promissionum, aut voluntatem Dei diversa hæc bona legantis duplex accipitur testamentum, nimirùm vetus, & novum; in veteri testamento temporalia promittuntur, quæ sicut vestimentum veterascunt; in novo autem æterna, & spiritualia promissa sunt bona, quæ non depereunt, neque prope interitum sunt, sed semper innovantur. Vnde Augustinus cont. epist. Pelag. cap. 4. inquit: *Cum mandatum bonis terrenis inhiantes premit servos, testamentum vetus; cum in bona æterna flagrantes erigit liberos; testamentum novum vocatur.*

64. Accipiendo autem vetus testamentum pro eo, in quo voluntas testatoris exprimitur, scriptura sacra meritò testamenti nomen accepit: nedum quia generatim Dei mentem, & voluntatem nobis testatur; Vnde & sæpiùs in sacra pagina testimonium vocatur, ut patet ex psal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*; Et iterùm; *testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis*; sed etiam quia in ea tanquam instrumento authentico, probatissimis scribis, & testibus obsignato voluntas Dei nobis hæreditatem legantis exprimitur. Vnde, ut optimè advertit Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem*, scriptura sacra magis propriè testamentum quam instrumentum dicitur, cum non sit, ut simplex instrumentum conventiones quaslibet continens, sed pactum, & legatum de hæreditate obtinenda. Qua etiam ratione in vetus, & novum

novum testamentum rectè dividitur; vetus dictum est, quod contineat, & describat res Christi morte antiquatas, præcepta nimirùm ceremonialia, quæ abrogata sunt, & res quasdam futurorum duntaxat bonorum umbram habentes. Nonum autem, quia mandata describit nova ad novitatem spiritus inducendam, & crucifigendum hominem veterem cum actibus suis.

Qui sint libri sacri, atque canonici Sac. 65.
Concil. Tridentinum sess. 4. sub his verbis definit. *Sunt verò infra scripti* (scil. sacri libri) *Testamenti veteris, Quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosuë, Iudicum, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Neemias; Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaïas, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; Duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; Duo Machabæorum primus, & secundus. Testamenti novi; Quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem; Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti; Quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli; Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ; Ioannis Apostoli tres; Iacobi Apostoli una; Iudæ Apostoli una; & Apocalypsis Ioannis Apostoli.*

Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit. Hucusque Sac. Concil. Trid.

66. Horum librorum à Doctoribus quidam vocantur Protocanonici; alij verò Deuterocanonici. Protocanonici sunt, de quorum authoritate nulla unquam fuit inter Catholicos hominum disceptatio; Cujusmodi sunt Moysis Pentateucus, Liber Iosuë, Iudicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo libri Paralipomenon: Esdræ & Nehemiæ duo, Iob, Psalterium centum quinquaginta Psalmis constans, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Prophetæ majores quatuor, duodecim minores, libri quatuor Evangeliorum, Acta Apostolorum, Epistolæ Pauli numero tredecim, omissa ea sola quæ est ad Hebræos, Epistolæ Canonicæ duæ, Petri una Ioannis altera.

67. Deuterocanonici autem dicuntur, qui licet verè sacri, seu prophetici, aut apostolici sint, non tamen apud Ecclesiæ Patres, & Doctores semper æque certa, & explorata fuit eorum authoritas, sed de ipsis aliquando apud ipsos exorta est dubitatio. Hujusmodi sunt, liber Esther, Baruch, Daniëlis pars, liber Tobiæ, Iudith sapientiæ, Ecclesiastici, duo Machabæorum libri, Marci, Lucæ, & Ioannis partes quædam, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, posterior D. Petri Epistola, primæ Ioannis quædam particula, integræ ejusdem epistolæ, secunda, & tertia, epistola D. Iudæ, & Apocalypsis.

Sunt

Sunt & alij libri dicti Apocryphi, qui nimirùm quanquam à nonnullis clarissimis, doctissimisque viris aliquando in numero divinorum voluminum haberentur, publico tamen totius Ecclesiæ judicio nunquam approbati sunt. Ejusmodi sunt, qui recensentur ab Innocentio *epist.* 3. *ad Exuperium*, & Gelasio Papa *dist.* 15. *can. Sancta Romana*, & etiam ab Athanasio *in Synopsi*, necnon & ab Eusebio *lib.* 3. *historiæ c.* 25. ex quibus hæc pauca videntur exstare; Oratio Manassæ, quæ non est pars alicujus libri sacri, nec ponitur nominatim in canone ab aliquo Pontifice, vel Concilio; Liber tertius, & quartus Esdræ, cum à nullo Concilio in canonem referantur, immò à Tridentino à canone rejiciantur; Et quidem de quarto manifestum est, quod quædam fabulosa continet de pisce Henoch, & Leviatham quæ Rabbinorum Thalumdistarum somnia sunt. Item liber tertius, & quartus Machabæorum, nam quartus liber à S. Athanasio *in Synopsi* extra canonem ponitur; à Tridentino uterque. Psalmus centesimus quinquagesimus primus, cujus meminit Athanasius *in Synopsi*, & habetur in græcis psalteriis. Nã Concilium Laodicenum *can.* 59. Romanum, & Tridentinum *loc. cit.* tantummodo centum quinquaginta psalmos enumerant; Appendix libri Iob, quippequi manifestè falsum continet enarrans Iob fuisse de stirpe Esau, cum fuerit de stirpe Hus, qui fuit filius Nachor fratris Abrahæ, ut ostendit D. Hieronymus *in quæst. super Genesim*: liber Hermetis, qui inscribitur Pastor, nam etsi divinitùs inspiratum censeat Origenes *lib.* 10. *in epist. ad Romanos*; & ex eo multi Patres, ut Tertullianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, 68.

xandrinus, Athanasius, & alij adducant testimonia, tamen eum apertè à canone rejiciunt Gelasius Papa *in decreto de libris Ecclesiasticis*, Athanasius *in lib. de Decretis Nicenæ Synodi*, & Theodoretus *in lib.1. historiæ c.18.*

69. Circa hoc genus Apocryphorum librorum breviter adnotandum est ex Cardinali Bellarmino *lib.1. controvers. de verbo Dei cap.2.* quod scriptores, hanc vocem *Apocryphus* quæ rem occultam, & reconditam significat, non semper eodem modo usurpant. Interdum enim vocant scripturas apocryphas eas, quas non est certum an sint canonicæ, & divinæ, etiamsi satis constet nullos in eis errores inveniri. Sic Hieronymus *in prologo galeato*, vult omnes eos libros, qui non sint in canone inter apocryphos esse numerandos. Frequentiùs autem vocant apocryphos eos libros, qui admixtos errores habent. Quam significationem sequutus Gelasius *in decreto de lib. Ecclesias.* eos libros vocat apocryphos, qui sunt editi ab authoribus hæreticis, vel certè suspectis.

70. Sed dices S. Clementem in canonibus Apostolorum, *canone* 84. tres Libros Machabæorum in canonem referre; itemque tertium Esdræ in græcis codicibus eum esse, qui nunc primus, & secundus dicitur; citaturque hic liber tertius à multis Ecclesiæ Patribus, nimirùm Athanasio orat. 3. contra Arrianos, Augustino lib.18.de Civit. Dei cap. 36. Clemente Alexandrino lib.1. Stromat.& S. Cypriano in epistola ad Pompeium; igitur hi libri non sunt apocryphi censendi.

71. Resp. ad primum, quod licet Aliqui Authores, inter quos Turrianus est, existiment omnes hujusmodi

hujusmodi canones Apostolorum, qui numero octoginta quinque recensentur, asserant esse ab Apostolis editos; tamen Cardinalis Bellarminus *loco citato.* Cardinalis Baronius *tom.1.annalium ad annum Domini* 102. & Possevinus *in apparatu sacro*, *verbo Clemens*, quinquaginta duntaxat priores legitimos esse arbitrantur, reliquos verò triginta quinque supposititios esse. Immò novissimè Natalis Alexander *in Hist. Eccles. saeculi* 1. *dissert.* 17. *conclus.* 3. omnes hujusmodi Canones Apostolis suppositos, & pseudepigraphos esse asserit, & multis doctissimè probat, ad quæ Lectorem remitto. Insequendo igitur secundam, vel tertiam hanc opinionem, argumentum ex authoritate Canonis 84. Apostolorum nullius est roboris.

Ad illud de tertio libro Esdræ respondet 72.
idem Cardinalis Bellarminus, *loco cit.* quod licet in codicibus græcis duo libri Esdræ sint nostri tres; non tamen propterea Concilia, antiqua, & veteres Patres, qui in Canone duos dumtaxat Esdræ libros numerant, intelligere nomine duorum nostros tres. Nam imprimis multi veterum ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus in canone exponendo testamenti veteris apertè secuti sunt Hebræos, non Græcos. Hebræi autem tertium Esdræ non habent. Deinde ex hoc tertio libro in Ecclesiastico officio nunquam legitur; quod argumento est, à longo jam tempore non fuisse eum librum habitum in numero sacrorum. Præterea Gelasius in Concilio Romano LXX. Episcoporum unum tantùm Esdræ librum ponit in Canone. Quo uno sine dubio nostros duos intelligit, qui uno volumine continentur,

ut

ut testatur D. Hieronymus *præfat. in Esdram.* Itaque disertis verbis Gelasius priorem illum, qui est apud Græcos rejecit. Denique idem S. Hieronymus *ibid.* apertè significat tertium, & quartum Esdræ, non solùm apud Hebræos non haberi, sed ne apud LXX. quidem. Quare licet quidam codices Græci haberent tria volumina Esdræ in duobus libris, correctiores tamen non habebant. Porrò veteres Patres utuntur interdum testimoniis ex hoc libro petitis, quem & nos non inutilem esse fatemur, sed rarò id faciunt, & nusquam sacrum & divinum appellant. Varij errores exorti sunt circa omnes fermè libros sacræ scripturæ, variæque difficultates se offerebant experiendæ, sed quia nimis tædiosum esset hîc omnia inculcare, brevitati consulentes omittimus; De hac re & materia latè disputant Cardinalis Bellarminus lib.1. de verbo Dei scripto. N. Gruvina lib.4. Cathol. præscript.& alij Controversistæ qui consuli possunt.

CAPVT V.

Rectène Sacra Scriptura utatur metaphoris?

74. CVm Philosophus prohibeat in scientiis uti metaphoris, & Sacra Scriptura passim eas ad explicanda Regni mysteria adducat in medium, meritò D. Thomas hîc *art.9.* in dubium vertit utrum sacræ scripturæ, quam scientiam esse dictum est, id congruat. Vbi nomine *metaphoræ* quamlibet locutionem intellige, in qua verbi,

verbi, vel sermonis à propria significatione ad aliam fit inmutatio, sive sit metaphora propriè dicta, sive ænigma, aut symbolum, sive parabola, aut tropus quilibet. Sumitur ex D.Th. dicente: *Quia etiam ista principia non sunt proportionata humanæ rationi secundum statum viæ, quæ ex sensibilibus consuevit accipere, ideò oportet ut ad eorum cognitionem per sensibilium similitudines manuducatur, unde oportet modum istius scientiæ esse metaphoricum, sive Symbolicum, vel parabolicum.* 1. sent. ad Annib. q. 4. prol. art. 5.

75. Est igitur metaphora secundum D. Augustinum *lib. 2. cont. mendac.* de re propria ad rem impropriam verbi alicujus usurpata translatio; sicut cum dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam caniciem; proculdubio fluctus, gemmas, florem, nivem, in his rebus non invenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus. Item cum dicitur Petra Christus, cor lapideum Iudæorum; Leo Christus, & leo diabolus, & innumerabilia talia; *Consuetudo sacrarum litterarum*, D.Chrysost. *orat. 5.* inquit *ea est, ut res sæpe nominibus, modificatè à moribus translatis, denotet, non autem ab ea appellatione, quæ in majoribus est primò indita; sed eam appellationem adhibent, quam vel virtus, vel etiam vitium concedit; exempli gratia, si illæ impudentem aliquem conspiciant, canem vocant; non quidem suo proprio vocabulo; sed eo cujus hoc vitium vel maximè est.* 1. Corinth. 10. Ezech. 36. Apocalyps. 5. 1. Petri 5.

76. Advertendum est S.D. quæst. 7. de verit. a. 2. c. in his quæ translativè dicuntur metaphoram non secundum quamcunque similitudinem accipi, sed secundum convenientiam in illo, quod non

non est de propria ipsius constitutione rei, cujus nomen transfertur; ut in exemplo opposito nomen leonis ad Deum significandum non transfertur propter convenientiam in sensibilitate, quae est illius praedicatum commune, ac genericum; sed ob convenientiam in aliqua illius proprietate, eximia nimirum, & excellenti fortitudine, quae alteri animali non competit, qualis ea est ad nullius occursum pavere, Proverb. c. 30. *Leo bestiarum fortissimus ad nullius pavebit occursum.*

77. Parabola verò est sententia comparativam aliquam similitudinem continens, vel similitudinarius sermo qui aliud dicit, & aliud significat; seu rerum dissimilium genere latens, vel expressa comparatio. Differt à metaphora, quia in metaphora vox à propria significatione immutata absolutè, & absque collatione effertur de eo, ad quod significandum translatum est; at in parabola unius rei comparatione seu collatione altera intelligi debet, ut docet D. August. in psal. 77. *Notum est* inquit, *quod in parabolis, quae dicuntur rerum similitudines, rebus, de quibus agitur, comparantur*; v.g. de Christo *Apocalyp. 5.* dicitur; *Vicit Leo de tribu Iuda*, ibi est metaphora; cum autem de eodem *c.* 10. in persona angeli effertur; *Clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit*; ibi est parabola vel similitudinis sermo.

78. Quotiescunque igitur inter aliqua genere dissimilia similis quaedam comparatio inveniri potest, ibi & rationem parabolae reperire est. Quapropter parabola nonnunquam in sacris litteris dicitur rei futurae figura, quatenus inter eam, & rem futuram similis aliqua comparatio

ratio attenditur. Quo pacto *ad Hebræos* 11. de Abraham pro Isaac immolante arietem cornibus inter vepres hærentem dicitur, *quod eum, & in parabolam accepit*, id est, figuram Christi crucifigendi, & immolandi temporibus futuris. Sicut enim Aries occisus est, Isaac verò mortem evasit, ita & Christi humanitas passa, sed divinitas nulli fuit obnoxia passioni, sed penitùs illæsa mansit, ibi D.Th. lec.4.

Sumitur etiam parabola pro derisu, quâ ratione Christus *psalm.* 68. introducitur in Cruce pendens dicere; *Factus sum illis in parabolam*, id est, in derisum vel similitudinem maledicti, ait Glossa. Quemadmodum enim consuetum est, ut omnes de maledicto, qui in ligno pendet, loquantur, & crimina ei improperent, ita & Christo cruci affixo contigit. Quâ parte cum maledicto similitudinem contraxit, qui est in sæcula benedictus. D. August. in psal. 68. *Et factus sum illis in parabolam, id est, in derisionem. Parabola autem dicitur, quando datur similitudo de aliquo, quando de illo malè dicitur, sic ille v.g. pereat, quomodo ille parabola est; id est, comparatio, & similitudo maledicti.* 79.

Tandem ænigma, sive simbolum est nota arcanioris cujusdam mysterij significativa; vel est brevis quædam, & involuta sententia rem occultam, & reconditam significans; quale est illud Iudicum 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Ita sumitur ex D. August. in psal.48. *Ænigma,* inquit, *est obscura parabola quæ difficile intelligitur.* 80.

Conclusio; ad sacram doctrinam potissimum, ac propriè pertinet, & conveniens est metaphoris, seu figuratis locutionibus uti. Probat S. D. 81.

D. in *sed contra* ex illo *Osea* 12. ubi in persona Dei Propheta loquens ait; *Ego visionem multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum*; id est, videndus, atque cognoscendus Prophetis multipliciter apparui, multaque opera faciendo, quæ mei ipsius similitudines prætulerunt, innotui; ut in Adam dormiente, in David qui Goliam stravit, in Iona qui tribus diebus fuit in ventre cœti, & aliis multis; sed tradere aliquid sub similitudine est metaphoricum: ergo ad sacram doctrinam pertinet metaphoris uti.

Glossa ibi.

82. Deinde prob. *in corp.* Deus unicuique, secundùm quod ejus competit naturæ providet; sed naturale est homini, ut per sensibilia ad intelligibilium cognitionem veniat: ergo in sacra scriptura nobis spiritualia sub corporalium similitudinibus, seu metaphoris convenienter traduntur, ut videlicet per ea ad divinorum notitiam perveniamus. Maj. patet ex D. Damasceno lib. 2. fid. orthod. cap. 29. ubi providentiam definiens ait; *Providentia est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.* Minor verò prob. omnis nostra cognitio initium à sensu ducit; sed procedendo per viam sensus innata nobis via est, ut à notioribus nobis ad notiora naturæ procedamus: ergo cum sensibilia sint magis nota nobis, quam intelligibilia, & immaterialia, licet ista sint notiora naturæ, naturale est homini, ut per sensibilia ad spiritualium, & intelligibilium divinorum cognitionem deveniat. Vnde Sanctus Dionysius de cœlest. hierarchia capite 1. *Impossibile est*, inquit, *nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate*

rietate Sacrorum velaminum circumvelatum.

Secundò probat; convenit, ut doctrina quæ omnibus proponitur, eo modo proponatur quo aliquatenus ab omnibus capi possit; ad hoc enim aliquid docetur, ut sciatur; sacra scriptura omnibus proponi debet, secundum illud Apostoli ad Rom. 1. *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*, ut per eam de fide, & moribus instruantur: ergo sacræ scripturæ competit, ut quæ in ea traduntur tàm à rudibus, ac simplicibus, quàm à sapientibus intelligi queant: sed simplices, & rudes maximè intelligibilia nonnisi per similitudines corporalium, ac sensibilium intelligere queunt, quia sensum, & imaginationem vix transcendere queunt: ergo competit maximè sacræ scripturæ metaphoris, & parabolicis locutionibus uti. Hanc rationem insinuat D. Ambrosius in cap. 8. ad Heb. dicens: *Condescendit scriptura nostræ infirmitati: nostræque consuetudini, quatenus imbecilla instrueretur humanitas, quando usque ad illam secretam gloriam divinitatis, hominum non poterat cogitatio pervenire.* Videndus etiam D. Petrus Chrysologus serm. 39. 83.

Arguitur 1. modus qui infimæ doctrinæ est conveniens, & proprius non videtur supremæ competere, qualis est sacra doctrina, quæ, ut dictum est, dignitate super omnes alias eminet; sed per similitudines varias, ac repræsentationes procedere competit Poëticæ, quæ inter omnes doctrinas infima est: ergo similitudinibus, & metaphoris uti non est huic scientiæ conveniens. 84. Hîc arg. 1.

Resp. S. D. quod alio fine utraque repræsentationibus utitur; Poëtica propter repræsen- 85.

1.sent. q. prol. art. 5. tationem (quæ nimirùm fit fingendo, & quibusdam similitudinibus rationem seducendo ut delectationem majorem capiat,) repræsentatio enim hujusmodi naturaliter homini delectabilis est; sed sacra doctrina similitudinibus solius recreationis animi gratia non utitur, sed tanquam aliquo necessario, & utili ad deveniendum in cognitionem intelligibilium ac divinorum, seu propter necessitatem, & utilitatem. Repræsentatio autem quæ fit solius recreandi animi causa est infirmæ scientiæ; sed quæ fit ob utilitatem, & necessitatem in ordine ad ultimum finem supernaturalem, supremæ scientiæ competit; cujusmodi est sacra doctrina.

86. Dices quod possunt absque metaphoris intelligibilia connaturaliter capi; immò nulla veritas in aliquo scripturæ loco per metaphoras explicatur, quæ propriè alio in loco non tradatur, ut docet S. D. hic *solut. ad* 2. sed quando finis absque aliquo haberi potest, ad ipsum finem nullam necessitatem simpliciter inducit: ergo nulla necessitas est utendi metaphoris propter connaturalem intelligendi modum.

87. Respondet D. Cajetanus ibi esse sermonem de necessitate secundum quid, & ad meliùs consequendum finem, scil. cognitionem Dei. Ex hoc namque quod connaturale est homini intelligibilia per sensibilia nosse, oportet, si spiritualia facilè, & suo modo cognoscere debet, ut per metaphoras cognoscat quoniam ipsæ vices spiritualium specierum complent, quæ de spiritualibus secundum se haberi deberent. Hæc tamen solutio non est ad intentum D. Thomæ.

88. Nota ex S. D. infra *quæst.5. art.6. ad* 2. quod illa propriè delectabilia nuncupantur, quæ nullam

nullam aliam appetibilitatis rationem habent, nisi delectationem, cum aliquando sint noxia, & inhonesta. Vtilia verò dicuntur, quæ non habent in se, unde desiderentur; sed desiderantur, ut sunt ducentia in alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ; honesta verò quæ habent in seipsis, unde desiderentur. Distinguit ergo S. D. inter Poëticam, & sacram doctrinam metaphoris & repræsentationibus utentes, quod illa ut merè delectet, metaphoris utitur, itaut finis metaphorarum sit delectatio, quæ cum multoties sit nociva, nec ob utilitatem, nec ob necessitatem esse dicitur; quia non conducit ad finem qui est beatitudo; sed sacra doctrina in repræsentationibus, & metaphoris intendit cognitionem Dei, vel eorum quæ ad Deum ducunt; unde attendit in repræsentationibus, non delectationem tantùm, sed necessitatem, & utilitatem.

Arguitur 2. Hæc doctrina inter cæteras præcipuè ad veritatis manifestationem ordinata esse videtur; sed per metaphoras, & similitudines veritas occultatur; non ergo huic doctrinæ competit divina sub corporalium similitudine rerum tradere. Major patet, quia hujus doctrinæ Magistris veritatem elucidantibus vitæ æternæ præmium repromittitur; Eccles. 24. *Qui elucidant me* (occulta sapientiæ mysteria in lege, & populis contenta fideliter exponendo) *vitam æternam habebunt*, in præmium. 89.

Resp. S. D. quod veritas similitudinum, ac metaphorarum involucro occultaretur, si mentes quibus fit revelatio, in ipsis permanere sinerentur; quia nihil præter similitudines corporalium intelligerent, inter quas modicè & 90.

parcè admodum veritas divina relucet: sed res aliter se habet; quia mentes quibus fit revelatio, non permittuntur in similibus permanere, sed per eas ad intelligibilium divinorum cognitionem elevantur ij, qui immediatè revelationem suscipiunt, & alij de veritatibus divinis per istos instruuntur.

91. Solut. ad 2. Sed contra: quia esto non sic occultetur omnimodè veritas, nihilominus negari non potest, quin clariùs & manifestiùs rei veritas panderetur, si per verba propria exponeretur. Resp. S. D. quod ea, quæ in uno loco sacræ scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis expressius exponuntur. Vnde eadem veritas providè alicubi sub figuris occultata revelatur: Ibid. ad 2. Primò quidem ad exercenda studiosorum fidelium ingenia. *Propterea figuratis velut amictibus* (inquit, Aug. lib. de men. cap. 10.) *obteguntur, ut sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda vilescant, quamvis quæ aliis locis apertè ac manifestè dicta didicimus, cum ea ipsa de abditis eruuntur, in nostra quodammodo cognitione renovantur, & renovata dulcescunt.* Secundò ad tollendum in labore fastidium, atque edomandum humanæ superbiæ fastum.

92. Hanc rationem assignat idem S. August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 6. dicens: *Ita obscurè quædam dicta altissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio removendum; cui facile investigata plerumque vilescunt. Quid enim est quæso, quod si quisquam dicat sanctos esse homines, atque perfectos, quorum vita, & moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcedit eos qui ad se veniunt,*

niunt, & imitatione bonorum sibimet quodammodo incorporat; qui boni fideles, & veri Dei servi deponentes onera sæculi ad sanctum baptismi lavacrum venerunt, atque inde ascendentes conceptione Sancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, id est Dei & proximi: quid est ergo quod si hæc quisque dicat minùs delectat audientem, quam si ad eundem sensum locum illum exponat de Canticis Canticorum, ubi dictum est Ecclesiæ, cum tanquam pulchra quædam fœmina laudaretur; Dentes tui sicut grex detonsarum ascendens de lavacro, quæ omnes geminos creant & non est sterilis in eis: Num aliud homo dicit, quàm cum illud planissimis verbis, sine similitudinis hujusmodi adminiculo audiret? Et tamen nescio quomodo suavius intueor sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emolita duritia quasi demorsos mansosque transferre. Oves etiam jucundissimè agnosco detonsas oneribus sæcularibus tanquam velleribus depositis, & ascendentes de lavacro, id est, de baptismate, creare omnes geminos, id est, duo præcepta dilectionis, & nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video. Sed quare suaviùs videam, quam si nulla de divinis libris talis similitudo promeretur, cum res eadem sit eademque cognitio, difficile est dicere, & alia quæstio est. Nunc tamen nemo ambigit, & per similitudines libentiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multò gravius inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt, quod quærunt fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnificè igitur, & salubriter Spiritus Sanctus ita scripturas sanctas

modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.

93. Tertiò ad irrisiones infidelium evitandas, de quibus dicitur Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*; quæ verba interpretans D. Chrysostomus in cat. D. Thomæ ait; *Mysteria autem veritatis margaritæ sunt, quia sicut margaritæ inclusæ cochleis, positæ sunt in profundo maris, sic mysteria divina, verbis inclusa posita sunt in altitudine sensus sacræ scripturæ. Quæ quidem, qui bonæ mentis sunt, & intellectum habent, revelata honesta apparent, his autem qui insensibiles sunt, magis reverenda apparent cum occultantur.* Et Georgius Venetus lib. 1. probl. ait; *Ut Trismegisto placet religiosissimus sermo, & divinitate plenus, multorum publico & aperto interventu violatur.*

94. Hæc eadem ratio antiquos Philosophos movit, ut scientias variis ænigmatibus involutas traderent; quemadmodum testatur Plato in Alcibiade inquiens; *Universa antiqua Philosophia ænigmatibus plena fuit, quippe quæ non esset intellectu facilis, & ut major ei redderetur reverentia, quibusdam verborum involucris, & metaphoris obtegebatur.* Sic Homerus quatuor illa prima otorcheia inter se pugnantia, & sese mutuò producentia elementa sub nominibus Iovis, Neptuni, & Plutonis effinxit, & ad Physicem, traduxit. Sic ad mores translata est Palladis cum Marte pugna, quâ rationi partem sensitivam, & virtuti vitium adversari intelligeremus. Sic ad Theologicam rationem alia retulerunt, cœli namque imagine motu suo tem-

pus

pus producentis, & quæque gignit absumentis, divinam essentiam Rheâ Dei vitam, Saturno illlius mentem adumbrarunt.

Quartò, quia ipsa intelligendi difficultate plures eruuntur veritates, & spirituales sensus ad fidelium ædificationem eliciuntur. Hanc utramque rationem tradit D. Augustinus lib. 11. de Civit. capite 19. ubi ait; *Divini sermonis obscuritas, etiam ad hoc est utilis, quod plures sententias veritatis parit, & in lucem notitiæ producit, dum eum alius sic, alius sic intelligit.* Tandem ut imbecillitatis ingenij nostri ad capessenda spiritualia memores, scripturæ intelligentiam assidue à Deo postulemus. Ita Origenes *hom. 7. in Ezechiel.* Theophilactus in *capite* 13. *Matth.* & D. Hieronymus in *capite* 18. *Isaiæ* dicens; *Idcirco omnis scriptura, & prophetæ specialiter, futurorum mysteriis involuti sunt; ut provocent nos ad intelligentiam, & ad illud quod in Evangelio dicitur; Petite & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* 95.

Arguitur 3. si sacræ scripturæ ob eam rationem metaphoris uti competeret, ut videlicet per sensibilia ad spiritualium, ac divinorum notitiam deveniamus, maximè similitudinibus ex creaturis sublimioribus desumptis ei utendum esset: sed totum oppositum omninò in sacris scripturis deprehendimus, quæ ex vilioribus rebus metaphoras transsumit: ergo metaphoris competenter non utitur. Maj. Probatur quia quantò aliquæ creaturæ sunt sublimiores, tantò magis ad divinam similitudinem accedunt: ergo earum similitudinibus perfectiùs ad divinorum cognitionem veniremus. 96.

97. Resp. S.D. ex Dyonisio *cap. 2. caelest. hierarch.* quod conveniens est divina sub figuris vilium, quam nobilium corporum in scripturis tradi, triplici de causa: Primò quia per hoc magis liberatur humanus animus ab errore. Manifestum enim apparet, quod haec secundum proprietatem non dicuntur de divinis; quod posset esse dubium, si sub figuris nobilium corporum describerentur divina, maximè apud illos, qui nihil aliud à corporibus nobilius excogitare noverunt. Secundò quia hic modus convenientior est cognitioni quam de Deo habemus in hac vita. Magis enim manifestatur nobis de ipso quid non est, quam quid est. Et ideò similitudines illarum rerum, quae magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt aestimationem quod sit supra illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertiò quia per hujusmodi divina magis occultantur indignis.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrum Sacra Scriptura sub una litera plures sensus habeat?

CAPVT PRIMVM.

Statuitur conclusio & probatur.

1. NOTANDVM est ex D.Th. *in 4. dist. 44. in text. lit.* F, quod sensus, non modò pro potẽtiis sensitivis exterioribus, vel interioribus quae sunt organo corporeo affixae, propriè sumitur, sed etiam quandoque pro

pro intellectu, sicut etiam sentire pro intelligere usurpatur. Et quia nomina potentiarum non rarò objectis earum attribuuntur, jam consuetudo obtinuit, ut mente concepta sensus vocaretur. Quo pacto in præsentiarum sensus usurpatur, nimirùm pro eo quod concipitur de re, prout per vocem, & scripturam designatur.

Gentiles, Ethnici, & Apostatæ hanc sensuum pluralitatem ridere, & aspernari soliti fuere. Sic Porphyrius apud Eusebium *lib.2. c.17.* Celsus apud Origenem *lib.* 4. & nonnulli alij Hæretici apud Moysem Baræpha *lib.* 1. *de paradiso cap.* 3. Hos imitati sunt omnes ferè Novatores, existimantes in sacra scriptura præter unicum legitimum ac genuinum sensum, nullum alium reperiri, aut admittendum; sed hanc multiplicitatem esse prorsus inutilem, ut videre est apud nostrum Gravina Cathol. præscript. *lib.* 4. *tract.* 3. *contr.* 2. *gener. art.* 1. 2.

Prima conclusio; sacræ scripturæ competit sub una littera, id est sub uno sermone plures sensus habere, nimirùm litteralem, & spiritualem, seu mysticum. Qui quidem spiritualis sensus trifariàm dividitur, nimirùm in sensum allegoricum, moralem, seu tropologicum, & anagogicum. Vnde quadruplex est Sacræ Scripturæ sensus, videlicet litteralis, allegoricus, moralis, & anagogicus. Probat S. D. in *sed contra* authoritate D. Gregorij lib. 20. moral. cap. 1. dicentis; *Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit; quia uno eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium*; Sed gestum narrare ad litteralem sensum pertinet, ad spiritualem autem seu mysti- 3.

cum

cum prodere mysterium, quod in litteræ cortice latet: ergo Sacræ Scripturæ competit sub una littera plures sensus habere, litteralem videlicet & mysticum sive spiritualem.

4. Idem probat D. Thomas quodlibet 7.art.15. ex D. Augustino lib. 1. super Genesim ad litteram, ubi ait, quod *in omnibus libris sanctis oportet intueri quæ ibi æterna intuentur, quæ ibi facta narrantur, quæ futura prænunciantur, quæ agenda præcipiuntur.* Primum autem pertinet ad sensum anagogicum; secundum ad historicum; tertium ad allegoricum; quartum ad moralem: ergo quatuor sunt sensus Sacræ Scripturæ.

5. Tandem probat ex authoritate Bedæ super Genes. in principio dicentis. *Quatuor sunt sensus Sacræ Scripturæ, historia quæ res gestas loquitur; allegoria, in qua aliud ex alio intelligitur; tropologia, id est moralis locutio, in qua de moribus ordinandis tractatur; anagogia, per quam de summis, & cœlestibus tractaturi ad superiora reducimur.*

6. Deinde ratione probat; illa scriptura, cujus non solùm verba, sed etiam ipsæ res significatæ aliquid aliud significant, sensus plures habet; sed Sacræ Scripturæ non solùm verba, sed etiam res, quæ per verba significantur, habent ex ordinatione divina aliquid significare: ergo Sacra Scriptura sub una littera plures sensus habet. Major patet; quia quotiescunque contingit plura esse signa diversa, & non Synonima, ibi sunt & plures sensus, & conceptus; voces autem, & res significatæ sunt plura signa, & non Synonima ut patet. Minor verò prob. Deus speciali modo est author Sacræ Scripturæ, quæ est

est quædam præcipua divinæ scientiæ impressio: sed divinæ sapientiæ seu scientiæ proprium est, ut non solùm voces ad significandum accommodet (quod commune est omnibus scientiis, præsertim sermocionalibus) sed etiam res ipsas: ergo Sacræ Scripturæ non solùm verba, sed etiam res quæ per verba significantur, habent ex ordinatione divina aliquid significare.

Secundam partem conclusionis explicat D. Thomas tum hic, tum *quodlibet. 7. cit.* quia Sacra Scriptura veritatem quam tradit; dupliciter manifestat, ut dictum est, per verba scilicet, & per rerum figuras, seu res significatas; sed manifestatio, quæ est per verba facit sensum historicum sive litteralem, unde totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione rectè excipitur; manifestatio autem quæ fit per rerum figuras tripliciter fit: ergo quadruplex est Sacræ Scripturæ sensus; minor quoad 1. partem patet, quoad 2. verò prob. quia sicut dicit Apostolus *ad Hebræos cap. 7.* Lex vetus figura est novæ legis, & ipsa nova lex, ut dicit Dionysius in *Ecclesiastica Hierach. cap. 5.* est figura futuræ gloriæ in nova etiam lege, quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus; sed prout ea quæ sunt veteris legis, significant ea quæ sunt novæ legis est sensus allegoricus; secundum verò ea quæ in Christo sunt facta, vel in his quæ Christum significant, sunt signa eorum quæ nos agere debemus, est sensus moralis; prout verò significant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus: ergo sensus Spiritualis, seu mysticus trifariam optimè dividi- 7.

tur

tur, ac subinde quadruplex meritò assignatur Sacræ Scripturæ sensus.

8. Confirm.ex eodem S.D.*ibid.*Veritas quam sacra scriptura per figuras rerum tradit,ad duo ordinatur, scilicet ad rectè credendum & ad rectè operandum.Si ad rectè operandum, sic est sensus moralis,qui alio nomine tropologicus dicitur.Si autem ad rectè credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium,ut enim Dionysius dicit 4.*cap.cœl.hierarch.*Status Ecclesiæ medius est inter statum Synagogæ, & statum Ecclesiæ triumphantis. Vetus ergo testamentum figura fuit novi, vetus simul, & novum figura sunt cœlestium. Sensus ergo spiritualis ordinatus ad rectè credendum potest fundari in illo modo figurationis, quo vetus testamentum figurat novum, & sic est allegoricus sensus, vel typicus secundum quod ea quæ in veteri testamento contigerunt exponuntur de Christo, & Ecclesia; vel potest fundari in illo modo figurationis; quo novum simul, & vetus significant Ecclesiam triumphantem, & sic est sensus anagogicus.

9. Hanc sensuum multiplicitatem ut necessariam agnoscunt omnes Patres ad veram scripturarum intelligentiam. Vnde Origenes homil.7. in Isaiam explicans illud; *Videntes videbitis, & non scietis* &c. ait; *Si autem ut existimant, simplicia illa quæ facta sunt, non propter nos, sed propter se facta sunt, & non erant exempla alterius rei, exponat, quod hic dictum est; videntes videbitis, & non scietis, habeat sensum.Nam si ea quæ non videbantur, habebant aliquem sensum sacratum, ut cum carnalibus etiam spiritualiter inspicerentur, nunquam dixisset videntes, videbitis,*

videbitis, & non ſcietis. Et D. Gregorius Nyſſenus de vita Moyſis; *Hic* inquit, *qui omninò literæ ſervit, rerum ipſarum cenſequentia corrùptibilem eſſe Deum opinari compellitur; eſt autem Deus incorrupt bilis omninò, atque immortalis. Non eſt ergo ubique ſequenda litera.*

Secunda concluſio: in nulla ſcientia humanâ induſtriâ inventâ propriè loquendo poteſt 10.
inveniri iſta ſenſuum multiplicitas, ſed ſolùm litteralis, unde proprium eſt hujus ſcripturæ, cujus Spiritus Sanctus eſt Actor, homo verò inſtrumentum, habere plures ſenſus. Ita D. Thom. hic, & quodlibet. 7.art.16.quod probat ex Greg. 22. moral. ſupra cit. Deinde rationem aſſignat dicens; Reſpondeo dicendum quod ſpiritualis ſenſus ſacræ ſcripturæ accipitur ex hoc quod res curſum ſuum peragentes ſignificant aliquid aliud, quod per ſpiritualem ſenſum accipitur. Sic autem ordinantur res in curſu ſuo, ut ex eis talis ſenſus poſſit accipi, quod ejus ſolius eſt, qui ſua providentia res gubernat, qui ſolus Deus eſt. Sicut enim homo poteſt adhibere ad aliquid ſignificandum aliquas voces, vel aliquas ſimilitudines fictas; ita Deus adhibet ad ſignificationem aliquorum ipſum curſum rerum ſuæ providentiæ ſubjectarum. Significare autem aliquid per verba, vel per ſimilitudines fictas ad ſignificandum tantùm ordinatas, non facit niſi ſenſum literalem, ut ex dictis patet.

CAPVT

CAPVT II.

Solvuntur argumenta contraria.

11. ARg. 1. Multiplicitas ſenſuum in eadem ſcriptura confuſionem parit, & amphibologiam, deceptionemque, & tollit arguendi firmitatem: ſed hæc quàm longè à ſacra ſcriptura eſſe debent, quæ à Deo inſpirata eſt ad docendam certò, evidenter, & abſque fallacia divinam veritatem ſecundum illud Pſal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum intellectum dat parvulis*, ergo non debent in ea ſub una littera plures ſenſus tradi.

12. Reſp. S. D. quod multiplicitas horum ſenſuum nullatenùs æquivocationem parit, quia ſenſus iſti non multiplicantur propter hoc quod una vox immediatè multa ſignificet (ſicut contingit in hoc nomine canis v. g.) ſed quia præter voces ipſas, res per eas ſignificatæ aliarum rerum ſigna eſſe poſſunt. Et ita etiam nulla penitus confuſio in ſacra ſcriptura ſequitur, cum omnes ſenſus ſuper unum, videlicet literalem fundentur, ex quo ſolo argumentum efficax trahi poteſt; non autem ex his quæ ſecundùm allegoriam dicuntur, ut dicit Auguſtinus *in epiſt. cont. Vincent. Donatum.* Non tamen ex hoc aliquid ſacræ ſcripturæ deperit, quia nihil ſub ſpirituali ſenſu continetur fidei neceſſarium, quod ſcriptura per literalem ſenſum alibi non tradat.

13. Arg. 2. ex D. Auguſtino epiſt. 1. ad Voluſianum dicente; *Hortor, ut valeo, ut literarum verè,*

verè, certéque sanctarum studio te curam non pigeat impendere, sincera enim & solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo lingua tectorio inane aliquid ac pendulum crepitat; sed sermo qui variè exponi potest neque sincerus, neque solidus est, neque ab omni fuco liber rectè dici potest; igitur sacræ scripturæ multiplices sensus esse non debent. *Conf.* si multos posset habere sensus, infiniti erui possent, cum fœcundissimum sit Dei verbum, & infiniti infinita esset proles; sed non contingit infinita intelligere, aut significare: ergo nequit plures ipsa compati sensus.

Resp. ex S.D. quod cum alij sensus supra literalem fundentur, qui certus ac solidus est, sensuum multiplicitas nullatenus ejus sinceritati, aut soliditati derogare potest. Vnde S. Gregorius *homil.* 40. *in Evang.* monet quod, *In verbis sancti eloquij, priùs servanda est veritas historiæ, & postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriæ, tunc enim allegoriæ fructus suaviter carpitur, cum priùs per historiam in* veritatis radice solidatur. Et D. Chrysostomus proëmio in spal. illud Apostoli *Abraham habuit duos filios.* &c. exponens, ait: *Apostolus nusquam evertit historiam, licet contemplationem introduxerit: & hanc contemplationem vocavit allegoriam; non quod nomina quid sibi vellent ignoraret; sed dicens, quod licet sententiis allegoriæ nomen attribuerit; per contemplationem tamen id sufficiat accipere, nusquam lædentes naturæ historiam.* 14.

Resp. ad conf. Verbum Dei, quod est proles fœcundi Patris infinitum est. Cæterum verbum creatum, quale est, quod scribitur ad tot significata extenditur, ad quot denotanda à Spiritu 15.

ritu Sancto designatum est. Certum est autem in certo numero & mensura præfixam esse ejus significationem; quanquam negandum non sit, multa esse significata, quæ nobis occulta sunt, nec penetrantur. Quod quidem in fœcunditatem, & majestatem divini sermonis cedit, ut ex mysteriis prudentes exerceat, & mentes sublimiorem in admirationem suspendat, sicut ait D. Gregorius *præfat. in Iob.c.*4.

16. Arg. 3. contra secundam partem; D. Augustinus *lib. de utilit. credendi cap.* 3. de expositione scripturæ loquens, ait; *Omnis scriptura, quæ testamentum vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifariam traditur, secundùm historiam, secundùm ætyologiam, secundùm analogiam, secundùm allegoriam*; quæ quidem à quaquor assignatis sensibus omnino aliena esse videntur: non igitur conveniens videtur, quod eadem litera sacræ scripturæ secundùm quatuor sensus prædictos exponatur.

17. Resp. S. D. hìc, quod illa tria, historia, ætyologia, & analogia ad unum literalem sensum pertinent. Nam historia est (ut ipsemet Augustinus exponit *ibidem*) cum simpliciter aliquid proponitur; ætyologia verò, cum causa dicti assignatur; sicut cum Dominus assignavit causam, quare Moyses permisit scientiam repudiandi uxores, scilicet propter duritiam cordis eorum, ut dicitur *Matthæi* 19. Analogia verò est cum veritas unius Scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare. Sola autem allegoria inter illa quatuor, pro tribus spiritualibus ponitur. Sicut & Hugo de S. Victore *in prol. lib.*1. *de sacram. cap.*4. sub sensu allegorico etiam anagogicum comprehendit, solùm tres

tres sensus enumerans, videlicet historicum, allegoricum, & tropologicum.

Arg. 4. præter prædictos sensus invenitur 18.
sensus parabolicus, qui inter illos sensus quatuor non continetur: ergo sensus sacræ scripturæ non sunt tantùm quatuor. Resp. S. D. quod sensus parabolicus sub literali continetur: nam per voces significatur aliquid propriè & figurativè. Nec tamen est literalis sensus ipsa figura, sed id quod per eam significatum est. Non enim, cum scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus, quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale; sed id quod per hoc membrum significatur, scil. virtus operativa. In quo patet quod sensui literali sa- 19.
cræ scripturæ nunquam potest subesse falsum.

Arg. 5. Sicut in sacra scriptura aliqua figuratè dicuntur de Christo, ita etiam figuratè dicuntur de aliis multis hominibus; sicut *Danielis* 8. per hircum capratum significatur rex Græcorum; sed hujusmodi figurativæ locutiones non faciunt nisi aliquem sensum præter literalem in sacra scriptura: ergo nec sensus allegoricus, per quem exponuntur de Christo ea, quæ in figura ipsius præcesserunt, debet illius sensus ab historico poni.

Resp. S. D. *quodlib.* 7. *art.* 15. quod hircus, 20.
vel alia hujusmodi, per quæ aliæ personæ à Christo in Scripturis designantur, non fuerunt res aliquæ, sed similitudines imaginariæ ad hoc solùm ostensæ, ut illæ personæ significarentur. Vnde illa significatio, quâ per illas similitudines personæ illæ, aut regna designantur, non pertinet nisi ad historicum sensum; sed ad Christum designandum etiam illa, quæ in rei veri-

tate contigerunt, ordinantur ſicut umbra ad veritatem. Et ideo talis ſignificatio, qua per hujuſmodi res Chriſtus, aut ejus membra ſignificantur, facit alium ſenſum præter hiſtoricum, ſcil. allegoricum. Si alicubi verò inveniatur, quod Chriſtus ſignificatur per hujuſmodi imaginarias ſimilitudines, talis ſignificatio non excedit ſenſum literalem, ſicut Chriſtus ſignificatur per lapidem, qui exciſus eſt de monte ſine manibus, *Danielis* 2.

21. Arg. 6. Vna eſt Eccleſia capitis, & membrorum; ſed ſenſus allegoricus videtur pertinere ad caput Eccleſiæ, ſcilicet Chriſtum; moralis autem ſenſus videtur pertinere ad membra ejus, ſcil. fideles: ergo ſenſus moralis non debet ab allegorico diſtingui. Conf. ſenſus moralis eſt, qui ad morum inſtructionem pertinet; ſed ſacra ſcriptura in pluribus locis ſecundum literalem ſenſum mores inſtruit: ergo moralis ſenſus non debet à literali diſtingui.

22. Reſp. S. D. *ibid.* quod ſenſus allegoricus non ſolùm pertinet ad Chriſtum ratione capitis, ſed etiam ratione membrorum; ſicut quòd per duodecim lapides electos de Iordane, *Ioſuë* 7. duodecim Apoſtoli deſignantur. Sed moralis ſenſus pertinet ad membra Chriſti, quantùm ad proprios eorum actus, & non ſecundùm quod conſiderantur, ut membra.

23. Reſp. ad conf. cum eodem S. D. *ibidem*, quod moralis ſenſus non dicitur omnis ille, per quem mores inſtruuntur, ſed per quem inſtructio morum ſumitur, ex ſimilitudine aliqua rerum geſtarum. Sic enim moralis ſenſus eſt pars ſpiritualis, quod nunquam eſt idem ſenſus moralis, & ſpiritualis.

Arg. 7.

Arg. 7. sicut Christus est caput Ecclesiæ militantis, ita est caput triumphantis; nec est alius, & alius Christus: ergo nec sensus anagogicus, per quem aliqua de Ecclesia triumphante exponuntur, alius ab allegorico esse debet, quo aliqua de Christo & Ecclesia militante exponuntur. 24.

Conf. si isti quatuor sensus essent de necessitate Sacræ Scripturæ, quælibet pars illius deberet hos quatuor sensus habere; sed hoc falsum est, ut enim dicit D. Augustinus *sup. Genes. ad lit.* in quibusdam sensus literalis quærendus est solus: ergo hi quatuor sensus non sunt de necessitate expositionis Sacræ Scripturæ. 25.

Resp. ad arg. S. D. *ibidem*, quod sicut sensus allegoricus ad Christum pertinet, secundum quod est caput Ecclesiæ militantis justificans eam, & gratiam infundens; ita & sensus anagogicus pertinet ad eum, secundùm quod est caput Ecclesiæ triumphantis glorificans eam: quapropter sub diversa ratione penes ipsum sumitur sensus allegoricus & anagogicus. 26.

Resp. ad conf. idem S. D. *ibidem* quod quatuor isti sensus, non ita Sacræ Scripturæ attribuuntur, ut in qualibet ejus parte sit in istis quatuor sensibus exponenda; sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque uno tantùm. In Sacra enim Scriptura præcipuè ex prioribus posteriora significantur; & ideo quandoque in Sacra Scriptura secundùm sensum literalem, de priori aliquid dicitur, quod spiritualiter de posterioribus exponi potest, sed non convertitur. Inter omnia autem, quæ in Sacra Scriptura narrantur, prima sunt illa, quæ ad vetus testamentum pertinent; & 27.

ideo, quæ secundùm literalem sensum ad facta veteris testamenti spectant, quatuor illis sensibus exponi possunt. Secunda verò sunt illa, quæ ad statum præsentis Ecclesiæ spectant: in quibus illa sunt priora, quæ ad caput attinent, respectu eorum, quæ ad membra pertinent; quia ipsum corpus Christi verum, & ea quæ in ipso sunt gesta, sunt figura corporis Christi mystici,& eorum quæ in ipso geruntur; ut in ipso scilicet Christo exemplum vivendi sumere debeamus. In Christo etiam futura gloria nobis præmonstrata est; unde ea, quæ ad literam de ipso capite Christo dicuntur, possunt exponi & allegoricè referendo ad corpus ejus mysticum; & moraliter referendo ad actus nostros, qui secundùm ipsum reformari debent: & anagogicè inquantum in Christo est nobis iter gloriæ demonstratum. Sed quando secundùm literalem sensum dicitur aliquid de Ecclesia, non potest allegoricè exponi, nisi fortè ea quæ de primitiva Ecclesia dicuntur, quantum ad futurum statum Ecclesiæ præsentis exponantur; potest tamen exponi moraliter & anagogicè. Ea verò quæ moraliter dicuntur secundùm sensum literalem, nonnisi allegoricè exponi consueverunt. Illa verò quæ secundùm sensum literalem ad statum gloriæ pertinent, nullo alio sensu consueverunt exponi, eò quod ipsa nullatenus sint aliorum figura, sed ab omnibus aliis figurata.

28. Arg. ultimò contra id quod dicit S. D. nimirum, quod hujus scripturæ proprium sit,& non aliarum, prædictos sensus habere: sensus enim spirituales in sacra scriptura ex quibusdam similitudinibus desumuntur: sed in aliis scientiis etiam

etiam ex quibusdam similitudinibus proceditur: ergo in scripturis aliis plures sensus inveniri possunt.

Conf. 1. Poëticæ artis est veritatem aliquibus similitudinibus fictis designare :. ergo videtur quòd, & in dictis poëtarum sensus spirituales inveniantur, & non solùm in scriptura. 29.

Resp. S. D. *quodlibet* 7. *art.* 16. quod in aliis scientiis proceditur ex similibus in argumentando, non quod ex verbis, quibus una res significatur, significetur & altera, quemadmodum in sacra scriptura contingit, quæ eisdem verbis plura significat, & res significatas ad aliud significandum accommodat. 30.

Resp. ad conf. *ibid.* quod fictiones poëticæ non sunt ad aliud ordinatæ, nisi ad significandum. Vnde talis significatio non supergreditur modum literalis sensus. 31.

CAPVT III.

An sub una litera plures sensus literales contineri possint?

§. I.

Deciditur quæstio.

NEgant Michaël Medina *lib.* 6. *de recta in Deum fide.* Ribera in Oseam cap. 11. & alij; sed contrariam sententiam asserunt omnes fere Theologi. Ita D. Thom. *hic art.* 10. *in corp.* ubi ait: *Quia verò sensus literalis est, quem author intendit; auctor autem Sacræ Scripturæ Deus* 32.

est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12. *Confess. si etiam secundùm literalem sensum in una litera scripturæ plures sint sensus.* Et quæst. 4. de pot. art. 1. c. *Ne aliquis ita scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent, & possunt salvâ circumstantia literæ scripturæ aptari, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinæ scripturæ pertinet, ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic & diversis hominum intellectibus conveniat, & unusquisque miretur se in divina scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit; & per hoc etiam contra infideles faciliùs defendatur; dum si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus. Vnde non est incredibile Moysi, & aliis sacræ scripturæ auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & ea sub una serie literæ designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus authoris*, D. Thomam sequuntur Lyranus, Abulensis, Sylvester, Driedo, Castro, & alij, quos citat, & sequitur M.Gravina *cathol.præscript.lib.*4.*contr.*2. *gener.de sensib. sac. script.art.*4.

33. Ita etiam sumitur ex SS. Patribus, & primò ex Augustino *lib.*3. *de doct.Christ.cap.*27.ubi ait: *Ille quippe author in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certè Dei Spiritus, qui per eam operatus est, etiam ipsam occursuram lectori, vel auditori sine dubitatione prævidit; immo ut occurreret, quia ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius, & uberius potuit divinitùs provideri,*

provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alios non minus divina contestantia faciunt approbari. Deinde ex D. Hieronymo *epist.* 103. S. Chrysostomo hom.2.in Genes. D. Basilio *lib.de Spiritu Sancto in principio,* & aliis.

Prob. primò ex variis sacræ scripturæ locis, quos necessum est in multiplici sensu ad literam intelligere: Et primò quidem ille locus Exodi 12. *Os non comminuentis ex eo,* literaliter de agno paschali intelligitur; sed etiam debet ad literam de Christo intelligi: ergo idem scripturæ sermo diversos sensus literales habere potest. Prob. min. ex illo Ioan. 19. *Hoc autem factum est, ut impleretur scriptura, quæ dicit, os non comminuetis ex eo:* ex quibus sic scriptura completur, quando fit id, quod per eam significatur; sed sensus mystici per scripturam non significantur, sed per res ipsas scripturis significatas: ergo ad literam de Christo debet intelligi, & non mysticè duntaxat. 34.

Secundò ex psalmo 2. ubi dicitur; *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, hodie genui te.* Quem locum D. Paulus ad Hebræos 1. de æterna generatione explicat, dicens: *Cui enim Angelorum aliquando dictum est filius meus es tu, hodie genui te?* Et infra c.5.eundem locum de promotione ad sacerdotium interpretatur: *Christus,* inquit *non semetipsum glorificavit, ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum & in alio loco dicit, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* D. Petrus autem in actis Apostolorum cap. 13. illum de resurrectione Christi ex mortuis exponit: *Nos annun-* 35.

ciamus, inquit, *vobis eam, quæ apud Patres nostros facta est repromissio, quando hanc Deus adimplevit filiis vestris resuscitans Iesum, sicut in psalmo 2. scriptum est; Filius meus es tu, ego hodie genui te*; sed hi sensus non sunt mystici; Apostolus enim non ex rebus per voces, significatis, sed ex sensu per ipsa verba propriè significata tot sensus ex una, eademque litera eruit: ergo &c. Explicatur & idem locus in sensu literali de generatione Christi secundùm carnem; ita Ecclesia in officio Nativitatis.

36. Sunt & alij plures hujusmodi sacræ scripturæ loci, qui multos literales sensus admittunt, ut locus ille Isaïæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* qui tam de generatione æterna, quam de temporali; necnon de resurrectione Christi ex mortuis, atque de regeneratione filiorum Ecclesiæ per adoptionem, quæ ex morte Christi processit, à Sanctis Patribus exponitur, ut videre est apud M. Gravina *loc. cit.* Similiter & locus ejusdem Prophetæ in eodem capite 53. *Verè languores nostros ipse tulit.* Qui tum de peccatis nostris; tum de miraculis, quibus nostros morbos Christus ipse sanavit, exponitur. Vt alios plures prætermittam, qui passim in sacris expositoribus occurrunt.

37. Prob. ratione quia potest scriptor prophanus una voce plures sensus concludere, ut probat D. Augustinus *lib. 2. de doct. Christiana cap. 23.* dicens; *Beta uno eodemque sono apud Græcos litera, apud Latinos oleris est nomen; & cum dico, lege, in his duabus syllabis aliud Græcus, aliud Latinus intelligit*, & Deus ipse scripturæ conditor potest rebus ipsis propter diversas proprietates plura significare, ut ex S. D. supra diximus;

diximus : ergo poterit etiam iiſdem vocibus ſive tropicis, ſive propriis plures ſenſus, atque ſententias deſignare. Et quod de facto ſic fecerit, ſuadetur, tum quia ad dignitatem conditionis ſacræ ſcripturæ conducit; tum quia ad majorem Dei gloriam ſpectat, ſi aſſeratur ſcripturam divinam ſic ab ipſo eſſe conditam, ut fons eſſet uberrimus, diverſas, eaſque compoſſibiles ſententias per plura capita ſcaturiens, quam ſi eſſet anguſtus rivus in uno alveo tantum decurrens. Tandem, quia eò in majori veneratione habetur, quo in ſenſuum literalium multiplicitate ejus alta profunditas cernitur. Vnde S. Auguſtinus *lib.* 12. *confeſſ.* exclamat : ***Mira profunditas eloquiorum tuorum ! Ecce ante nos ſuperficies blandiens ; ſed mira profunditas, Deus meus ! mira profunditas, horror eſt intendere in eam : horror honoris, & tremor amoris.***

Secundò prob. ratione, quia ex iſta ſenſuum literalium multiplicitate, nedum ſapientia conditoris oſtenditur, ſed maxima utilitas nobis eſt allata, dum ad ſcripturarum exercitationem accendimur, & hiſtoriæ veritatem majori ſtudio inveſtigamus. Vnde Sanctus Hieronymus exponens illa Daniëlis verba capite 12. ***Tu autem Daniel claude ſermones uſque ad tempus ſtatutum, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia***, inquit, ***Præcipit ut involvat ſermones, ſignet librum ut legant plurimi, & quærant hiſtoriæ veritatem, & propter obſcuritatis magnitudinem diverſa opinentur.*** Tertiò prob. ab inconvenienti : quia aliàs expoſitiones literales à Patribus, & expoſitoribus adductæ eſſent reiiciendæ, utpote alienæ ab intentione Spiritus Sancti, quod eſt contra communem 38.

munem

munem Ecclesiæ sensum, & definitionem Sac. Concilij Tridentini sess. 4.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

39. ARg. 1. multiplicitas sensuum literalium sub unius literæ cortice delitescens, non potest non parere æquivocationem, ambiguitatem, & confusionem, atque fallaciam: sed hac penitus à scripturis sacris est removenda, ne dæmonum oracula imitari videantur, quæ sub verbis æquivocis reddita incautos decipiebant: igitur neque admittendum est, quod sub una litera multos sensus literales ipsa habere possit. Maj. patet, quia æquivoca sunt, quorum nomen est commune, ratio verò significata est omnino diversa; tunc autem immediatè plura essent unius vocis, vel sermonis significata. Vnde S. Thomas hîc solut. ad 1. ex eo dicit multiplicitatem sensuum in sacra scriptura non facere æquivocationem, aut aliam multiplicitatis speciem: *quia sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet; sed quia ipsa res significata per voces aliarum rerum possunt esse signa.*

40. Varias Doctores huic argumento solutiones adhibent, itaut tot sint fere sensus, quot capita. Sylvester *in rosa aurea tract. 1. cap.6.* quem sequuntur alij non pauci, ait, tunc tantummodo æquivocationem committi, cum enunciatio profertur, in qua unus sensus est verus, & alius falsus ad decipiendum audientem. Cæterum quando uterque sensus verus est & textui conveniens, nullatenus fallaciam, æquivocationem,

tionem, aut amphibologiam inducit, sed ad majorem intelligentiam confert. Omnia autem dæmonum oracula erant ambigua & ad decipiendum ordinata, & licet in uno sensu vera, in alio falsa esse possent, tamen ad fallendum specie tenus veritatem ostendebant, & mendacium, quod intendebatur, occultabant.

Responderi potest 2.ex D.Thom.*opusc*.39.*c*.1. multiplicitatem sermonis tunc duntaxat esse deceptionis causam, & æquivocationem seu amphibologiam parere. *Quando propter unitatem vocis creditur esse unitas rei per vocem significatæ; sicut illa quæ per nomen canis significantur, unum esse videntur, quia hoc nomen canis est unum.* Non sic autem est in uno sermone sacræ scripturæ plures literæ sensus habente, quia non creditur esse unitas rei significatæ, propter unitatem vocis; quinimmo propter eminentiam Verbi divini creditur, quod sub unius literæ nucleo possit plura continere diversa, & significare, non quidem à casu, aut beneplacito humano, sed ordinatione Dei, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, & subinde unam vocem, vel sermonem ordinare valet ad multa simul cum veritate significandum,& absque deceptione. 41.

Ad illud, quod ex D. Thoma adducitur, dicendum, quod S. D. directè respondens argumento, quod ex falsa suppositione procedebat, nimirum quod una vox vel unicus sermo multa significaret, optimè ait, quod multiplicitas horum sensuum non facit æquivocationem, quia sensus isti non multiplicantur per hoc quod vox una multa significet, ut contingit in hoc nomine *canis*, sed quia ipsæ res significatæ per voces 42.

voces aliarum rerum possunt esse signa; quia ibi tantùm de pluralitate sensuum agebat. An verò, quando in una litera plures sensus immediatè reperiuntur, committatur æquivocatio, non aperuit, quia id argumentum non postulabat.

43. Arg. 2. si essent in una litera plures sensus, tunc nihil certum ex sensu literali definiri posset, aut ab eo efficax argumentum desumi; unusquisque enim pro libito posset unam, vel alteram expositionem sequi, aut propriam adducere, aut alteram rejicere: essetque procedere à disjunctiva propositione ad alteram ejus partem, quæ argumentandi ratio inefficax & infirma est; igitur nequeunt sub una litera plures sensus contineri.

44. Resp. 1. D. Cajetanus tunc conferendos hujusmodi sensus varios cum aliis sacræ paginæ locis, & si consonaverint, ab eis posse optimè & efficaciter argui. Quod si in aliis locis obscurè duntaxat veritas habeatur, recurrendum est ad Ecclesiæ authoritatem, à qua non solùm de literali sensu possumus reddi certissimi, sed etiam de scriptura ipsa certiorati sumus. Nam, ut inquit Augustinus, *Evangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ admoneret.*

45. Resp. alij 2. cum Sylvestro, quod si sub una litera sint diversi sensus, & in aliquo conveniant, poterit tunc efficax desumi argumentum. Licet enim non consentiant authores in assignando tempore, quando inceperint, vel completæ sint Daniëlis hebdomadæ: quia tamen omnes fatentur quod tempus earum jam completum sit, colligitur evidenter jam Christum advenisse. Si autem sensus literalis non sit idem apud omnes, contra admittentes illum, firmum conficitur

conficitur argumentum, non tamen contra non admittentes, maximè si sint infideles. Nec arguitur à disjunctiva ad copulativam, immo potius à copulativa ad singulas partes, unde validè arguitur; locus enim plures sensus habens literales copulativæ locum obtinet.

CAPVT IV.

An præter illos quatuor sensus detur accommodatitius?

Sensus accommodatitius à Doctoribus dicitur applicatio verborum sacræ scripturæ alicui intento, vel proposito, quod sacer scriptor, nec historicè, nec mysticè intendit, vel indicavit; v.g. cum Ecclesia beatissimæ Virgini Mariæ adaptat illud Ecclesiastici 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*; Quod propriè de divina sapientia intelligi debet. Certum est hujusmodi sensum accommodatitium non esse sacræ scripturæ proprium, quia à Spiritu Sancto non præsupponitur intentus. Quapropter solùm hoc in dubium vocatur, utrum aliquando sacra scriptura, vel sacer scriptor, allegans alterius scripturæ testimonium, ipso in sensu accommodatitio utatur? affirmant quidam Recentiores; sed contrarium asserunt communiter Doctores. 46.

Prob. 1. authoritate Vigilij Papæ, qui referens errorem Theodori Mopsuesteni asserentis quæcunque dicta sunt de Christo, & ejus mysteriis secundùm rei eventum, & accommodationem interpretanda venire, cap. 22. ita scribit; 47.

In

In supradicto capite hoc videtur dici prophetiam, quæ ex persona Christi loquens ait: Non derelinques animam meam in inferno, non de ipso Christo prædictam fuisse, sed de populo Israëlitico; hoc autem verum eventum ex rebus ipsis accepisse in Domino; & ideo beatum Petrum ad Christum hanc prophetiam, per eventum aptare voluisse. Qui hæc ita sapit, docet, credit, prædicat, anathema sit. Et cap. seq. 23. similiter alia Prophetarum dicta, quæ per eventum ipse Theodorus asserebat evenisse, sic intelligenda sub anathemate prohibuit.

48. Sumitur etiam ex D. Augustino lib. 3. de doct. Christ. cap. 10. ubi ait: *Non asserit scriptura nisi catholicam fidem rebus præteritis, præsentibus, & futuris. Præteritorum narratio est futurorum prænunciatio, præsentium demonstratio*: igitur nihil in præsenti evenit, vel in futuro eventurum est, quod non sit prædictum; ac subinde à Spiritu Sancto intentum & prænunciatum: igitur dum sacer scriptor aliquod scripturæ testimonium adducit in confirmationem illius quod scribit, in eo sensu in quo fuerat à Spiritu Sancto prænunciatum, allegat; ac subinde non in sensu accomodatitio. Vnde scriptores sacri, ut hoc manifestè indicent, soliti sunt hæc verba adjicere: *Tunc impletum est*, vel, *ut adimpleretur*, ut patet Matth. 2. *Vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam; ex Ægypto vocavi filium meum*, & in multis aliis ejusdem locis, ut cap. 1. v. 22. cap. 4. v. 14. cap. 8. v. 17. cap. 12. v. 17. cap. 21. v. 4. c. 26. v. 56. & Ioan. 15. v. 25. & alibi sæpe. Non dicitur autem propriè adimpleri scriptura per eventum rei, qui in ea non fuerat prænunciatus & prædictus.

Conf.

Conf. ea quæ in veteri teſtamento dicta vel geſta ſunt, umbræ & figuræ exiſtunt eorum, quæ in novo fieri debebant, præſertim in capite Chriſto, ut patet ex Apoſtolo 1.Corinth.10. *Omnia in figura contingebant illis*; & Heb. 10. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum &c.* ergo cum Chriſtus ſit finis legis omni credenti; quæ ex veteri teſtamento ad confirmationem veritatis à ſcriptoribus canonicis adducuntur, à Spiritu Sancto prænunciata fuerant, & erant præſertim demonſtratio, ut ait Auguſt. cit. videndus D. Hieronymus *epiſt. ad Paulinum*; & *lib.*3. *cont.Donatiſt. c.*19. ubi ait, hæreticis familiare eſſe librorum ſanctorum verba ad imaginem phantaſmatum ſuorum convertere. Quod & inſinuant Tertullianus *lib.de præſcript.c.*39.& Irenæus *lib.*1.*c.*1. 49.

Varia ſcripturæ teſtimonia congerunt oppoſitum aſſerentes, quæ contendunt nonniſi in ſenſu accommodatitio à ſcriptoribus ſacris potuiſſe adduci, & interpretari, cujuſmodi eſt ille Tobiæ 2. *Manducavi panem cum luctu memorans illum ſermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam; dies veſtri convertentur in lamentationem & luctum*, ubi adducitur prophetia Amos, quæ literaliter loquitur de calamitate populi Iſraël, cujus captivitatem & interfectionem prænunciabat, & non de calamitate ipſius Tobiæ; igitur nonniſi in ſenſu accommodatitio à Tobia ſcriptore ſacro adduci potuit. Ejuſmodi etiam ſunt ſequentia loca Matth. 2. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quod ad literam de Populo Iſraëlitico intelligitur, ab Evangeliſta autem adducitur pro reditu pueri Ieſu ex Ægypto. Et ibidem 50.

ibidem etiam; *Vox in Rhama audita est* &c. qui locus per accommodationem ad necem innocentium translatus est. Præterea illud Ioëlis c.2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Et illud psal. 15. *Non derelinques animam in inferno.* Et illud Oseæ 9. *Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David.* Quæ præfatus Theodorus Mopsuestenus in sensu accommodatitio interpretabatur.

51. Resp. omnia ejusmodi loca, non quidem in sensu accommodatitio, sed literali, saltim spirituali adducta fuisse, ut diximus. Ad 1. itaque dicendum, quod ea verba, *memorans illum sermonem*, satis indicant à Tobia intellectam prophetiam Amos in sensu literali. Etenim cum prophetia illa generalis esset absque determinatione loci & temporis, comminante Deo filiis Israël propter peccata se acturum ut omnes eorum festivitates in luctum converterentur, & ipsum Tobiam respiciebat, qui unus ex populo Israël erat. Vnde etiam idem locus *lib. 1. Machab.* adducitur, non quidem per accommodationem, sed in sensu literali ad illorum temporum calamitatem designandam sacer scriptor transtulit.

52. Ad 2. quidam aiunt in sensu mystico reditum pueri Iesu ex Egypto figuratum, & intellectum. Alij autem dicunt utrumque literaliter intelligendum, quod satis indicant illa verba, *Vt impleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem.* Cujus rei gratia notandum ex S. D. ibid. quod in omnibus authoritatibus, quæ in Evangeliis, vel in epistolis dicuntur de Christo, quædam de ipso specialiter enunciantur, quemadmo

quemadmodum illud Iſaïæ 53. *Tanquam ovis ad occiſionem &c.* Quædam autem dicuntur de quibuſdam, ſecundum quod Chriſti figuram geſſerunt, & ſic eſt iſta authoritas. Iſti enim non fuerunt filij Iſraël, niſi inquantùm ſimilitudinem geſſerunt veri filij Vnigeniti. Aliis placet eo in loco non eſſe ſenſum literalem de populo Iſraël, ſed de adventu Chriſti, & Iudæorum infidelitate. Similiter ad illud, *vox in Rhama* &c. reſpondet S. Thom. quod intelligendum venit in ſenſu literali: *Iſta eſt una de illis* (ſcilicet ex authoritatibus) *quæ introducuntur in Evangelio, quæ tamen ſenſum literalem habet, quia eſt figura ejus, quod fuit in novo teſtamento.* Ex quibus ad alia, & ſimilia loca patet ſolutio.

Solet & pro magno adduci locus ille Apoſtoli *ad Titum* 1. ubi loquens de Cretenſibus, authoritatem poëtæ Epimenidis adducit dicentis: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*; & hoc aſſerit dictum per proprium illorum prophetam. Reſpond. ex S. Thom. *ibid. lec.* 3. quod illa authoritas in ſenſu litterali adducitur, deſcribit enim proprias Cretenſium conditiones. Vnde Apoſtolus ſtatim ſubdit: *Teſtimonium hoc verum eſt*, quæ verba explicans S. Doctor ait: *Per hoc intelligitur, quòd Doctor Sacræ Scripturæ accipit teſtimonium veritatis, ubicumque invenerit. Vnde Apoſtolus in pluribus locis recitat dicta Gentilium, ſicut* 1. *Corinth.* 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Item Act.* 17. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Nec propter hoc approbatur tota eorum doctrina, ſed eligitur bonum: quia verum à quocumque dicatur eſt* 53.

à Spiritu Sancto, & respuitur malum. Vnde dicitur Deuteronomij 21. in figura hujus, quod si quis viderit puellam in numero captivorum, debet præcidere ungues, & capillos, id est, superfluitates. Et hæc breviter dicta sint de hac quæstione & materia. Qui plura desiderat, adeat authores, qui ex professo de hac re agunt, præsertim nostrum Gravina *lib. 4. cathol. præscript. controv. 2. generali de sensibus Sacræ Scripturæ art. 8.*



QVÆSTIO



QVÆSTIO SECVNDA, DE DEO.

AN DEVS SIT.

PROLOGVS.



Sto in naturali rerum cognitione, quæ ex ſenſu principium ſumit innata ſit nobis cognitionis via à poſteriori-bus ad priora, ac ſubinde à creaturis ad conditorem; attamen in his quæ revelatione divina,ac ſupernofidei lumine deſurſum à Patreluminum deſcendente capimus, noſtra cognitio immediatè ipſi primæ veritati innititur. Quapropter neceſſum eſt, ut à prima veritate, quæ Deus eſt, ad ea cognoſcenda, quæ ab ipſo ducunt, ceu effecta originem, procedamus. Nam & Sancti in Patria Verbum Dei immediatè contuentur, & in ipſo creaturarum notitiam ſibi comparant: quorum ſcientiæ, & cognitionis omnimodæ perfectæ eſt

D.Th. 1. ſent. diſt. 48. exp. text. opuſc. 70. §. 1.

1. sent. q. prol. a. 1. c. opusc. 70. q. 1. a. 2.

hæc quoque sacra doctrina perfectior assimilatio; Unde & per anthonomasiam Sapientia sanctorum dicitur.

Eusebius de præpar. evang. lib. 7. c. 4. & 5.

Et reipsa quidem à Deo ipso Theologiæ desumendum esse exordium perantiquus Theologorum mos obtinuit. Primus enim omnium eximius ille Theologus Moyses, qui divinas leges conscripsit, cum pietati convenientem doctrinam tradere voluisset, non communibus, atque tritis exordiis usus est, sed nihil potius ducens, quam priscorum sui generis Theologiam ad rectè vivendi normam pertinere, à Deo secundum Hebræorum Theologiam incœpit. Quinimmò doctrina Evangelica, propheticam, ac paternam Hebræorum Theologiam renovans, à divinitate desumpsit exordium: *In principio*, inquit, Theologorum apex, *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* A Deo ergo exordium desumamus.

Lib 1. cont. gent. c. 9.

Intendentibus autem nobis de Deo sermonem, atque ratiocinationem texere, consideranda primùm occurrunt ea, quæ Deum unum, & ejus essentiam concernunt; *ut de unius principatu, atque imperij dignitate eruditi, personarum doctrinam paulatim addiscere valeamus*, quemadmo

quemadmodum admonuit D. Isidorus Pelusiota *epistola* 261.

Inter illa autem, quæ de Deo, illiusque natura consideranda veniunt, præmittenda est, quasi totius operis fundamentum necessarium, consideratio qua demonstratur Deum esse; nisi enim veritatem hanc præacceperimus, omnem de divinis rebus contemplationem nos in vanum assumpturos fore constat. Hinc Apostolus Athenienses in fide instructurus imprimis Deum esse illis annunciat; quod egregiè adnotavit Divus Chrysostomus homil. 38. in acta Apostol. dicens; *Cur autem non rectâ juxta Philosophiam ingreditur dicens, Deus natura incorporeus est, invisibilis, & infigurabilis; Quia superfluum videbatur jam hæc dicere ad homines quidem nondum edoctos unum esse Deum.* Ibidem

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deum esse sit per se notum.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit aliquam propositionem esse per se notam, & quot modis dicatur.

1. Vide 1 p.q.17.a.3.c. ROPOSITIONEM per se notam, eam esse dicit D. Thomas; cujus prædicatum est de ratione subjecti; quæ definitio est per causam data; causa enim, cur propositio per se nota dicatur, est quia prædicatum est de ratione subjecti. Vnde propositio per se nota formaliter loquendo, est; quæ cognitis terminis statim cognoscitur. Illud autem dicitur statim cognosci, cujus cognitio non per demonstrationem, aut alio simili modo, sed per naturam advenit, & non per acquisitionem, quia nimirum intellectus per naturale rationis lumen ad illud cognoscibile est determinatum. Vnde omnem propositionem per se notam, immediatam esse oportet, id est carentem medio per quod demonstretur; sive simpliciter, ut prima principia universalissima; sive in aliquo genere, sicut universalia scientiarum principia.

2. Ibid. & in 4.d.4. q.2.a.1. c. opusc. 69. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod propositio apprehensionem sequitur, & quodammodo in ea fundatur; non enim est compositio, & divisio, seu affirmatio, & negatio, nisi simplicium

simplicium apprehensorum. Quarundam autem propositionum termini ejusmodi sunt, ut in omnium cognitione,& notitia communiter versentur, sicut ens, unum, totum,& pars; æquale, & inæquale; aliaque hujusmodi plurima, quæ sunt entis inquantum ens, quæ est prima, & universalior,seu communior entis conceptio; nihil enim intelligitur, nisi sub entis ratione. Propositiones itaque ex hujusmodi communibus terminis coalescentes dicuntur,& sunt propositiones per se notæ secundum se, & quoad nos; quia nimirum sunt communes quædam animi conceptiones, quas dum quisque audit naturaliter approbat, dummodo prædicati, & subjecti notitiam præacceperit, v. g. *Omne totum est majus sua parte*; Scito enim quid sit totum, & quid pars, statim naturali intellectus lumine ad id adigente, ab audiente præbetur assensus absque aliqua investigatione rationis ad assentiendum necessariò compellente.

3.
Sunt & alij termini immediatam equidem, & infallibilem habitudinem inter se habentes, Ibid.
itaut unum sit de alterius ratione, nec sine illo possit quidditativè nosci; tamen de eis non scitur quid sint communiter, nec facilè quia nimirum procul sunt à sensu, ac subinde à memoria & experimento; quapropter diligenti inquisitione egent, ut diffinitivè eorum cognoscatur ratio, procedendo per viam divisionis generis in differentias, & investigationem causarum rei, accidentiumque ipsius. Et propositiones per se, quæ hujusmodi terminis constant, positiones dicuntur, suntque per se notæ secundùm se, non tamen quoad nos; v.g.hæc; *Angelus non est in loco circunscriptivè*; intelli-

genti enim quid sit Angelus, seu potiùs quid non sit, videlicet quod non sit corpus, sed incorporale quidpiam, per se notum est secundum se, quod non est in loco circunscriptivè; sed tamen non quoad nos, quia dum auditur, nec naturaliter statim approbatur, nec ab omnibus, quasi ad sensum patens, seu ad illius assensum naturali adigente intellectus agentis lumine, ex his solis quæ sibi apud sensum, vel imaginationem sunt nota.

4. Hanc propositionis per se notæ divisionem in eam quæ est nota secundum se, & quoad nos, & in eam quæ secundum se duntaxat nota est, rejecit Scotus in 1. *dist.2. quæst.2.* & post ipsum aliqui recentiores; sed immerito sanè, quia modus rei cognitæ non est modus cognoscentis, res enim materiales in intellectu, immateriali modo esse habent; sed quod propositio aliqua sit per se nota secundum se habet ex modo rei cognitæ; quod verò sit etiam per se nota quoad nos ex modo cognoscentis sortitur: ergo bene stat, immò necessum est, quod aliqua propositio sit per se nota secundum se & non quoad nos. Minor probatur quod sit per se nota propositio secundum se habet ex hoc quod res significata, nimirum veritas illius, est primum & per se objectum intellectus componentis, & dividentis, sicut ratio rei est primum objectum intellectus simpliciter intelligentis, ac subinde movere natum est ipsum per modum naturæ, & ut intellectus quidam est, absque collatione rationis; sed quod sit per se nota etiam quoad nos provenit ex hoc quod proprius cognoscentis modus est cum dependentia à sensibilium imaginibus, à quibus ejus cognitio ortum habet, &

& per resolutionem ad ea de rerum veritate judicat absque discursu, & collatione, per modum naturæ, quemadmodum, ut ita dicam, ovis judicat de appetibili convenienti: ergo quod propositio aliqua sit per se nota secundum se, habet ex modo rei cognitæ; quod verò sit etiam per se nota quoad nos, ex modo cognoscentis sortitur. Vide quæ diximus tom. 2. Clypei quæst. 14. art. 2. §. 4. Nec enim brevitati studentes debemus omnes quæstiones philosophicas ad longum hîc inculcare.

CAPVT II.

Hanc propositionem, Deus est, *esse per se notam secundum se, & non quoad nos demonstratur?*

CIrca hanc quæstionem triplex invenitur antiquorum opinio. Quidam (ut Rabbi Moyses narrat) dixerunt quod Deum esse nec est per se notum, nec per rationem demonstrabile: sed sola fide suscipiendum. Et ad hoc asserendum inducti sunt rationum debilitate, quibus multi in hoc demonstrando utuntur. Alij, ut D. Anselmus, arbitrati sunt, quod Deum esse sit per se notum intantùm ut nullus possit interius cogitare Deum non esse. Alij ut Avicenna 1. *metaphys.* dixerunt quod Deum esse non sit per se notum, sed per demonstrationem scitum. Prima sententia jamdudum à Scholis exulavit. Constat enim ab ipsismet Philosophis fuisse irrefragabilibus rationibus id demonstratum.

5.

ſtratum. Ex duabus autem poſterioribus prima multis poſtea arriſit; aliis autem ſecunda placuit. Eſto diverſimodè rem explicent, ut videre eſt apud Illuſtriſſimum D.Godoy *1.p.q.2.tract.2. diſp.2.§.2.*

6. Dicendum eſt igitur hanc propoſitionem, *Deus eſt*, eſſe per ſe notam ſecundum ſe, non tamen quoad nos. Prima pars prob. propoſitio cujus prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubjecti eſt per ſe nota ſecundum ſe; ſed prædicatum hujus propoſitionis, *Deus eſt*, eſt de intrinſeca ratione ſubjecti, itaut viſa natura ſubjecti ſtatim appareat inhærentia prædicati cum ſubjecto; Deus enim eſt ſuum eſſe: ergo eſt per ſe nota ſecundum ſe. Major patet, nam nihil prius rei ineſt, quam ſua ratio: ergo cum prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubjecti, non eſt medium reperire ad probandum ipſum ineſſe ſubjecto: ergo non eſt nota per aliud medium complexum: ergo per ſe.

Hic, & 1. ſent.diſt. 3.q. 1. a. 2. 10. de verit.art. 12.1.cōt. gent. c. 11.& 12.

7. Secunda pars prob. ea quæ ſunt per ſe nota etiam quoad nos, ut dicit Phil. *4.metaph.tex.48.* etſi exteriùs negentur ore, nunquam interiùs negari poſſunt corde; ſed Deum eſſe poteſt corde negari: ergo Deum eſſe non eſt per ſe notum quoad nos, & ſecundum ſe. Maj. patet, quia ad aſſentiendum vero per ſe noto ſimpliciter per modum naturæ fertur intellectus principiorum: ergo circa illa non errat. Minor prob. ex illo Pſalmi 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* Vbi D. Baſilius; *Vbique eſt* Deus, *in corde verò inſipientis non eſt. Inſipientem autem, qui malo eſt ingenio, dicit*, ibid.

8. Secundò prob. quidquid demonſtratione indiget, ut notū ſit per ſe notitia certa, & infallibili, non

non est per se notum quoad nos,quia quoad nos indiget medio,ut innotescat;sed hæc propositio *Deus est*, ut innotescat certa, & infallibili evidentia, indiget demonstrari: ergo non est per se nota quoad nos evidentia certa, & infallibili.Prob. min. cognitione naturali non possumus in cognitionem Dei devenire nisi ex sensibilium cognitione per remotionem, excessum, & causalitatem; omnis enim nostra cognitio pro hoc statu ortum habet à sensibus; sed ad deveniendum ex effectibus sensibilibus imperfectè Deum repræsentantibus, in notitiam Dei certam multa rationis inquisitione indigemus procedendo à notioribus quoad nos:ergo hæc propositio *Deus est*,ut innotescat certa,& infallibili indiget demonstrari, *ibid.*

Confirmatur; ea quæ per se nobis nota sunt, efficiuntur nota statim per sensum; sicut visis toto & parte statim absque ulla inquisitione cognoscimus omne totum esse majus sua parte; Vnde Philos.1. *poster. text.*24. principia, inquit, cognoscimus, dum terminos cognoscimus; sed visis sensibilibus non statim pervenimus in Dei cognitionem, sed per inquisitionem rationis demonstrativè procedendo, secundum videlicet quod ista causata sunt, & quod omne causatum ab aliquo agente esse necessum est &c. ergo hæc propositio *Deus est*, non est per se nota quoad nos. *ibidem.* 9.

Confirmatur 2. non scimus de Deo quid est; sed ut sit nobis per se notum notitia certâ,& infallibili evidentiâ quod Deus sit, oportet nosse quod quid est ipsius Dei absque rationis inquisitione: ergo Deum esse non est per se notum secundum se,& quoad nos.Major ex dictis *art.*1. 10. 1. cont. gent.c. 11.

est

est manifesta; minor verò prob. propositio per se nota ea est, quæ notis terminis per se nota est notia certa & evidentia infallibili; sed non cognoscuntur termini, nisi inquantum ratio ipsorum quidditativa cognoscitur, quæ est causa per quam innotescit unum per se, & immediatè alteri inesse: ergo ut sit nobis per se notum evidentiâ certâ, & infallibili quod Deus sit, oportet nosse quod quid est ipsius absque rationis investigatione, aut medio probativo. Minor prob. quidditas rei est primum, & proprium per se objectum ipsius intellectus, inquantum intellectus est; sed nihil naturaliter potentiam movet, nisi inquantum rationem primi, propriique, ac per se objecti illius participat: ergo intantum naturaliter, & absque rationis inquisitione aliqua propositio potest intellectum suaptè natura movere ad assentiendum illi, inquantum quodquid est terminorum cognitum, efficit ut statim noscamus unum alteri per se necessariò, & immediatè inesse.

II. Ex quibus infertur hanc propositionem, *Deus est*, simpliciter beatis per se notam esse, qui essentiam illius intuentur. Quod expresè docet S. D. *quæst.* 10. *de verit. art.* 12. dicens; *In patria ubi essentiam ejus videbimus, multò amplius erit nobis per se notum Deum esse, quàm nunc sit per se notum, quod affirmatio, & negatio non sunt simul vera.* Et breviter prob. ex eodem. *ibidem*. Ad hoc quod aliquid sit per se notum nihil aliud requiritur, nisi ut prædicatum sit de ratione subjecti; tunc enim subjectum cogitari non potest sine hoc quod prædicatum sibi inesse appareat; ad hoc autem ut sit per se notum nobis, oportet ut sit nobis nota subjecti ratio,

in

in qua cõcluditur prædicatum; sed esse est de ratione quidditativa Dei, & Dei ratio est perfectè nota beatis: ergo illis simpliciter per se notum est, Deum esse, 1. cont.gent.c.11.

CAPUT III.

Argumenta contraria dissolvuntur.

Arguitur 1. Illa sunt nobis per se nota, quorum cognitio est nobis naturaliter insita, ut patet in primis principiis simpliciter; sed cognitio existendi Deum est nobis naturaliter insita; igitur Deum esse est nobis per se notum. Minor est D. Damasceni lib.1. fid. orthod. c.1. dicentis; *Haudquaquam nos deseruit Deus omnimoda sui circumfusos ignorantia: quinimmò cunctis cognitio quod Deus sit, ab ipso naturaliter insita est, atque ingenita.* Idem insinuat Tertullianus ad Scapulam cap.2. dicens; *Nos unum Deum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cujus fulgura, & tonitrua contremiscitis, ad cujus beneficia gaudetis.* 12. q. 10. de verit. art. 12. arg. 1.

Confirmatur omnia summum bonum desiderant, sed summum bonum solus Deus est: ergo omnia Deum desiderant; sed nõ potest desiderari quod non cognoscitur, cum bonum apprehensum sit objectum appetitus, ut dicitur *in 3. de anima text.* 29. ergo Deus debet naturaliter ab omnibus cognosci, seu communis conceptio naturaliter omnibus insita esse debet, quod Deus sit. 13. Ibidem arg. 5. 1. 2. q. 5. art. 7.

Resp. quod cognitio existendi Deum dicitur omnibus naturaliter inserta, non quidem secundum 14.

q. 10. de verit. art. 12. solut. ad 1. & in 1. d. 3. q. 1. a. 2. ad 1. 3. cont. gent. c. 38. dum quod est in sua natura, sed secundum quandam confusam ipsius similitudinem, quia videlicet omnibus naturaliter insertum est aliquid, quasi semen cognitionis ipsius, unde facilè ex sensibilibus visis potest pervenire ad cognoscendum Deum; sicut in nobis quædam scientiarum semina præexistunt, virtute quorum potest homo facile exire in actum scientiæ. Videntes enim homines res omnes naturales secundùm certum ordinem peragi, & currere, cum ordinatio absque ordinatore non sit, percipiunt ut in pluribus aliquem esse rerum ordinatorem, quæ sub aspectum nostrum cadunt; Quis autem vel qualis, vel si unus est tantum ordinator naturæ, nondum statim ex hac communi consideratione habetur. Vnde hæc cognitio non sufficit, ut dicatur esse nobis per se notum simpliciter, & notitia certa atque infallibili evidentia Deum esse. Hanc solutionem indicat Procopius Gazæus *ad c. 32. Isaiæ.*

15. Ibid. & 1. p. q. 2. a. 1. ad 1. Resp. ad Confirm. eadem modo; quod omnia appetunt summum bonum, seu Deum ipsum, non quidem prout consideratur in sua natura, sed ut consideratur in sui similitudine, & sub quadam communi ratione; Vnde & sub hac duntaxat ratione naturaliter Deus cognoscibilis est. Hoc autem non est simpliciter evidentia certa, & infallibili Deum cognoscere, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, esto sit Petrus veniens.

16. 1. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. arg. 4. Arguitur 2. Illud est per se notum quod non potest cogitari non esse; sed non potest Deus cogitari non esse: ergo Deum esse est per se notum. Minorem probat D. Anselmus *in prosol. cap. 25.* Deus est id quo majus cogitari non potest; sed illud

illud quod non potest cogitari nõ esse est majus eo quod potest cogitari non esse: ergo Deus non potest cogitari non esse, cum sit illud, quo nihil majus cogitari potest. Secundò probatur eadem minor: nulla res potest cogitari sine sua quidditate, sicut homo sine eo quod est animal rationale mortale; sed Dei quidditas est suum esse: ergo Deus non potest cogitari non esse. Confirm. 1. Veritatem esse est per se notum: Deus est veritas, Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: ergo Deum esse est per se notum. Confirm. 2. Deum esse colendum est per se notum: ergo multò magis est per se notum Deum esse, cum Deum esse colendum præsupponat Deum esse, & includat, *ibid*,

Resp. ad argum. neg. min. ad prob. dici potest primò non omnibus notum esse, etiam concedentibus Deum existere, quod ipse sit id quo majus cogitari non possit; cum multi antiquorum mundum istum, vel corpus aliquod Deum esse dixerint, quibus aliquid majus cogitare possumus. Nec Anselmus videtur accepisse hoc, ut per se notum, sed tantum ut fide susceptum, quemadmodum colligere licet ex c.2. præced. ubi ait: *Ergo Domine, qui das fidei intellectum, da mihi, ut quantum scis expedire intelligam; quia es, sicut credimus, & hoc es, quod credimus. Et quidem credimus te esse aliquid quo nihil majus cogitari possit.* 17. 1 cont. gent. c. 11.

Dicitur 2. quod dato per hoc nomen, *Deus*, ab omnibus aliquid intelligatur, quo majus cogitari non possit, non tamen necessum erit aliquid in rerum naturâ tale existere, quo majus cogitari non possit. Cujus ratio est, quia eodem modo necesse est poni rem, & nominis formalem 18.

lem rationem; ſed ex hoc quod intelligatur quid ſignificet hoc nomen, *Deus*, non ſequitur Deum eſſe niſi intellectu: ergo nec ſequitur eſſe aliquid in rerum natura quo majus cogitari non poſſit, ſed in intellectu tantùm; ſicut ex hoc quod concipiatur, quid hoc nomen vacuum ſignificet, non ſequitur vacuum eſſe niſi intellectu. *ibid.*

19. Inſtabis majus eſt quod eſt in re, & in intellectu, eo quod eſt in intellectu tantùm; ſed Deo nihil eſt majus, ut ipſum nomen indicat: ergo ex ipſa nominis ratione conſtat Deum eſſe, etiam in rerum natura, & non ſolùm in intellectu. Reſp. S. D. minorem propoſitionem non eſſe veram, niſi ſuppoſito quod in rerum natura ſit id quo majus cogitari non poſſit. Non enim inconveniens eſt quolibet dato, vel in re, vel in intellectu aliquid majus cogitari poſſe, niſi ei qui concedit eſſe aliquid quo majus cogitari non poſſit in rerum natura, quod non eſt datum à ponentibus Deum non eſſe. Cum enim prædicatum eſt cauſa, vel ratio ſubjecti, nō ponitur in rerum natura eſſe actu ſubjectum, niſi in rerum natura ſupponatur eſſe id quod per prædicatum ſignificatur; vel è contra non ponitur hujuſmodi rationem eſſe actu, niſi actu ſit ſubjectum in quo exiſtit, v. g. cum dicitur, vacuum eſt locus non repletus corpore, non ponitur vacuum eſſe in rerum natura, niſi ponatur eſſe in rerum natura aliquem locum non repletum corpore; quia poneretur effectus ſine eo quod eſt ut cauſa, & ratio eſſendi; Hoc autem quod eſt eſſe aliquid quo majus cogitari non poſſit eſt ut ratio formalis ponendi Deum exiſtere: ut ergo argui poſſit Deum in rerum natura exiſtere,

1. p. q. 2. a. 1. arg. 2. & 1. cont. gent. c. 10.

existere, necesse est in rerum natura admittere aliquid quo majus cogitari nequeat; vel subjectum cui in re actu hæc ratio competat. Aliam explicationem egregiè subtilem vide apud D. Cajet. *in comm. art.* 1. *q.* 2.

Resp. ad 1. Confirm. quod si cognosceretur Dei natura in se nullatenus cogitari posset non esse; quia esse est de ratione quidditativa ejus; sic autem à nobis non cognoscitur, sed tantummodo quid nomen significet ex effectibus sensibilibus attingimus. Vnde ratione distinguimus essentiam Dei ab esse ipsius. Inter quæcunque autem distinguit ratio, potest unum sine altero cogitari, sicut possumus cognoscere Deum esse absque eo quod cogitemus esse bonum, vel justum; multi enim opinantur Deum justum non esse. 20. q. 10. de verit. a. 12. c. & in arg. sed contra q. 10.

Resp. ad 2. Confirm. quod veritatem in communi esse est per se notum, sed qualis sit, an prima, & increata, hoc non est per se notum quoad nos propter cognitionis nostræ defectum, qui eam nonnisi ex effectibus sensibilibus cognoscere possumus. Vnde solum sequitur quod Deum esse sit secundum se notissimum, cum sit in quo primum intelligibile lumen veritatis reperitur; & id quo omnia cognoscuntur, non quidem ita ut alia non cognoscantur, nisi eo cognito, sicut in principiis per se notis accidit; sed quia per ejus influentiam omnis causatur in nobis cognitio, juxta modum tamen nostræ naturæ proprium, videlicet dependenter à sensibilibus, in quibus relucet imperfecta ac deficiens dumtaxat divinæ essentiæ, & esse similitudo. 21. Ibid. & cont. gent. c. 11.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Deum esse sit demonstrabile.

CAPVT PRIMVM.

Deciditur quæstio.

1. PRÆTER quosdam antiquos, qui, ut diximus, asseruerunt nullatenus per rationis investigationem demonstrari, aut cognosci posse quod Deus sit, sed hanc veritatem solâ fidei viâ suscipi, quos Calvinus sequutus videtur *lib. 1. instit. cap. 2. sect. 2.* ubi rationes, quibus usi sunt Scholastici ad demonstrandum Deum esse, frigidas speculationes vocat, variè de hac re loquuti inveniuntur Scholastici; Quidam enim affirmarunt à Beatis per visionem intuitivam, & à viatoribus per cognitionem evidentem abstractivam supernaturaliter pro statu viæ possibilem à priori demonstrari posse Deum esse.

2. Sed eorum non mihi probatur sententia; quia ut diximus, Deum esse, beatis est per se notum simpliciter; sed quod est per se notum demonstrari nequit: ergo à beatis per visionem intuitivam à priori demonstrari nequit Deum esse. Multò minùs autem à viatoribus; quia medium demonstrandi an est de ipsa re est quodquid est nominis; sed nequit ullatenus nisi ex effectibus sensibilibus sciri quid nominis

q. 10. de verit. a. 12. 1. cõt. gent. c. 10. & seq.

nis

nis ipsius Dei, res enim nominamus sicut & cognoscimus, quia pro hoc statu omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus: ergo à viatoribus per cognitionem evidentem abstractivam à priori demonstrari nequit Deum esse. Deinde quia esse Dei ab ejus essentia ratione non distinguitur, nisi quatenus ex sensibilibus ad Deum cognoscendum ascendimus: ergo nequit per eam à priori demonstrari, sed à posteriori ex sensibilibus nobis notioribus.

Alij non modo supernaturaliter, immò & naturæ viribus aiunt à priori demonstrari posse quod Deus sit. Supposito enim quod effectibus creatis possimus demonstrativè ostendere dari ens necessarium per essentiam, seu primam causam efficientem, ab intrinseco per id demonstrare valemus, quod unicum sit in tali ratione & modo essendi, ac subinde Deum esse: sed hoc stare non potest; quia demonstrari nequit à priori aliquid nisi per causam dicentem propter quid subjecto aliquid conveniat; sed esse non habet causam propter quam Deo competat, cum sit ipsamet ejus essentia: ergo naturaliter à priori de Deo demonstrari nequit, quod ipse sit. Deinde quia sicut ex effectibus sensibilibus cognoscere possumus ens necessarium esse unum, ita & Deum esse, & non aliter, quia demonstratio tota virtute continetur in medio: ergo à posteriori. 3.

Dicendum est itaque cum S. D. quod à posteriori duntaxat, & per effectus nobis notos potest demonstrari Deum esse secundum quod pro statu nobis non est per se notùm quod Deus sit. Hæc conclusio ita certa est ut à plurimis de fide esse censeatur. Probat S. D. hanc conclusio- 4. 1.p.q.2.a.2. opusc. 70.q.1.

nem in *sed contra* ex illo Pauli ad Rom. 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Quem locum explicans D. Anselmus ait: *Si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe creatoris sunt mira opera visibilis creaturæ, quæ dum facta cernimus, potentiam creatoris miramur. Nam quocunque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis dominum invenit.*

5. Non me latet quosdam Recentiores Theologos, licet hanc ipsi conclusionem ut certissimam, & communiter à Theologis receptam admittant, negare tamen quod ex citato Apostoli testimonio evincatur, demonstrativam atque evidentem Dei cognitionem ex effectibus suscipi creatis: ly enim, *intellecta conspiciuntur*, quamcunque cognitionem, etiam probabilem aut moraliter certam denotare arbitrantur: hæc namque sufficit, ut homines dicantur inexcusabiles, quod sic Deum cognoscentes, non sicut Deum glorificaverunt.

6. D.Th. lect. 6. in cap. 1. ad Rom. Sed profectò audiendi non sunt, cum & menti Apostoli, atque communi Patrum Doctorumque interpretationi adversentur. Eo namque in loco mundi sapientes, ac Philosophos coarguebat (ut author est D. Chrysostomus homil. 3. dicens: *Ad hos* (scil. Philosophos) *maximè omnium quæ dicta sunt pertinent*) quos Dei, ac eorum attributorum, quæ de ipso demonstrativè sciri possunt, utpote sapientiam, virtutem, ac potentiam infinitam &c. cognitionem demonstrativam, atque evidentem habuisse constat; & ostendunt illa Apostoli verba, *Quod notum est Dei, manifestum est illis.* Vnde S. Augustinus

gustinus *serm. 55. de verbis Domini*, ita de ipsis ait: *Deum esse quandam vitam æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiam hujus sæculi Philosophi viderunt, veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem, ubi sunt omnes rationes rerum omnium creaturarum. Viderunt quidem sed de longinquo viderunt, & in errore positi; & idcirco ad eam tam magnam, & ineffabilem, & beatificam possessionem, quâ via perveniretur non invenerunt. Nam quod viderunt etiam ipsi (quantum videri ab homine potest) creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum; Paulus Apostolus testis est, cui utique debēt credere Christiani.* Et paulò infra: *Quia quod notum est Dei, inquit, manifestum in illis; Deus enim illis manifestavit. Manifestavit illis, quibus legem non dedit? Audi quomodo manifestavit; invisibilia enim ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Interroga mundi ornatum, cæli fulgorem, dispositionemque syderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium; interroga terram fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam: interroga mare qualibus, & quantis natatilibus plenum; interroga aërem quantis volatilibus viget; interroga omnia, & vide si non sensu suo tanquam tibi respondent: Deus nos fecit. Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt &c.* Ex quibus sic: certum est quod ex effectibus cōditis demonstrari evidenter potest Deum esse; sed S. D. ait, quod *viderunt* Philosophi, *quantùm ab homine videri potest, creatorem per creaturam*, & quod hujus rei *Paulus Apostolus testis est*; ergo demonstrativè cognoverunt

Deum esse , & ita de ipsis eo in loco ad *Rom.* 1. testatur Apostolus. Idem habet *serm.* 143. *de tempore.* Et *lib. de Spiritu & litt. c.* 12.

7. Eodem planè modo de certa, & scientifica cognitione hoc Pauli testimonium interpretatur D. Ambrosius dicens ; *Notitia Dei manifesta est ex mundi fabrica. Vt enim Deus , qui naturâ invisibilis est , etiam visibilibus posset sciri , opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret, ut per certum incertum posset sciri ; ac per hoc quod cæteris impossibile est , ille esse Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit ; Deus enim illis manifestavit. Manifestavit se Deus illis , dum opus fecit , per quod posset agnosci.* Notanda illa verba ; *notitia Dei manifesta est ex mundi fabrica.* Et *posset sciri* quæ certam & evidentem cognitionem Apostolum intendisse ex Ambrosio ostendunt. Insuper Haimo in Glossa : *Ostendit* , inquit , *quid de Deo sciri potuerunt. Pluraliter dicit , quia pluribus modis cognoscitur, scil. quod æternus , omnipotens , & hujusmodi. Intellecta ipsa invisibilia per facta , quia per cœlum & terram , & alias creaturas , quas immensas & perpetuas esse intellexerunt , ipsum conditorem , incomparabilem , immensum , æternum , mente conspexerunt.* Nota illa verba ; *ostendit quid de Deo sciri potuerit* ; & , *mente conspexerunt.* Ita sentiunt omnes fere alij interpretes.

8. Non opus arbitror necessarium huc omnia Patrum testimonia congerere, quibus conclusio hæc D. Thomæ ostendatur : nonnulla sufficient. D. Iustinus martyr in resp. ad q. 6. Gentium ait: *Vnde sciri potest, sitne Deus omnino? Ex eorum,* inquit , *quæ sunt concretione , constitutione, ac stabilitate.* Quid autem est scire omnino , nisi demonstrativè

monstrativè nosse? Tertullianus item *lib. 1. cont. Marcionem* ait: *Creator ex hoc Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipsius.* Quid est *indubitatus Deus*, nisi evidenter & demonstrativè cognitus? D. Greg. Nazianzenus *orat. 2. de Theol.* in hæc verba prorumpit; *Nimis absurdus, & præposterus est, qui argumentis naturalibus non cedit, & inficiatur esse Deum.* Vbi per argumenta naturalia quid nisi rationes demonstrativas ratione naturali collectas intelligit? Videndi sunt. S. Cyprianus *tract. de vanit. Idol.* Eusebius *lib. 7. de præparat. Evang. cap. 2.* Basilius magnus *in 1. cap. Isaiæ.* Athanasius *orat. cont. Idola.* Chrysost. *in cap. 1. ad Rom.* Gregorius Nyssenus *disp. de anima*, & *hom. 1. in cantica.* Item *orat. Cathechetica cap. 1.* atque *lib. de beatitud. orat. 6.* D. Hieronymus *lib. 11. in Isaiam.* Damascenus *lib. 1. fid. orthod. cap. 1.* Gregorius in illud Iob. 36. *Omnes homines vident eum*, & alij communiter.

Prob. ratione: quotiescunque effectus sunt suâ causâ notiores, & ab ea intrinsecè dependentes, potest causa per effectus à posteriori demonstrari; sed effectus creati sunt quoad nos Deo notiores, cum sint sensibiles & proportionati cognitioni intellectus exeuntis de potentia in actum; & intrinsecè in sui esse dependent à Deo ceu primo principio, & causa totius esse: ergo potest ex effectibus creatis demonstrativè cognosci Deum esse. Major patet, nam hoc est munus demonstrationis à posteriori demonstrare causam per effectus notiores, & proprios; esse autem cujuslibet effectus Dei proprius est, ut infra ostendetur. 9. Hic. & 1. cont. gent. c. 12.

Prob. 2. si non esset aliqua substantia scibilis 10.

Ibidem. præter ſubſtantiam ſenſibilem non eſſet aliqua ſcientia de ſubſtantia agens præter naturalem, quia omnis ſcientia eſt propter aliquod ſcibile, ut patet per Philoſophum in 4. *metaphyſ. text. com.*7. ſed conſtat præter ſcientiam naturalem dari aliam, quæ de ſubſtantia agit, nimirum Metaphyſicam: ergo datur aliqua ſubſtantia ſcibilis ſupra ſubſtantiam ſenſibilem; ſed de omni ſubjecto oportet ſupponere quod ſit, & hoc ideo, vel quia patet ad ſurſum ipſum eſſe, ut corpus mobile, vel ex terminis eſt per ſe notum, vel quia eſt demonſtratum ipſum eſſe: ergo cum neque pateat ad ſenſum Deum eſſe, neque quoad nos ſit per ſe notum Deum eſſe, ut diximus ſupra, oportet quod ſit demonſtratum, vel demonſtrabile. Et hoc ſatis oſtendit conatus ipſe philoſophorum omnium, qui intendunt ad demonſtrandum Deum eſſe, quod niſi eſſet poſſibile, omnes ſapientes deluderentur.

11. Quod ſi quæras an à ſolis hominibus, an etiam ab Angelis ſit demonſtrabile, ſeu certò & evidenter à poſteriori cognoſcibile Deum eſſe? Reſp. affirmativè; quia etiam Angeli per eſſentias ſuas, ceu effectus Dei, Deum ipſum cognoſcunt. Vnde cum S. D. videtur hanc cognitionem ex effectibus, & à poſteriori, Angelis, vel Adamo in ſtatu innocentiæ denegare; ſolùm excludit ab Angelis cognitionem aliunde emendicatam, ceu medio per quod cognoſcat Deum eſſe, quia videlicet per eſſentiam ſuam, tanquam per medium per quod, habet ſufficienter unde cognoſcat perfectè, immò perfectiùs quam ex aliis effectibus conditis Deum eſſe certò, & evidenter. Ita ſumitur ex D. Thom. *infra quaeſt.* 56. *art.* 3. o. Ab Adamo autem

autem excludit necessitatem cognoscendi Deum ex effectibus sensibilibus, quam modò habemus; quia tunc ex effectibus intelligibilibus Deum certiùs, evidentiùs, ac perfectiùs cognovisset, quam nos post lapsum ejus, ut docet idem S.D. *infra quæst.94. art. 1. c.*

CAPVT II.

Solvuntur argumenta contraria.

Arg. 1. Deum esse est articulus fidei; sed ea quæ sunt fidei non sunt demonstrabilia: ergo Deum esse non est demonstrabile. Minor patet, quia demonstratio facit scire; fides autem est de non apparentibus, ut constat ex Apostolo ad *Heb. cap.* 11. fidem definiente, substantiam sperandarum rerum, argumentum non apparentium. 12.

Resp. S. D. hîc quod *Deum esse*, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem de Deo demonstrativè cognosci possunt, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos; sic enim fides præsupponit cognitionem naturalẽ, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet illud, quod secundùm se demonstrabile est & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. Vnde salubriter providit Deus ut hæc etiam per fidei cognitionem susciperentur, ut dicetur *infra* 2.2. *quæst.*2. *art.*4. Nota quod per ly *alia hujusmodi*, non intelligit omnia, quæ naturali rationis lumine de Deo sciri ac demonstrari possunt, sed ea duntaxat quæ sunt veluti prima, 13.

prima, & universalissima principia, sicut esse unum, omnipotentem, scientem, providentem, quia in his ceu universalissimis principiis continentur quodammodo omnia credibilia, seu articuli fidei, ut habetur 2.2.q.1.a.7.c.

14. Quomodo autem Deum esse sit articulus fidei, & quomodo demonstrabile quidpiam, manifestat sup. epist. ad Heb. cap.11. lect.2. dicens; *Dicendum est quod de Deo potest multipliciter haberi notitia; Uno modo per Christum inquantum scil. est pater unigeniti, & consubstantialis, & alia quæ specialiter Christus de Deo patre, & filio; & Spiritu Sancto docuit, quantum ad unitatem essentiæ, & æternitatem personarum. Et hoc tantum est creditum, nec in veteri testamento fuit explicitè creditum, nisi à majoribus tantùm. Secundo modo, quòd solus Deus est colendus, & sic etiam erat creditum à Iudæis. Tertio modo quod est unus Deus, & hoc notum est etiam ipsis Philosophis, & non cadit sub fide.*

15. Arg. 2. medium demonstrationis est quod quid est; sed de Deo non possumus scire quid est, sed solum quid non est, ut dicit Damasc. *lib.2. fid. orthod.c.4.* ergo non possumus demonstrare Deum esse.

16. Hic & 1. cont. gent. c. 12. Resp. S.D. quod in rationibus in quibus demonstratur Deum esse non oportet assumi pro medio divinam essentiam, seu quidditatem (hoc enim tantummodo necessum est in demonstrationibus à priori, & propter quid) sed loco quidditatis accipitur pro medio quid nominis, seu quid significet hoc nomen Deus; ratio enim quæ assumitur ad ostendendum de aliquo *an est*, est definitio quid nominis, non autem quid rei; nam quæstio *quid rei* sequitur quoad nos

nos quæstionem *an est*. Quid autem significet hoc nomen Deus(quantùm ad id nimirum à quo imponitur) haurimus ex effectibus nobis notioribus; & subinde hujusmodi effectus sumuntur pro medio, ut accidit in demonstrationibus quia.

Arg. 3. per effectus non proportionatos nequit causa sufficienter demonstrari; sed effectus Dei non sunt ei proportionati, quia in infinitum ab eo distant;finiti autem ad infinitam non est proportio: ergo per effectus divinos nequit demonstrari Deum esse; ac subinde nullo modo.Conf. Demonstrationis principia à sensu cognitionis originem sumunt,ut habetur 1.*poster. text*. 33. ergo quæ excedunt sensum,omnino indemonstrabilia sunt;hujusmodi autem est Deum esse: ergo Deum esse est omnino indemonstrabile. 17. 1.cont. gent. c. 12.

Resp. S. D. quod per effectus causæ non proportionatos (& quæ non sunt unius rationis) non potest perfecta cognitio (& quoad quid est) de causa haberi; sed tamen ex quocunque effectu potest manifestè demonstrari causam esse, si tamen effectus sint nobis notiores; quia cum effectus à causa dependeat, posito effectu causam præexistere necesse est; & sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non possimus eum perfectè & secundùm essentiam, seu quidditativè cognoscere. 18.

Ad conf. resp. ex S. D. quod licet omnis nostra cognitio quantùm ad originem suam ac principium intelligendi pro hoc statu ortum habeat à sensibus, non tamen opus est ut quantum ad terminum ejus stet in sensibus, cum intellectus sit potentia spiritualis non affixa organo 19. Loc.cit. & opusc. 70.

gano

gano corporeo; sed ad spiritualia cognoscenda devenire potest per viam remotioris eminentiæ, atque causalitatis, ut dictum est. Effectus autem ex quibus Deum esse demonstrat, sensibiles sunt, & sic origo cognitionis, ac demonstrationis principium est à sensu, vel ab eis quæ sensui subjacent, per quæ deinde ad cognitionem Dei pervenitur, non stando in sensibilibus, sed removendo ab eis quidquid sensibile est, aut attingendo habitudinem eorum ad Deum tanquam principium quod est super omnia sensibilia superexistens.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Deus sit.

CAPVT PRIMVM.

Quibusdam suppositis refertur Atheistarum error, Atheismique Origo.

1. D Th. q. 7. de pot. art. 2. ad 1.


OTA ly *esse* dupliciter sumi: primò ut significat essentiam, seu essendi actum: secundò prout veritatem propositionis denotat. Cum inquirimus an Deus sit, vel an Deum esse sit per se notum, ly *esse* sumitur quatenus veritatem propositionis significat, non autem essentiam, vel actum essendi. Eapropter sensus difficultatis est, an verum sit, quod significatum per hoc nomen *Deus*, sit aliquid in rerum natura existens.

Supponendum est ex eodem S. D. dupliciter 2.
de Deo in via cognitionem posse comparari. Al- 3. cont.
tera est communis, & indistincta, quâ homo gent. c.
naturali luminis ratione per demonstrationem, 38.& 39.
seu ratiocinationem admodum facilem in aliqualem Dei notitiam, non tamen propriam devenit, v. g. res naturales certò cursu volvi, & ordine peragi animadvertens, cum ordinatio absque aliquo ordinante, ac disponente esse nequeat, quemdam earum rerum, quas videt, ordinatorem esse arguit. Quo pacto D. Ephræm. Syrus in opere confess. & reprehens. ait; *Domum vidi, & œconomum adesse cognovi; mundum intuitus sum, & providentiam intellexi.* Itaque sic Deus cognoscitur sub communi quadam ratione provisoris, vel ordinatoris, nec tamen cognoscens discernit, quis aut qualis, quantusve sit Deus, æternusne & incorporeus, omninoque simplex, an compositus, aut corporatus, vicissitudinique obnoxius; unusve, an plures &c. Altera est magis distincta, & per quam ad propriam Dei cognitionem acceditur (esto de eo quid sit non percipiatur) cum videlicet per demonstrationem ab eo multa removentur, quorum, ablatione seu remotione ab aliis quibuscunque discretus intelligitur; v.g. cum demonstrando pervenitur ad cognoscendum Deum esse unum, providentem omnibus rebus; incorporeum, omnia intelligentem &c. Non est præsentis instituti ostendere sic Deum esse; hoc enim in sequentibus plenè demonstrandum relinquit D. Thom. sed solùm intendit S. D. ex quibusdam communibus rationibus eorum, quæ nonnisi Deo competere possunt, ostendere quod verum sit ipsum esse. Quemadmodum videntes hominem

hominem movere, & rectâ incedere, aliaque opera facere, quæ sunt viventium, percipimus in eo quandam harum operationum causam, quam animam dicimus, nondum tamen scientes quid sit anima, vel qualiter prædictas operationes efficiat. Quod insinuavit Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum dicens; *Vt anima in humano corpore non videtur, invisibilis existens; verum ex corporis motu cognoscitur; sic nec Deus humanis, nec corporeis oculis videri potest, cæterum ex providentia, quâ singula ordinat, suisque operibus aspicitur, & apprehenditur. Quemadmodum si quis cernat navem suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certè credit aliquem à quo gubernetur, in ea esse gubernatorem; sic certè nemo adeo abjecti animi, quin credat Deum esse gubernatorem omnium, quamvis carnalibus eum oculis non assequamur.*

3. Quod profectò sit Deus (ait Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 3.) iis qui sacras admittunt scripturas; vetus, inquam, & novum organum, haudquaquam in controversiam venit; nulla enim hujus pagina, quæ Dei non meminerit. Verumenimverò quia hominum pravitas etiamnum intantum invalet, ut quosdam in irrationabilissimum, & omnium malorum pessimum perditionis barathrum detrudat, dicentes non esse Deum, quorum insipientiam detegens sacriloquus David ait: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*; opus est, & adversus eos rationibus agere, & summum totius Religionis mysterium in controversiam adducere.

4. Paucos reipsa, meo judicio qualicunque, invenire est, qui eo dementiæ, & stoliditatis devenerint,

devenerint, ut directè negarint Deum eſſe; quamvis, eorum ſit numerus valde multus, qui ſecundùm quandam vel præſcientiæ, vel providentiæ, aut omnipotentiæ, alteriuſve attributi rationem, ipſi divinitatem ademerunt. Inter eos igitur qui nullum omninò Deum exſtare ſunt imaginati, primus numeratur Diagoras Mileſius, idcirco *Atheos* dictus, hoc eſt ſine Deo, quia, ut inquit Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus *lib. 6. de curat. græc. affect.* Deum eſſe penitus, & omninò negavit. Theodorus etiam Cyrenaïcus inſanienti Mileſio quaſi ſquamma ſquammæ adhærens omnes de Diis opiniones ſuſtulit. Quibus ſubſcripſere Anguiæ, & ipſi Aphricæ populi, qui (referente Mela, & aliis) nullos admiſerunt Deos præter defunctorum manes, à quibus reſponſa quærebant, eorum ſepulchris incubantes. Eiſdem annumeratur Prothagoras, qui (Tullio authore *lib. 1. de nat. Deorum*) Deos eſſe non ſibi ratum habuit, ſed dubius manſit, ſtatuere non valens an ſint, nec ne: ſunt enim ipſius judicio plurima, quæ id prohibeant, ut ſumma rei incertitudo, & brevis hominum vita.

Epicurei (ut Ciceroni placet *ibidem*) nihil 5.
de Deo ſeriò affirmarunt. Inſuper Evenerus Theagetes, & Euripides Atheiſtæ fuere, licet diſſimulati, ut refert Plutarchus *lib. de placitis cap. 7.* Sceptici etiam dubitabant de Deo an eſſet, juxta ea quæ tradit Sextus Philoſophus *lib. 3. Pyrrhonicarum hypotheſeon cap. 3.* Eidem luto infixus fuiſſe videtur Plinius *lib. 2. cap. 7.* Lucianus, Lucretius, Doletus & alij hujus farinæ non pauci, ut teſtis eſt Prateolus *verb. Athei.* His annumerari poſſunt illi omnes, qui fortunæ,

fortunæ, & casui omnia tribuunt, resque humanas Deum curare negant. Nam ut dixit D. Ephræm Syrus in confess. & repreh. *Qui dicit omnia casu, fortuitóque fieri, is divinitatem è medio tollit.* Horum porcorum ingentem, ac fœtulentam turbam agnoscit, alit, quinimò luget hoc depravatum sæculum.

6. Hujusmodi *Atheos* apud Athenienses capite animadversos testatur Iosephus *lib.2.cont. Appionem*; & in genere meminit Pollux *lib.* 10. *cap.*20. Athenæus *lib.*13. Plato 13. *de repub.* Valerius maximus *lib.*1. & alij. Memorantur proscriptione puniti Diagoras, Theodorus, ac Prothagoras, & hic quidem, vel quia de Diis dubitabat, ut diximus. Socrates etiam damnatus fertur, quod eum negare videretur.

7. Cum Deus Opt. Max. operibus suis notissimus sit, itaut pene idem sit ad ea attendere, & Deum nominare. *Quis enim mundum contuens,* (inquit D. Hilarius in psal.52.) *Deum esse non sentiat*? non modicè animum pulsat dubitatio, quâ datâ viâ in hominum mentem tam pestifera hæc atheismi lues irrumpere valeat. Lata profectò via, quæ ad tam spurcum perditionis barathrum ducit, corporis voluptas est; vitiorumque oblectatio hoc imprimis persuadet. Quod pulchrè observavit *ibidem* Hilarius dicens: *sed fit frequenter, ut cum nos veri necessitas ad confessionem Dei cogat; oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non esse persuadeat. Et quod contra fidem credimus, id tamen de consilio impij cordis eloquamur: Causam verò hujus stultissimi in corde eloquij ostendit* (scil.David) *dicens; Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Iniquum est, quidquid extra legem est.* Et

Et legem Dei excedentes, primùm corruptioni subditi sunt, dehinc abominationi; quia iniquitas abominationem affert, corruptio autem abominationem meretur. Cum enim quis transgreditur Dei legem, tunc Deum negat, & Deum negare corruptio est. Dominus enim noster ad debellandam corruptionem, verbum caro factum est: sed qui iniquus est, & qui verbum Deum carnem factum esse non credit, & quia Deus non sit, loquitur in corde: corruptus, & abominabilis permanebit.

Esto voluptas omnis corporea hominem à 8.
ratione deordinet, potissimum verò desideria cordis, appetitus inquam sensitivi circa venerea, & gula, & immunditia, quæ hominem efficiunt bestialem, hoc est, ratione carentem, secundum quam ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, & cognitionis ejus capax; ac subinde veri Dei cognitionem in homine aptæ sunt extinguere & Atheistam reddere. Hoc innuisse videtur Ioannes Apostolus *epist.1.cap.2.* ubi scientes Deum, ea quæ sunt in mundo immoderatè concupiscere ac diligere vetat, ne ipsa amore nimio prosequentes in omnimodam Dei ignorationem miserè prolabantur. Elegans ad hanc rem est historia quam refert Lact. lib.3. cap.15. dicens; *Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili Scorto fuit consuetudo. Quod flagitium gravis ille Philosophiæ Doctor sic defendebat, ut diceret, multum inter se, & cæteros Laidis amatores interesse; quod ipse haberet Laidem, alij verò à Laide haberentur: Nec satis fuit ita vivere sed docere etiam libidines cœpit, ac mores suos de lupanari ad Scholam transtulit, dis-*

ferens voluptatem corporis esse summum bonum. Quae doctrina pudenda non in corde philosophi, sed & in sinu meretricis est nata. Sed & ingens naturae depravatio in tantam stultitiam homines deducere solet, ut Deo rebusque divinis omnino valedicant, & in reprobum traditi sensum dicant in corde suo, *non est Deus.* Cujus rei validum testimonium nobis reddit Sanctus Augustinus tract. 106. in Ioann. dicens: *Haec est vis vera divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti, non omninò ac penitùs possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur authorem.* Ea propter Divus Damascenus supra citat. *lib.* 1. *fid. orthod. capite* 3. causam assignans cur probandum suscipiat, in depravatos sui temporis mores argumenti hujus rationem revocat. Et Divus Hilarius loco citato ait: *Vitij humani pudenda est eloquia verbis oris non audere committere, sed instinctu nequitiae interioris urgente, ea intra cor loqui; dum adversum publici pudoris necessitatem voluptatis iniquitate luctante, quod pudet dici, non pudet cogitare. Et idcirco stultus in corde suo dicit, non est Deus; quia si vellet verbis oris hoc eloqui, stultus esse, sicuti est, publici assensus judicio argueretur.*

CAPVT

CAPUT II.

Statuitur conclusio, & probatur prima ratione D. Thomæ.

Conclusio: necessarium est ponere Deum esse. Probat S. D. *in sed contra*; Dicitur, inquit, Exodi 3. ex persona Dei: *Ego sum, qui sum.* Deinde in *corp.* quinque rationibus hoc ipsum demonstrat. Prima & manifestior via sumitur ex parte motus. Secunda ex parte causæ efficientis. Tertia ex possibilis, & necessarij rationibus. Quarta ex graduum diversitate, qui in rebus inveniuntur. Quinta denique ex gubernatione rerum. 9.

Antequam primam rationem deducamus; advertendum est quod tripliciter aliquid moveri aut transmutari dicitur: Primò per accidens; quo pacto omne id movetur, quod nunquam simpliciter, & per se moveri, aut agi potest, sed semper accidit mobili per se, & gratiâ ejus movetur, quod per se transmutatur; sicut quod musicum ambulet: Musica enim nunquam ambulare potest, sed semper accidit homini, cujus per se est ambulare. Secundò dicitur aliquid gratiâ partis moveri, quod nimirum per se non movetur, sed in toto, licet per se moveri possit, si pars à toto separetur. Et hoc propriè contingit in parte, à cujus dispositione totum denominatur, vel coafficitur; sicut v.g. cum dicitur Socrates sanari; quia ejus oculi, vel caput sanantur, quæ tamen sunt totius par- 10. Lib. 5. Physic. lect. 1.

tes. Etenim si quæ in parte dispositio totum non coafficiat, jam non est verum dicere quod motâ parte illa totum moveatur; sicut si aliquis dente albescat, non simpliciter verum erit dicere, quod secundùm totum corpus albescat. Tertiò convenit motus alicui non secundum accidens, aut alicujus gratiâ partis, sed per se primò & secundùm seipsum movetur, seu essentialiter mobile est.

11. Sicut autem istas tres differentias in mobili reperire est, ita & in motore seu movente. Aliud enim est quod secundùm accidens movet; aliud quod secundùm partem in eo quod est aliqua pars movet; aliud denique movet per seipsum primum, hoc est essentialiter; ut Medicus sanat per se; cum autem manus percutit, homo gratiâ illius partis percutit; & cum Medicus ædificat est per accidens purè; omnino enim ædificatori accidit, quod musicus sit, nec Musica unquam ædificare potest *ibid.* Cum dicitur hîc necesse esse, quod omne illud quod movetur, ab aliquo motore moveatur, de motu secundum quod est passio mobilis per se eidem attributa, secundùm quod ipsum, & non secundùm alterum conveniens, est sermo. Quod autem toti convenit secundùm ipsum, nequit secundùm partem convenire; quia est alia ratio partis, alia ratio totius. Et ideo motus qui est alicujus totius per se primò, non convenit ei gratia partis. Quod non intelligentes Galenus & alij plurimi Philosophi, hoc Aristotelicum ac philosophicum axioma universaliter non recipiunt, *ibidem.*

12. His suppositis, prima ratio D. Thom. ex Arist. 7. *phys.* desumpta, in hunc modum deducitur;

ducitur; Hoc nomine, *Deus*, communiter intelligitur, quod sit primum movens essentialiter & secundùm seipsum, à nullo motum, vel mobile; sed ponere necesse est, hujusmodi movens in rerum natura esse; igitur necesse est ponere Deum esse. Maj. patet, nam Deus ideo sic dictus est, quòd omnia moveat, & ad operationes suas agat; ut constat ex Theophilo Antiocheno lib. 1. ad Autolycum dicente; *Deus nomen à Thein, id est currendo, sortitus est, omnia enim movet, in operationem producit, nutrit suâ providentiâ, disponit, gubernat, vegetat.* 1. cont. gent. c. 13 rat. 1.

Minor verò prob. omne per se mobile, & cui secundùm ipsum convenit moveri, ab alio moveri debet; sed in moventibus & motis per se non est procedere in infinitum: ergo cum aliqua moveri, & per se mobilia esse ad sensum pateat, deveniendum est ad aliquod movens quod sit primum, & secundùm seipsum movens, à nullo motum. Maj. inductione prob. Omne quod movetur, aut movetur ab aliquo extrinseco sibi, seu à se distincto, sicut moventur corpora violenter: aut habent principium & efficientem causam motus sui in seipsis. Et illa quidem violenter mota, ab aliquo alio extrinseco agente motum eorum, moveri manifestissimum est; v. g. lapidem à manu projicientis sursum agi ad sensum patet. Quod autem per se mobilia, quæ in seipsis sui motus causam habent, ab aliis moventibus per se moveri necesse sit, probatur primò: illa non sunt simpliciter primò, & secundùm quod ipsa, moventia: ergo sunt secundùm ipsa, & simpliciter mobilia seu mota. Prob. antecedens: quia quod sim- 13.

pliciter, & secundum ipsum primò movet, oportet ut totum moveat secundum ipsum; & non gratiâ partis; si enim pars tantùm moveat, & non totum, pars erit primò movens, & non per aliud quidpiam; totum autem non erit primò, & secundùm quod ipsum movens, sed ratione alterius, videlicet partis. Similiter si pars moveatur per se, illa erit primò mota, totum autem dicetur non primò moveri sed per partem: sed illa ut supponimus, non movent se secundum seipsa, & simpliciter, aliàs nullatenus ab alio moverentur, sed simpliciter essent moventia non mota: ergo non sunt simpliciter primò & secundum quod ipsa moventia, sed ratione partis: ergo ab alio mota secundum quod ipsa, *ibid.*

14. Secundò prob. impossibile est quod idem secundùm idem formale principium motus sit movens & motum; sed si aliquid seipsum primò & per se moveret, idem esset movens & motum secundum idem formale principium motus: ergo omne quod movetur ab alio moveri oportet, itaut distinctum sit principium formale movendi activè ab eo quod dicitur passivè moveri. Prob. maj. principium formale unde habet aliquid habet quod moveat, est quia est in actu; principium autem unde habet aliquid quod moveatur, est quia est in potentia; sed impossibile est quod idem secundum idem formale principium sit simul in potentia & in actu simpliciter; v. g. quod est calidum in actu non potest esse simul calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia: ergo impossibile est quod idem secundùm idem formale principium motus sit movens & motum. Major patet:

patet: quia movere est quoddam agere, nihil autem agit nisi inquantùm est actu: motus etiam est actus entis in potentia secundùm quod in potentia: ergo principium formale unde habet aliquid, quod moveat, est quia est in actu, & movetur quia est in potentia ad aliquid ad quod movetur adipiscendum, *ibid.*

Scotus *in 1. dist. 3. quæst. 7.* quem sequuntur 15.
Recentiores non pauci, ait: quod licet nihil possit esse simul in actu formali, & in potentia formali respectu ejusdem, puta actu calidum, & potentia calidum; potest tamen aliquid esse in actu virtuali, & in potentia formali simul; unde asserit quod possit aliquid seipsum primò movere, dum est in actu virtuali; quia videlicet habet virtutem ut possit movere; & est in potentia formali, quia nimirum non habet formaliter formam, quam per motum acquirit, sed potest habere.

Contra: dicitur aliquid secundùm naturam 16.
suam esse in actu virtuali alicujus formæ, quia virtutem producendi illam formam habet; sed quod habet virtutem producendi aliquam formam in seipso, non potest carere actu illius formæ: ergo nequit aliquid esse simul in actu virtuali, & in potentia formali ad illam formam, cum illam actu præsupponatur habere. Prob. minor primò, quia omnis virtus radicatur in aliqua forma seu formali actu ejus, cum actu operari sequatur ad esse actu. Secundò, quia omne agens intendit sibi simile producere; sed non alia ratione nisi secundum quod communicat id quod actu est: ergo si aliquid habet virtuté producendi aliquam formam in seipso, non potest carere actu illius formæ, seu forma illa in actu.

17. Nec valet dicere, quod esto in agentibus univocis hoc verum sit, non tamen in æquivocis: unde hæc possunt se movere primò, & in se agere, propter eminentiam virtutis suæ, ratione cujus sunt in actu virtuali ad effectum producendum. Non, inquam, valet; quia agens æquivocum esto non habeat actu formaliter in seipso terminum ad quem mobile movet, ipsum tamen actualiter eminenter in se præhabet; ut patet in sole, qui licet actu formaliter in se non habeat calorem cum limitato illo essendi modo, quo in inferioribus habet esse; tamen actu eminenter illum præhabet, id est in aliqua forma actuali, quæ eminenter est calor; & hoc sufficit ut causet calorem in alio, sed non in seipso, seu ut moveat se ad calorem prout in inferioribus reperitur, neque ad illum quem jam in se habet: ergo non est simul in actu virtuali & in potentia formali secundum idem. Confirm. Agens æquivocum dicitur, cui non convenit habere in se formam formaliter, sed eminenter duntaxat sui effectus; sed si aliquid existens in actu virtuali esset simul secundùm idem in potentia formali, haberet in se aliquando formaliter illam formam, cujus esset causa; cum scil. esset reductum de potentia ad actum: ergo tale non esset agens æquivocum.

18. Primam minorem, videlicet quod in moventibus & motis per se non sit in infinitum procedere, probat S. D. quia si in moventibus & motis in infinitũ procederetur, nullum esset movens simpliciter; ac subindè neque aliquod aliud movens: sed necessum est admittere aliquod movens: ergo in moventibus, & motis non est in infinitum procedere. Sequela prob. moventia

secunda

secunda non movent, nisi per hoc quod sunt mota à primo movente; sicut baculus non movet nisi per hoc quod est motus à manu: ergo si non esset primum movens, nullum aliud movens esset. Hanc rationem insinuat D. Damascenus *lib. 1. fid. orthod. cap.* 4. dicens: *Omne quod movetur, ab alio moveatur necesse est; & hoc si movetur, aliquis movet, & id sine termino, donec in quippiam decumbamus immobile; hoc enim primum movens immobile est, quod revera Deus est.* Nec longè ab hac ratione abest ea quam idem D. Damascenus adducit *ibid. c.* 3.

Notat S. D. 1. *cont. gent. cap.* 13. quod hæc 19.
Aristotelis ratio de motu propriè accepto equidem procedit: prout nimirum motus est actus in potentia secundùm quod in potentia, qualis corporibus duntaxat, ac divisibilibus competit. Attamen etiam currit de motu communiter dicto, & pro qualibet operatione sumpto, quo pacto intelligere & velle quidam motus dicuntur. Nihil enim quoad hoc differt, quod necesse sit in quovis istorum motuum genere ad aliquod primum movens immobile devenire.

CAPUT III.

Secunda ratio D. Thomæ adducitur, & elucidatur.

SEcunda ratio, quâ utitur S. D. ad probandum Deum esse, ejusmodi est: necesse est aliquam primam causam efficientem in rerum natura constituere; sed talis est Deus, Deum enim primam causam efficientem communiter omnes nominant: 20. Hic, & 1. cont. gent. c. 13.

mentum ejus; & medium est causa ultimi, quod est ut instrumentum utriusque (loquendo tam de virtute, quam causalitate actuali, & efficacia) id est, primum est causa quod secundum actu causet, & secundum est causa quod tertium, vel ultimum actu causet: ergo si tollatur causa efficiens, quæ est simpliciter prima, removebitur à causa media actu agere, seu producere effectum; & remota causæ mediæ causalitate removebitur effectus ultimus in actu, qui ut actu causetur à tali causa media dependet. Declaratur exemplo, baculus efficit motum lapidis mediante manu, ista mediante vi motiva, quæ agit mediante anima; si ponatur, animam, quæ in tali ordine est ut causa prima, non agere, omnis efficientia motus, seu effectus ultimus tolletur, qui est lapidis motio: quia anima non agente actu, manus quiescet; manu quiescente, baculus immotus manebit, & subinde lapidis motio non erit.

Aureolus *in* 1. *dist*.3. *quæst*.1. hanc & præcedentem rationem, ut parum efficacem rejicit; 22. primò, quia esto concedatur esse aliquod primum movens, vel aliquam primam causam efficientem, nec tamen necesse est id dicere Deum, sed corpus cœleste, quod est primum simpliciter in ordine moventium, & efficientium. Secundò, dicit, rationem hanc non convincere; nam licet ponamus causam mediam à priori dependere, non tamen sequitur illam esse primam simpliciter, seu dependere mediam ab illa ut prima: quia non intelligitur media à priori dependere ut causa est; quia etiam prima causa haberet sic dependere, cum maximè causa sit: neque ut media est, quia sic ei sufficit à causa priori

priori dependere. Et subinde ex eo quod processus in infinitum primam causam auferat, non sequitur quod de medio causam mediam tollat, aut effectum ultimum, ut intendebat ratio D. Thomæ. Vnde in partibus proportionalibus in infinitum continuatur, seu proceditur in infinitum; tamen datur ultima pars, scil. illa quæ fit per primam divisionem.

23. Sed profectò hîc author S. D. intentum non satis percepisse convincitur, nec vim rationis ejusmodi. Nec enim isto articulo intendit D. Thom. demonstrare Deum esse, quoad naturam ejus, vel ea quæ ipsi propria sunt secundùm essentiam, aut quibus eum carere necesse est; sed tantum demonstrare intendit, Deum esse, secundum quandam communem rationem, ostendendo ipsum in ratione primi motoris, vel causæ primæ efficientis, nec tamen demonstrando hîc quid sit, seu potius quid non sit, quia alterius negotij est. Vnde probando dari primum in ordine moventium, vel efficientium, optimè concludit intentum, nimirum id esse ponendum in rerum natura, quod homines communiter Deum nominant. Ea propter sic concludit: *Ergo est necessum ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant.* Et hoc profectò optimè præfatæ rationes concludunt. Nam si est dare primum efficiens: ergo vel ipsum est causa omnium; vel est dare aliquid non effectum ab eo? Si primum, habetur propositum. Si secundum; ergo illud non effectum à primo efficiente, est effectum ab alio, vel à nullo, sed habet esse per se? Non potest dici, quod non sit effectum à primo efficiente: quia primum efficiens debet esse per essentiam causa, ac

ac subinde causa omnis illius quod participat aliquo modo ut sit causa efficiens: ergo non potest non esse à primo, & si non est à primo, nec à secundo, quod participat, & habet causare per subordinationem ad primum, quod essentialiter causa efficiens est. Neque etiam potest dici, quod illud non effectum sit à nullo, sed habeat esse per se. Quod prob. ex D.Thom. *2. cont. gent. cap. 15.* sic: si illud effectum non habet esse ab alio, sed per se: ergo erunt saltim duo, quibus conveniet esse primò & per se, scil. primum efficiens, & illud quod à nullo dicitur effectum; sed est impossibile esse duo habentia aliquam essendi rationem, seu aliquod esse, quorum neutrum habeat causam essendi: ergo impossibile est ponere aliquod præter primum efficiens, quod à nullo fit, sed per se, seu ex se. Prob. minor, quod convenit alicui primò & per se, convenit ei secundum quod ipsum & convertibiliter adæquatè; v. g. esse animal rationale, vel risibile homini; sed quod convenit convertibiliter convenit soli, & non aliis, ut patet in exemplo adducto: ergo impossibile est, quod esse per se, & ex nullo, duobus habentibus esse per se conveniat, sed vel utrumque participabit esse ab alia causa, vel unum ab alio.

Quantùm ad id, quod secundò adducit Aureolus, variè à D. Thomæ discipulis, præsertim Cajetano, & Recentioribus, impugnatur, ut videre est apud Illust. Godoy *hîc disp. 3. §. 9. à num. 196.* breviter potest ex D. Thom. in hunc modum rejici. Quod causat ut causa media, nequit per essentiam habere quod sit causans actu: ergo hoc quod est actu causare, debet 24. Loc. cit. & 1. q. 44. a. 1.

habere

habere seu participare ab aliquo alio priori; sed non sufficit illud prius, à quo primò id participat, esse prius quomodocunque, sed simpliciter primum: ergo causa media inquantum talis, id est, ut participans causalitatem, & efficaciam causandi, necessariò dependere debet ab aliqua priori, quæ sit simpliciter prima. Maj. patet: tum quia illa causa media non est per essentiam in actu: ergo non est per essentiam actu causans: quia in tantum actu causat, inquantùm est actu. Tum etiam, quia, ut suprà diximus, nequit dari duplex ens cui primò, & per se competat ratio essendi: ergo neque causandi: quia operari sequitur ad esse.

25. Unde ad illam instantiam de partibus proportionalibus patet, eam satis frivolè & contra sensum præfatæ rationis adductam esse: primò, quia ordo inter partes proportionales, quatenus in infinitum divisibiles, non est ordo essentialis, sicut ejus quod est per participationem ad illud quod est per essentiam.

26. Deinde, quia multitudo moventium in ordine ad aliquod motum est ab aliquo ordine, aliàs per accidens omnino se haberent in movendo, quod est impossibile in primis moventibus, quæ se dirigunt in finem; sed quod plura unum finem per se intendant, non est ex ipsis moventibus, sed ex aliquo alio ordinem præscribente; ut in exercitu patet victoriam ut finem belli intendente: ergo jam illa plura moventia respicient unum per se, seu per essentiam movens, & intendens finem motus ad unum.

1. cont. gent. c. 13.

27. Nec magis obstat id quod P. Suarez *disp.* 31. *metaph.* ad hujus rationis vim infringendam adinvenit, nimirum, quod esto non possit effectus

ctus ille successivè, seu à pluribus causis sibi invicem succedentibus in causando dependere, potest tamen ab infinitis, vel saltim plurimis simul, & sine successione causantibus, sed in uno, & eodem instanti. Non, inquam obstat, quia, vel per essentiam, ac primò & per se competet eis causare, vel participativè & cum subordinatione unius ad alteram, vel omnium ad unam tertiam? Primum, ut vidimus in S. D. dici nequit: quod si secundum dicatur, semper deveniendum est ad unam primam causam simpliciter efficientem, ac per essentiam causantem, quam Deum esse omnes dicunt. Est igitur ratio D. Thom. optima, & inter eas, quæ ad hoc propositum induci possunt, non parvi momenti ac ponderis.

CAPUT IV.

Tertia ratio D. Thomæ proponitur.

Tertia ratio D. Thomæ est: in rerum natura necessarium est ponere aliquod ens necessarium aliunde essendi necessitatem non habens, sed ex se: sed hujusmodi ens Deum omnes nominant; igitur necesse est ponere Deum esse. Prob. maj. non omnia entia sunt possibilia, immo hoc implicat esse: ergo oportet aliquod ens necessarium esse in rerum natura; tunc sic, omne ens necessarium vel habet causam suæ necessitatis aliunde, vel non habet? Si primum, habetur intentum; si secundum, contra: quia in hujusmodi entibus habentibus suæ necessitatis causam non est possibile 28.

bile quod in infinitum procedatur, ſicuti neque in cauſis efficientibus, quia ab eo eſſendi neceſſitatem participare debent, à quo habent eſſe; quia neceſſarium ſequitur ad eſſe, tanquam modus vel paſſio ejus; igitur neceſſe eſt ponere aliquid, quod ſit per ſe neceſſarium, non habens cauſam ſuæ neceſſitatis aliunde, ſed ex ſe, & quod ſit cauſa neceſſitatis aliis rebus neceſſariis.

29. Antecedens verò, nimirum quod ſint aliqua poſſibilia eſſe & non eſſe, probatur: quædam generantur & corrumpuntur: ſed per hoc quod generantur, accipiunt eſſe, & per hoc quod corrumpuntur; deſinunt eſſe: igitur quædam ſunt poſſibilia eſſe & non eſſe; ſed ſi omnia eſſent poſſibilia eſſe & non eſſe, & nullum ens eſſet neceſſarium in rebus, nihil unquam actu eſſet, vel eſſe potuiſſet, quod eſt falſum: ergo non omnia entia ſunt poſſibilia; Prob. minor, poſſibile eſſe & non eſſe, aliquando non eſt, quia dicit potentiam ut ſit, nihil autem eſt ſimul in potentia & in actu: ſed quod aliquando non eſt, & poſtea incipit eſſe per aliquod aliud fit actu, ſeu incipit eſſe, quod ex ſe eſt actu: ergo ſi omnia eſſent poſſibilia eſſe & non eſſe, & nullum ens eſſet neceſſarium, ſeu neceſſitatem eſſendi habens, nihil unquam eſſe potuiſſet actu: ac ſubinde nullum ens actu eſſet, quod eſt abſurdiſſimum.

30. Idem Aureolus *loc. cit.* hanc rationem ut inefficacem rejicit, primò: quia non eſt opus, nec id convincitur, quod omnia entia neceſſaria habeant cauſam efficientem ſuæ neceſſitatis, ſed ſufficit quod habeant finalem: Secundò, quia falſum eſt, quod omne poſſibile non eſſe,

esse, quandoque non sit; quia elementa sunt possibile non esse, & tamen nunquam esse desinent. Sed contra primum ejus dictum sic arguitur: impossibile est habere aliqua entia suæ necessitatis essendi causam finalem primam à qua dependeant ut sint actu, & non habere hujusmodi necessitatis essendi causam efficientem: igitur necessum est, quod omnia entia habentia necessitatem essendi ab alio, habeant causam hujusmodi necessitatis essendi, non modò finalem, sed etiam efficientem. Antecedens prob. omnia quæ habent causam finalem primam non sunt ipse finis, sed sunt propter finem: nullum enim ens præter primum potest sibimet esse finis: quia nullum ens habet totam plenitudinem essendi præter primum, ac subinde neque bonitatem per se, seu per essentiam suam, ratione cujus possit esse sibimet finis: sed quæ sunt propter finem, ab aliquo efficiente acceperunt ut sint ad illum finem ordinata; igitur impossibile est, quod aliqua entia habeant causam finalem primam suæ necessitatis, & non habeant efficientem.

Secundum autem illius authoris dictum ad propositum non est; solùm enim intendit S. D. quod possibile secundùm se, & prout contra distinguitur ab ente necessario, potest esse & non esse; & hoc verissimum est, quia est contingens esse; si enim esset necessarium esse nunquam non esset, vel esse posset. Res autem, quæ jam actu est; non est possibilis esse, sed necesse esse prout actu est; esto cessante influxu causæ per quam accepit esse, & in eo conservatur, possit non esse, quod etiam in elementis verum est: nam hæc esse desinerent, nisi à Deo servarentur in 31.

esse; Quapropter in ordine ad causam primam à qua esse susceperunt, absolutè sunt possibilia non esse.

CAPUT V.

Duæ ultimæ rationes D. Thomæ proponuntur, & explicantur.

32. QVarta ratio D. Thomæ est; oportet aliquod ens in rerum natura ponere, quod omnibus entibus sit causa essendi, bonitatis, veritatis, nobilitatis, ac cujuslibet perfectionis; sed hoc dicimus Deum: ergo necesse est ponere, in rerum natura Deum esse. Maj. prob. oportet in rerum natura aliquod ens constituere, quod sit verissimum, optimum ac nobilissimum, & subinde maximè ens; sed id quod est maximè tale in aliquo genere seu ordine, est causa omnium quæ sunt illius generis; sicut ignis qui est maximè calidus est causa omnium calidorum: ergo necessum est in rerum natura constituere aliquod ens, quod omnibus entibus sit causa essendi, bonitatis, veritatis, & cujuslibet perfectionis. Major prob. invenitur in rebus aliquid magis & minus bonum, atque nobile, seu verum, & sic de aliis perfectionibus; sed magis & minùs dicuntur de diversis, secundùm quod diversimode appropinquant ad aliquid, quod maximè tale est; sicut in genere calidi id magis calidum est, quod maximè calido appropinquat; & è contra minus calidum est, si magis ab eo recedit; igitur est aliquid in rebus, quod est verissimum, optimum, ac nobilissimum, ac subinde maximè ens.

 33,

Hanc D.Thomæ rationem non magis efficacem quam præcedentes reputat Aureolus. Vnde eam conatur invalidam ostendere dicens, illud axioma, ***maximè tale in aliquo genere est causa omnium aliorum quæ sunt illius generis***, nullius esse roboris, nam maximum in genere colorum est albedo, & albedo non est causa effectiva aliorum colorum: ergo non omne maximum in aliquo genere est causa aliorum. Sed reipsâ quidem constat hunc authorem non magis percepisse hujus rationis vim, quam præcedentium robur. Quod, ut ostendamus, supponendum est ex S.D. quod maximum vel maximè tale dicitur hîc, quod est maximum per se, & non secundùm accidens; itaut illa bonitas, perfectio, vel forma, quâ dicitur tale, sit natura ejus, vel aliquod accidens ex principiis propriæ naturæ derivatum; sicut calor à naturâ, seu principiis essentialibus ignis derivatur. Similiter primum intelligendum venit de eo quod est primum simpliciter, ac primitate naturæ, vel naturalis proprietatis, aut perfectionis; Tandem, ly ***causa***, sumitur tam pro eo quod est causa efficiens formaliter sumpta & secundum formalem rationem agendi; quam pro eo quod est causa formalis & principium cognoscendi, vel mensurandi alia. Vnde reddit hunc sensum; Maximè tale per se, & per propriam naturam, vel naturalem proprietatem est causa eorum quæ secundum magis, vel minùs participant formâ illam per quam maximè tale est per se tale; v. g. ignis est maximè calidus per se, & per proprietatem ex principiis essentialibus ejus ortam; unde omnia quæ sunt participativè calida, secundùm magis & minus participant, inquantum magis & minus

q. 3. de pot. a. 6. ad 8. & q. 2. de verit. art. 4 ad 4.

accedunt ad perfectionẽ caloris, quæ est in igne, quæ est ut per se calor; ac subinde prima forma primitate naturæ & perfectionis, seu bonitatis in genere calidorum participantium illam formam, non per se ceu ut propriam naturam, vel passionem, sed secundum aliquod accidens.

34. His suppositis redarguitur Aureolus ipsomet exemplo coloris adducto; licet albedo non sit mensura & causa aliorum colorum secundum id totum quod reperitur in ipsa; tamen in eo quod superabundat aliis coloribus, & est maximè color, seu habens perfectionem coloris ut naturam formalem, est mensura & causa aliorum: ergo verum est universaliter quod maximè tale per se in aliquo genere, est causa aliorum quæ sunt illius generis. Prob. antec. albedo est maximè color secundùm formale coloris, quod est lux coloris compositionem ingrediens, & non secundum terminationem diaphani, quæ est ut materiale in colore, sed secundum hanc rationem est primus primitate naturæ, & causa omnium aliorum colorum; igitur albedo secundùm rationem formalem coloris, qua est maximè talis, & aliis superabundat, est causa cæterorum in genere coloris. Prob. minor, quia omnes alij colores medij ex albo & nigro generantur, & ita albedo est causa eorum, & prior illis primitate naturæ, & perfectionis; similiter est prior nigredine, quia nigredo est ut privatio & defectus ejus quod est formale in colore; dicitur enim nigrum quod habet minimum de luce: ergo albedo in eo quod est maximè color, est causa omnium, quæ coloris rationem participant.

q. 2. de verit. a. 4. ad 4. lib. 10. metaph. text. 4. & 7.

cipant. Et sic eò perfectior est color, quò magis accedit ad formalem perfectionem & naturam albi; & minùs color, quò magis ab eo recedit. Videnda quæ diximus *tom.5.clyp.philos. quæst.7. art.* 1.

Quinta ratio D. Thom. est; necesse est ponere aliquam naturam intelligentem in rebus, à qua omnes res naturales ad finem ordinentur: sed hanc dicimus Deum; igitur necesse est ponere, Deum esse. Prob. maj. ea quæ non cognoscunt finem, & tamen propter finem operantur, non tendunt in illum nisi ut directa ab aliquo cognoscente & intelligente; sicut sagitta à sagittante in scopum dirigitur; sed videmus, quod res naturales cognitione carentes propter finem operantur: ergo necessum est ponere aliquod intelligens in rerum natura, à quo hujusmodi res naturales in finem dirigantur. Prob. min. quod eodem modo, semper aut frequentiùs operatur propter assequendum aliquod bonum, illud intendit ut finem, & propter ipsum operari dignoscitur; sed res naturales semper aut frequentius propter assequendum aliquod bonum eodem modo cognoscuntur operari; sicut gravia tendere deorsum, & levia sursum ascendere: ergo res naturales propter finem operantur; & non ut se dirigentes: ergo ut directæ ab aliquo intelligente; sed in hujusmodi intelligentibus dirigentibus non est ire in infinitum: ergo deveniendum est ad aliquod primum, quod sit per essentiam intelligens, & dirigens res omnes in finem. 35.

Resp. Aureolus *ubi supra*, quod hujusmodi res ordinantur in finem, non ab alio, sed ex propriis naturis; nec indigent aliquo extrinseco 36.

imprimente illam ordinationem; nec tamen à casu necesse est hujusmodi ordinem esse, immò per se; cum ex rerum quidditatibus ortum habeat.

37. Contra; esto quælibet res ex propriæ formæ natura admittatur ad specialem & proprium finem ordinari, qui est propria perfectio, & bonum ipsius; attamen ad finem universi, qui est ordo ejus, absque gubernante omnes res nequeunt ullatenus coïre, seu convenire: nam inter se, & secundùm proprias formas non conveniunt, sed sunt dissonantes, & pugnant, unaque ad ruinam alterius conspirat: ergo oportet ut contineantur in fine, & perfectione universi ab alio causante melodiam ut discrepantium rerum, & pacem inter illas componente. Et hoc dicimus Deum.

1. cont. gent. c. 13. & lib. 3. c. 64.

38. Hanc rationem omnes fere Patres, qui de hac re agunt insinuant. Et imprimis quidem D. Iustinus martyr quæst. 6. *Vnde liquet*, ait, *quod Deus sit? Resp. ex rerum, quæ extant, constitutione, & perseverante diuturnitate, non enim ea extarent, quæ extant, nisi Deus priùs quam illa extitisset, qui partes creaturæ omnes utiliter, ex usu & commodo universæ creaturæ ordinavit.* Insuper D. Theophilus Antiochenus supracitatus *lib. 1. ad Autolycum:* Hac eadē ratione utitur D. Ioan. Damasc. lib. 1. c. 3. Tandem, ut alios omittā, D. Greg. Nazianz. *orat. 2. de Theol.* seu 34. ita fatur; *Etenim quod Deus, ac princeps quadam causa, quæ res omnes procrearit, atque conservet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docet. Illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, easque & pulchrè affixas, & stabiles esse, & progredi, atque immotè, ut ita dicam moveri volvique perspiciunt.*

spiciunt. Hæc autem, dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas authorem earum conjectura quadam colligit, atque assequitur. Quonam enim modo universa hæc rerum moles, vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum natura protulisset, atque conservaret? Quemadmodum enim quispiam Cytharam pulcherrimè confectam, & elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem & constitutionem, aut etiam ipsius Cytharæ cantum audiens, nihil aliud, quam ipsum Cytharæ conditorem atque Cytharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum; eodem quoque modo nobis, is qui res efficit, effectusque movet, atque conservat manifestus est, etiamsi mente minimè comprehendatur.

CAPVT VI.

Argumenta contraria dissolvuntur.

Arg. 1. Si Deus esset, nullum in rebus malum esset reperire; sed datur malum in rebus: ergo Deus non est. Sequela prob. Si unum contrariorum fuerit infinitum, totaliter destruetur aliud; sed hoc intelligitur in hoc nomine *Deus*, scil. quod sit bonum infinitum: si ergo Deus esset, nullum in rebus malum esset reperire. Hoc argumento motus fuit quidam Philosophus apud Boëtium *lib.* 1. *de consol. prosa* 4. dicens; *Si Deus est, unde malum est?* ut refert D.Th. *lib.* 3. *cont. c.* 71. 39.

Resp. S. D. ex D. Augustino in *Enchirid. cap.* 11. quod Deus, cum sit summè bonus, nullo 40.

modo fineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens & bonus, ut bene etiam de malo faceret. Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ut esse permittat mala, & ex eis bona eliciat. Circa hanc solutionem nota breviter, quod unum contrariorum in tantum aliud totaliter destruere potest, inquantum virtus formæ ipsius habet perfectam victoriam super illud. Hanc autem victoriam habere potest, tum in suo connaturali subjecto, sicut calor in igne; vel in subjecto stante sub opposito, in quod agit, & diffundit virtutem suam, ut ipsum sibi assimilet, ut calor in aqua. Certum est, quod cum Deus sit summè bonus, nihil mali in se habeat, sed penitus ab eo est elongatum: sed tamen in effectibus ejus mala & defectus inveniuntur; quod infinitæ illius bonitati repugnare videtur. Respondet* igitur S. D. quod esto verum sit, quod Deus infinitam bonitatis virtutem habeat, qua perfectè omnem defectum, & malitiam in suis operibus vincere, & destruere potest; nihilominus tamen ea permittit, inquantum conducunt ad manifestandam bonitatem ejus, & pulchritudinem rerum quas condidit; quæ prout à Deo sunt, penitus sunt mali expertes; deficere enim duntaxat ex se habent, quippequæ ex nihilo.

Infra q. 22. art. 2. ad 2.

41. Nec enim necessarium est, ut, si unum oppositorum est infinitum, aliud semper totaliter, & omnimode destruat; sed quod destruat illud secundum eam rationem, secundum quam illi subest, & in ipsum agit. Et hoc pacto in operibus Dei, prout ab eo sunt, mala & defectus non sunt. Cum enim sit agens voluntarium & ex proposito voluntatis suæ omnia ad esse deducens,

quæst. 1. de malo art. 1. 2. & 3.

ducens, non verò per necessitatem naturæ operans; omnia ad esse deducit, & eo modo, quo vult, & ad bonitatem ipsius manifestandam expedit; immò & secundum quod rebus ipsis, earumque naturis convenit. Et quia ipsis, ex ea parte, quâ ex nihilo prodeunt, deficere competit, deficere permittit, inquantum sunt in potentia ad bonitatem, quam totaliter participare nequeunt.

Arg. 2. quod potest per pauciora principia compleri, non fit per plura; natura enim non abundat in superfluis, nec in necessariis deficit cum ordinatè operetur; sed videtur, omnia quæ in mundo apparent, & conspiciuntur, per alia posse principia compleri, supposito quod Deus non sit; Nulla ergo necessitas est, ponere Deum esse. Prob. minor: nam quæcunque sunt in mundo, vel sunt naturalia, vel sunt voluntaria seu à proposito: sed naturales omnes effectus in principium unum, quod est natura, possunt reduci; quæ verò sunt à proposito, reducuntur in principium quod est ratio humana vel voluntas: ergo omnia quæ in mundo apparent, & conspiciuntur, videntur per alia principia compleri posse, supposito quod Deus non sit. 42.

Resp. ex S. D. hic, negando maj. ad prob. dist. min. naturales effectus possunt reduci in naturam, & voluntarij in intellectum & voluntatem, tanquam in causam & principium proximum, concedo; tanquam in principium primum simpliciter, nego. Cum enim natura propter determinatum finem operetur ex directione alicujus superioris agentis præscribentis finem; necesse est ea quæ à natura sunt, etiam in Deum sicut in primam causam simpliciter reducere. 43.

ducere. Similiter etiam quæ ex proposito fiunt, reducere in altiorem aliquam causam oportet, quam sit ratio humana vel voluntas, quia hæc mutabilia sunt, ac defectibilia. Oportet autem omnia mobilia, & deficere possibilia reduci in aliquod primum principium immobile, & per se necessarium, ut ostensum est. Quod eleganter docuit D. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 1.

44. Alia argumenta, quæ ex providentiæ, aut alterius attributi ratione procedunt, suis in locis discutientur. Instantiæ verò quæ contra primam rationem D. Thom. adduci solent, videndæ sunt *tom. 3. Clypei nostri Philosop. quæst. 19. art. 1. & seq.* & *etiam quæst. seq. 3. art. 1.* Quæ autem militant contra secundam rationem ex dicendis *quæst. 7.* constabunt.

CAPVT VII.

Per quid Dei natura seu essentia metaphysicè constituatur.

45. HAnc quæstionem prætermittens S.D. quæstioni, *an Deus sit*, eam quæ de ejus simplicitate agit, subjunxit, *quia de Deo*, inquit, *scire non possumus quid sit, sed quid non sit.* Quod & commune Sanctorum Patrum effatum est, ut satis est omnibus notum, qui eorum opera adierunt, D. Isidorus Pelusiota *lib. 3. epist. 232.* ita de hac quæstione fatur: *Vltra omnem audaciam progrediuntur, qui exigua lingua operâ de ipsomet Deo quæstionem movent: ac præsertim cum quid*

quid sit anxiè inquirunt. Oportet autem non quid sit inquirere, sed quod sit affirmare. Nam ut ait D. Damascenus lib. 1. fidei orthod. cap. 1. & 3. *Quid sit Deus secundùm naturam & substantiam incomprehensibile est omnino, & ignotum.* Abstinerem & ego libenter ab hac quæstione, quæ multùm dissidij, & parum utilitatis affert, nisi mos Theologis nostri temporis in hoc mihi gerendus esset; abstinebo tamen, quantum potero, ab eorum dicendi prolixitate.

§. I.

Sensus tituli explicatur, & breviter quadam observationes præmittuntur.

NOn est præsentis intentionis supersubstan- 46.
tialem Dei essentiam, prout in seipsa super- Super Dionys.
substantialiter existit, manifestare: Tum quia, c.5.lec.1.
sic sumptâ essentiâ, certum est, quidquid est in de pot.
Deo, divinam naturam & substantiam esse: q.2.a.1.
Tum quia impossibile hoc & ignotum est, sermoneque explicari nequit, aut conceptione apprehendi. Quidquid enim intellectus noster de Deo apprehendit, minus est quam Dei essentia; & quidquid lingua balbutiendo resonat, aut de ipso effatur, minus est quam esse divinum. Sed solùm intendimus essentialem ejus, & quasi specificam rationem, prout ex processibus ejus in creaturas nobis innotescit, aliquatenus declarare. *Quemadmodum*, inquit D. Gregorius Nazianzenus orat. 36. *nemo est, qui aërem totum hauserit: ita Dei naturam neque mens ulla prorsus concepit aut vox ulla complexa est. Verùm ex his quæ circa ipsum sunt adumbrantes, obscuram quandam & imbecillem, atque aliam ex alia speciem*

ciem colligimus. Ac præstantissimus apud nos Theologus censetur, non qui totum quid sit Deus invenerit; sed qui ampliorem ipsius speciem mente conceperit: ampliusque veritatis simulachrum, vel adumbrationem, vel quocunque tandem alio vocabulo uti quis malit, in seipso collegerit.

47. q.2. de pot.art. 1. & 5. Supponendum est quod, quemadmodum in rebus creatis reperiuntur tria, quæ ad earum substantiam & esse pertinent; nimirum ipsa forma speciei; v.g. humanitas: suppositum hujusmodi formam habens ut homo; & ipsum esse, quod est actus suppositi ut quod, & formæ speciei ut quo; ita & in Deo hæc tria distinguenda veniunt, videlicet ipsa veluti forma speciei, quæ est Deitas; suppositum formam istam habens, nempe Deus; & ipsum esse divinum, quod est ut actus formæ & suppositi, vel formæ in supposito, ut infra explicabitur. Quod insinuavit D. Anselmus in monolog. c.6. inquiens: *Quemadmodum se se habent adinvicem lux, & lucere, & lucens: sic sunt adinvicem essentia, esse, & ens, hoc est existens sive subsistens: ergo summa essentia, & summè esse, & summè ens, id est, summè existens, sive summè subsistens non dissimiliter sibi conveniunt, quam lux, & lucere, & lucens.*

48. 1. sent. dist.6. q. 1. art.3. Supponendum est secundò actum esse duplicem; primum videlicet, qui est forma, & secundum qui est esse, vel operatio. Essentia divina sub ratione essentiæ non dicitur principium actus, qui est operatio, sed qui est esse. Mediantibus tamen attributis, quæ sunt realiter eadem cum ipsa; licet virtualiter & secundùm rationes suas distinguantur, est etiam principium operationum divinarum; v. g. essentia divina est

est principium intelligendi inquantum est intellectus; & res volitæ, quæ possunt esse vel non esse, producuntur ab essentia inquantùm ipsa est voluntas. Verba D. Thomæ sunt; *Dicendum quod essentia divina est principium omnium actuum divinorum, licet essentia sub ratione essentiæ non dicat principium actus qui est operatio, sed qui est esse.*

Igitur difficultatis nodus hic mihi esse videtur, quænam earum perfectionum, quæ formaliter & propriè Deo, & non eminenter tantùm competunt, quæve ipsi ex processibus ipsius in creaturas attribui consueverunt, propius accedat ad explicandam Deitatem, quæ est veluti forma specifica, quâ Deus est Deus, & ratio seu quidditas & natura ejus; an ipsum esse à se? an ipsum intelligere? an intellectualitas, aut aliqua alia hujusmodi perfectio, seu forma? 49.

§. II.

Refertur primus dicendi modus & rejicitur.

QVidam Theologi (inter quos Mag. Cornejo *tom. 1. quæst.* 14. *art.* 4. *disp.* 1. *dub.* 3. & 4.) inter essentiam Dei sub ratione essentiæ, & sub ratione naturæ distinguentes asserunt, ipsam in ratione essentiæ per rationem entis spiritualis à se formaliter ac metaphysicè constitui; in ratione autem naturæ per actualem intellectionem. 50.

Sed profectò hic dicendi modus rejiciendus venit, primò in eo quod impræsentiarum inter naturam & essentiam distinguit, diversam rationem formalem constitutivam cuilibet assignans. Hæc enim nomina (prout ad præsens spectat) 51.

ſpectat) *natura, eſſentia, & ſubſtantia*, idem prorſus ſignificant. Et ita communiter SS. Patres ipſa uſurpant. Cujus rei locupletiſſimus teſtis eſt Helias Cretenſis in orat. 11. D. Gregorij Naz. dicens; *Inter formam, & naturam, & eſſentiam, apud Dei Eccleſiam nullum diſcrimen eſt, etiamſi apud exteros ſit.* Et hanc eſſe mentem & communem modum loquendi SS. Patrum teſtatur idem in comm. ad orat. 3. ubi ait: *Indiſcriminatim quoque viri ſancti formam, & naturam, & eſſentiam de eadem re uſurpare conſueverunt.* Idem docet Nicetas *in comm. ad orat.* 40. ejuſdem S. Doctoris. Inſuper D. Anſelmus in monol. cap. 4. inquit: *Idem namque hic naturam intellige quod eſſentiam.* Hoc ipſum aſſerit D. Thomas plurimis in locis, præſertim in 1. diſt. 8. quæſt. 2. in expoſit. textus dicens; *Sciendum quod hæc tria* (ſcil. natura, ſubſtantia, eſſentia) *pro eodem ſumuntur. Non enim ſumitur hic natura prout nominat principium alicujus actus, ſed prout dicit formam conſequentem totum, ſicut humanitas eſt forma hominis.* Idem habet *opuſc.* 24. loquens de errore Ioachim abbatis. Concilium etiam Lateranenſe ſub Innocentio III. damnans errorem præfati abbatis Ioachim, ita definit: *Nos autem ſacro, & univerſali Concilio approbante credimus & confitemur cum Petro, quod una quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater & filius & Spiritus Sanctus: tres ſimul perſonæ, ac ſingulariter qualibet earundem. Et ideo in Deo eſt Trinitas ſolummodo, non quaternitas; quia qualibet illarum trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina;* ſed nominibus utendum eſt prout communiter Sapientes

Sapientes utuntur: ergo absque fundamento, & contra sensum Conciliorum & Patrum hæc sententia inter essentiam & naturam distinguit.

Ad tollendam omnem in hac parte æquivocationem sciendum est, quod natura quadrupliciter sumitur; primò dicitur natura, prout ad omnia rei entia se habet; quo pacto natura diffinitur omne id quod intellectu in rebus concipi potest; & ens rei dici solet ens naturæ. Secundò usurpatur prout substantiis duntaxat competit, & sic natura dicitur id quod agere, vel pati potest. Tertiò dicitur natura id quod est principium motus & quietis in eis in quibus est, per se & non secundùm accidens. Quartò dicitur natura unumquodque informans specifica differentia, sicut rationale dicitur natura hominis. Et de natura hoc pacto sumpta impræsentiarum est sermo, quo pacto eam ab essentia significatione distingui negamus, esto distingui valeat prout significat principium actus, qui est operatio; sed hoc non habet nisi mediante ratione alicujus attributi, ut ex S. D. diximus. Multas ad hoc probandum rationes adducit Illustrissimus Godoy hic tract. 1. disp. 4, §. 2. quæ apud ipsum videri possunt. *Nec enim de vocabulis* (tanta concertatione, & prolixitate) *diffidendum, quandiu syllabæ ad eandem sententiam ferunt*, inquit D. Gregorius Theologus *orat.* 39. 52. In 2. dist. 37. q. 1. art. 1. c.

53. Sed dices, D. Thomas 1. p. q. 39. art. 2. ita tertiò objicit; *Natura divina est idem quod essentia: sufficeret ergo dicere, quod tres personæ sunt unius naturæ*, & non est opus adjicere, quod sint unius essentiæ. Et respondet S. D. *Ad tertium dicendum, quod quia natura designat principium*

cipium actus, essentia, verò ab essendo dicitur; possunt dici aliqua unius naturæ, quæ conveniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia, quæ conveniunt in aliquo actu. Sed unius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est unum esse. Et ideo magis exprimitur unitas divina per hoc quod dicitur quod tres personæ sunt unius essentiæ, quam si diceretur quod sunt unius naturæ. Ex quibus sic arguitur pro contraria sententia; Essentia dicitur ab essendo, & ab operatione præscindit; natura autem non præscindit ab operatione: ergo diversus est conceptus essentiæ à conceptu naturæ cum fundamento in re, seu ratione ratiocinata, ratione cujus aliqua possunt dici unius naturæ, licet non sint unius essentiæ.

54. Resp. omissis aliorum solutionibus, quod ibi est sermo de natura, non prout significat specificam rei differentiam, & formam, sed ut dicit principium actus, à quo præcipuè denominatur ratio naturæ. Dicitur enim natura à nascendo, nasci autem actum, & emanationem quandam dicit: quapropter quæcunque conveniunt in aliquo actu alicujus formæ, etiam accidentalis, unius naturæ hoc pacto dici possunt, ut patet in exemplo adducto de calefacientibus. Vnde ad designandam substantialem convenientiam personarum divinarum in una forma, & non solum in aliquo actu formæ, opus fuit dicere, quod tres personæ sunt unius essentiæ, quia multiplicatis personis non multiplicatur essentia, quæ se habet quantùm ad modum significandi ut forma trium personarum, quemadmodum habetur in corpore articuli. Ad cætera quæ objici solent, facilis patet ex his solutio.

Quibus

Quibus prænotatis impugnatur hic primus dicendi modus, primò; quia de divinis loquimur secundum modum nostrum, quem intellectus noster capit ex rebus inferioribus, ex quibus scientiam sumit; sed in rebus inferioribus cuicumque tribuitur actus secundus qui est esse, necessariò tribui debet essentia sive natura, quæ est illius actus principium: ergo cum intelligere sit quoddam esse, & actus secundus, necessum est in Deo aliquid præaccipi, & præintelligi quod sit illius intelligere principium; sed hoc dicimus essentiam rei quod est principium essendi, seu cujus actus est esse: igitur non ipsum intelligere per modum actus secundi, & esse potest dici constitutivum naturæ divinæ per modum formæ speciei, sed illud quod est ipsius intelligere principium. Prima minor prob. In divinis quia ponitur generatio, quæ per modum rationis significatur, oportet ibi potentiam generandi, seu potentiam generativam concedere, quæ ut principium illius actionis significatur: sed operatio est quidam actus secundus sic se habens ad potentiam sicut esse ad essentiam: ergo si semel ponatur intelligere per modum actus secundi, necessum est ut aliquid præintelligatur quod sit ejus principium. 55.

Conf. Essentia divina secundum intellectum est prius quam esse suum: ergo esse non est formalis essentia & natura Dei, sed aliquid consecutum ad essentiam, tanquam ad causam virtualem ejus: omne enim ens per principia suæ essentiæ habet esse; sed intelligere est esse Dei: ergo non est formale constitutivum naturæ divinæ per modum formæ speciei. 56.

1. sent. dist.19.q. 2 a.1. ad 1.& dist. 42.q.1. a.1 q.7. de pot. art.2.1. p.q.14.

Conf.2. verbum activum non significat actum 57.

1. dist. 32. q. 2. a. 1. ad 3. absolutè, sed ut ab agente egredientem, & idcirco Spiritus Sanctus nullatenus significatur verbo *diligere*, sed nomine absoluto dilectionis vel amoris: ergo cum essentia divina sit ut quidam actus, & forma absoluta, non potest significari verbo aliquo importante actum ut egredientem ab alio; sed intelligere per modum actus secundi, significat actum intelligendi ut egredientem ab intellectu, seu intelligente in actu, sicut velle à volente: ergo non potest ex modo significandi convenienter exprimere formale constitutivum naturæ divinæ per modum formæ speciei. Sumitur ex D. Thom. quæst. 1. de pot. art. 1. cap. dicente: *Est autem de ratione operationis habere principium, non de ratione essentiæ. Unde licet essentia divina non habeat aliquod principium, neque re, neque ratione; tamen operatio divina habet aliquod principium secundùm rationem.* Intelligere itaque cum sit operatio quædam, namque actus secundus est, necessariò debet habere secundum rationem aliquod principium, quod repugnat essentiæ.

58. Secundò impugnatur: si intelligere per modum actus secundi ponendum esset naturæ divinæ formale constitutivum, & non ipsa intellectualitas, seu esse intellectivum per modum actus primi, eò præsertim esset, quia intellectualitas, seu esse intellectivum per modum actus primi, & radicis se habet ut quid imperfectum respectu ipsius intelligere per modum actus secundi, nihil autem imperfectum est Deo attribuendum; sed hæc ratio, quæ est præcipuum hujus sententiæ fundamentum, est nulla: ergo nulla est ratio cogens nos ad asserendum, quod

quod intelligere per modum actus secundi, debeat formale divinæ naturæ constitutivum poni. Prob. min. 1. quia formaliter in Deo constituitur ratio potentiæ, quæ significatur per modum actus primi, & principij ipsius operationis, quæ est actus secundus: ergo ratio actus primi in Deo reperitur. Et ita docet D.Thomas in 1.dist.42.quæst.1. art.1. ad 1. ubi ait; *Propter hoc omnis forma actus dicitur, etiam forma separata, & illud quod est principium perfectionis totius, quod est Deus, vocatur actus primus, & purus, cui maximè illa potentia convenit.* Et ibid. in c. *Et ex hoc*, inquit, *concluditur perfecta ratio potentiæ in Deo, tum quia omnia agit, quod convenit sibi inquantum est actus primus, & perfectus.* Et quæst.7. de pot. art.1.ad 3. idem docet.

Secundò prob. eadem minor; quia etiam actus secundus, ut distinctus à primo, & non conjunctus ei per essentiam, non absolvitur omnino ab imperfectione: ergo propter hanc rationem, si aliquid probaret, intelligere per modum actus secundi non esset formale constitutivum naturæ divinæ. Prob. antecedens; quia actus secundus, vel est esse, vel operatio? si est esse, de ratione ejus est non esse subsistens, & completum, sed inexistens, quia omne esse alicujus est; si verò est operatio, de ratione ejus est relatio existens à principio, seu habere principium, & egredi ab ipso; sed hæc quandam notant imperfectionem ex modo significandi; ut patet: ergo ratio actus secundi ex modo significandi non absolvitur omnino ab imperfectione. 59. 1.p q.13.

Conf. esto intellectus noster Deum, ut quid perfectissimum exprimere nitatur, tamen quia 60.

in effectibus creatis nihil invenit summè perfectum, idcirco nomina in Deo multiplicat, ad exprimendas diversas illius perfectiones, ac subinde ex modo significandi una ad aliam addere significatur, & quodammodo perficere; Quo pacto diversa attributa sunt diversæ perfectiones ejusdem essentiæ, quodammodo secundum modum significandi ipsi addentes: ergo non implicat considerare in Deo ipsum intelligere per modum actus secundi, se habentis quodammodo in ratione perficientis intellectualitatem. Hæc doctrina sumitur ex D. Thom. quæst.23. de verit. art.1. ad 10. ubi ait: *Dicendum quod Deus non potest aliquo perfici secundùm rem: tamen per modum significandi aliquando aliquo perfici significatur; sicut cum dico, quòd Deus intelligit aliquid. Sicut enim volitum est perfectio voluntatis, ita intelligibile perfectio intellectus. In Deo autem idem est intelligibile primum & intellectus; & volitum primum & voluntas.* Ex quo habet quod secundùm rem non perficiatur. Sed de his plura infra *in solut. arg.*

§. III.

Rejicitur secundus, tertius, quartus & quintus dicendi modus.

61. Alij pro constitutivo formali naturæ divinæ, non modo ipsum intelligere actuale, seu actualem intellectionem, sed etiam actualem volitionem assignant. Contra 1. nam, ut ex dictis patet, & docet D. Thom. *quæst.*1. *de pot. art.*1. *c.* de ratione essentiæ est non habere principium, cum sit id quod primò competit rei; sed tam velle quam intelligere actuale, seu tam actualis

actualis volitio quam intellectio sunt quædam operationes, & actus secundi, de quorum ratione est habere principium, cum saltim ex modo significandi dicant fluxum agentis in alterum: ergo nequit actualis intellectio, & volitio pro formali constitutivo naturæ divinæ assignari.

Conf. quia velle non dicit ordinem ad volentem nisi mediante voluntate, neque intelligere ad intelligentem nisi mediante intellectu, quia velle ab aliqua voluntate est, & intelligere ab aliquo intellectu; voluntate enim volumus, & intellectu intelligere dicimur; sed neque intellectus, neque voluntas pro constitutivo formali divinæ naturæ assignantur, sed attributa ejus constituuntur, ut quædam proprietates de Deo à Theologis probantur: ergo multominus intelligere, & velle actuale, seu actualis intellectio, & volitio, quæ consequuntur ad hujusmodi potentias, ceu proprij earum actus, & operationes, possunt pro formali divinæ naturæ constitutivo poni. Sumitur hæc ratio ex D. Thom. 1. *dist.6. quæst.1. art. 3.c.* ubi ait: *Essentia divina est principium omnium actuum divinorum, licet essentia sub ratione essentiæ non dicat principium actus, qui est operatio, sed qui est esse: sed cum in essentia sit considerare diversa attributa, quæ sunt realiter unum in ipsa, ratione tamen distinguuntur, actus refertur ad essentiam secundùm hoc attributum, vel secundùm hoc quod exigit conditio actus, sicut intelligere est ab essentia divina, inquantum ipsa est intellectus &c.* 62.

Contra 2. si volitio actualis intret formale constitutivum naturæ divinæ, oportet quod 63.

verbum divinum naturaliter à patre procedens, ſicut genitum à generante, dicatur etiam voluntate, ſeu volitione ſicut principio naturali formaliter generari; quia, ut inquit Damaſc. lib. 1. fid. orthod. cap.8. Generatio eſt opus divinæ naturæ exiſtens; ſed hoc non eſt admittendum, quia ut inquit Hilarius *lib. de ſynod.* Omnibus creaturis ſubſtantiam Dei voluntas attulit, ſed filio natura dedit; igitur non eſt dicendum quod voluntas, ſeu actualis volitio ſit formale divinæ naturæ conſtitutivum. D.Th. ibid. art. 2. & 3. Conf. quia voluntatem, ſeu volitionem neceſſariò præcedit aliqua cognitio, ſaltim in univerſali, ut explicat S. D. ibid. in expoſ. text. ſed cognitionem præcedit natura cognoſcens à qua egreditur; igitur volitio, ſeu voluntas nullatenus poteſt eſſe rei natura, ſeu conſtitutivum ejus per modum formæ ſpeciei. Maj. patet ex illo communi axiomate, nihil volitum quin præcognitum. Deinde quia voluntas eſt quidam appetitus, cujus actus eſt volitio; appetitus autem neceſſariò ſequitur cognitionem, cum ſit ordinatio quædam in bonum & finem, ut docet S. D. paſſim.

64. Tertiò aliqui aſſeverant naturam divinam collectione omnium attributorum formaliter conſtitui. Quod quidem ſi de phyſico conſtitutivo intelligerent, nec nos negaremus, cum omne quod eſt in Deo, realiter & eſſentialiter ſit ipſe Deus, cum ſit ſuum eſſe. Vnde Anſelmus in monolog. cap. 16. *Nihil dicitur, quod de ejus eſſentia verè dicitur, in eo quod qualis, vel quanta; ſed in eo quod quid ſit accipitur.* Verum loquendo de conſtitutivo metaphyſico hæc ſententia non videtur vera. Vnde impugnatur primò

mò ex D. Damasceno lib.1. fidei orthod. cap.4. dicente: *Si bonum, si justum, si sapientem, si quidvis aliud dixeris non naturam dicis Dei, sed ea quæ circa naturam sunt.* Et hic loquendi modus familiaris est Patribus distinguentibus naturam Dei, & illa quæ circa ipsam inexistunt, qualia sunt attributa: non igitur ex collectione attributorum metaphysicè essentia Dei constituitur seu constitui rectè à nobis apprehenditur. Impug. 2. quia constitutivum per modum formæ speciei debet unam simpliciter habere rationem; attributorum autem rationes sunt diversæ, & una significatur aliam supponere, sicut voluntas intellectum; non igitur collectio attributorum potest esse formale constitutivum metaphysicum naturæ divinæ. 3. quia naturæ perfectissimæ sunt quoque operationes perfectissimæ, & illarum operationum principia, quæ potentias dicimus; potentiæ non sunt ipsa essentia secundùm rationem suam, sed essentiæ proprietates, quibus mediantibus essentia ad operationum actus habitudinem dicit, ut ex S. D. supra deduximus; non igitur attributorum collectio, quæ sunt diversarum illarum in Deo operationum principia, sunt formaliter ipsius naturæ & essentiæ divinæ constitutivum.

Quartò aliqui affirmant Dei essentiam & naturam constitui per rationem entis à se, immaterialis & per se subsistentis. Sed contra est; illud quod ponitur naturæ divinæ constitutivum per modum formæ speciei, debet substantialem quandam essendi perfectionem exprimere, quæ ex processibus Dei in creaturas derivatur, dicens & explicans aliquam substantia- 65.

lem formam, & eſſe perfectiſſimum, quod in creaturis reperiri poteſt; ſed ratio entis à ſe in ſuo conceptu non complectitur, neque explicat maximam & ſubſtantialem eſſendi perfectionem, quæ ex proceſſibus divinis in creaturas derivatur: ergo naturæ divinæ conſtitutivum per modum formæ ſpeciei non bene exprimitur per rationem entis à ſe. Major patet, nam hoc dicimus Deum, quod eſt perfectiſſimum in entibus: ergo ſi Dei eſſentia ex proceſſibus illius ad creaturas explicari debet, aſſumi neceſſum eſt illud quod in ſua ratione maximam, & ſubſtantialem eſſendi perfectionem explicat. Minor verò prob. Quia gradus intellectivi ſe habet ex additione ad ens, & ad quemlibet entis per ſe gradum, explicatque aliquam ſpecialem differentiam ſubſtantialem perfectioris naturæ creatæ: ergo ratio entis à ſe in ſuo conceptu non explicat maximam & ſubſtantialem eſſendi perfectionem. Conf. quia ſubſtantia eſt ens cui debetur eſſe per ſe ſeu ſubſiſtere; ſed ſubſtantiæ conceptus eſt in potentia ad ulteriorem perfectionem, ſeu differentiam nobiliorem, nimirum vitam, & intellectivum: igitur per ſe ſubſiſtere in creaturis non explicat perfectiſſimam nobilitatem à Deo in illas derivatam: ergo neque in Deo, prout eſt cognoſcibilis à nobis ex proceſſibus ipſius in creaturas.

66. Quod ſi dixeris rationem entis has ſubſtantiales perfectiones non dicere, bene verò rationem entis per ſe ſubſiſtentis. Contra eſt, quia ratio entis per ſe ſubſiſtentis non complectitur in ſua ratione intellectivum, & alios nobilitatis ſubſtantiales gradus, ſicut nec ratio ſubſtantiæ:

stantiæ : ergo ratio entis à se & per se subsistentis non dicit esse per essentiam seu à se intellectivum. Conseq. patet, quia ex processibus divinis in creaturas debemus Dei naturam & essentiam intelligere : ergo si iste processus essendi per se subsistens est ratio communis & imperfecta, non explicans omnes substantiales nobilitates, & perfectiones, quæ in perfectissima specie creata reperiuntur ; cum assurgimus ad illam Deo tribuendam, non explicabit in illo, prout ex creaturis est à nobis cognoscibilis, maximam perfectionem substantialem ac specificam.

Hanc rationem insinuat D. Augustinus lib. 1. de doct. Christ. cap. 8. dicens : *Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod rebus omnibus anteponitur. Et quoniam omnes qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda & indigna de Deo existimare qui vitam ipsam cogitant, & quacunque illis forma occurrerit corporis eam vitâ vivere, vel non vivere statuunt, & viventem non viventi anteponunt; eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce perfulgeat, quantalibet multitudine præemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam quâ vegetatur intelligunt, eamque illi moli, quæ ab ea vegetatur & animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, & si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, præponunt ei sentientem, qualis est pecorum, & huic rursus intelligentem qualis est hominum. Quam cum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scil. vitam quæ non aliquando desipit, aliquando* 67.

quando sapit, sed potiùs est ipsa sapientia. En quomodo Sanctus Augustinus optimum quod est in creaturis attribuens designat gradum intellectivum, & non per se subsistens, vel ens.

68. Conf. esse à se, sicut & esse immateriale dicuntur de Deo per remotionem: sed ea quæ sic de Deo efferuntur non explicant quid sit seu naturam specificam ejus, sed quid non sit; igitur neque esse à se, neque esse immateriale est constitutivum naturæ divinæ per modum formæ speciei, & quidditatis. Minor asseritur ab omnibus ferè Patribus, præsertim à S. Damasceno lib. 1. fidei orthod. cap. 4. dicente; *Sed non hoc substantiæ ejus diffinitivum: ut neque ingenerabile, sine principio, inalterabile, & incorruptibile, & quæcunque de Deo, vel circa Deum esse prædicantur; hac enim non ejus quid est significant* &c. Idem habet D. Gregorius Nazianz. *orat. 2. de Theol.* Major etiam patet, quia esse à se est esse sine principio, seu anarchum; esse immateriale est esse absque materia. D. Th. 1. d. 35. q. 1. a. 1. sed de his infra q. 14. art. 1.

§. IV.

Rejicitur quintus dicendi modus.

69. Quintò tandem alij affirmant divinam essentiam, seu naturam metaphysicè constitui per ipsum esse, seu existentiam actualem, ut in se omnes perfectiones essendi complectitur. Vnde & ipsum nomen, *qui est*, dicitur esse maximè proprium Dei. Ita sensisse videntur Rabbi Moyses *lib. 1. 57. 58.* & Avicenna *lib. de intellig. cap. 1.* ipsi enim, ut refert D. Thomas in

in 1. *dist.* 2. *art.* 3. *c.* dixerunt, quod res illa, quæ Deus est, sit quoddam esse subsistens, nec aliquid aliud nisi esse in ipso Deo reperiatur. Quidquid sit de illis, hanc sententiam amplectuntur quidam recentiores, qui videri possunt apud Illustrissimum Godoy 1.*p.q.*5.*tract.*1.*disp.*4. §. 2. & R. M. à S. Thoma 1.*p. quæst.*14. *disp.*16. *art.*2.

Sed profectò loquendo de constitutivo per modum formæ speciei, hæc sententia vera non est, unde contra illam primò arguitur ex variis locis D. Thomæ, quorum primus est ex lib.1. sent. dist.19. quæst. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Cum essentia divina secundùm intellectum sit prius quam esse suum, & esse prius quam æternitas, dicetur ipse Deus esse causa sua æternitatis secundùm modum intelligendi, quamvis ipse sit sua æternitas secundum rem*: sed nihil est prius se ipso: igitur essentia Dei metaphysicè & secundum rationem considerata non est ipsum esse, licet secundum rem sint idem. Secundus est ex eodem lib. dist.42. quæst.1. art. 1. ad 4. ubi ait: *Dicendum quod Deus non agit operatione media, quæ sit aliud ab essentia sua, sed suum esse est suum operari, & suum operari est sua essentia, nihilominus tamen essentia significatur ut principium essendi, potentia ut principium operandi*; igitur non ipsum esse sed quod est essendi principium dicitur essentia & natura divina. 70.

Præterea lib.1. sent. dist.35. quæst.1. art.1. c. ait, *Cum in aliis creaturis inveniatur esse, vivere, & intelligere, & omnia hujusmodi, secundùm diversa in eis existentia, in Deo tamen unum suum simplex esse habet omnium horum virtutem & perfectionem; unde cum Deus nominatur ens, non* 71.

non exprimitur aliquid nisi quod pertinet ad perfectionem ejus , & non tota perfectio ipsius , nimirum substantialis & quidditativa , quia vivere & intelligere se habent quodammodo ex additione ad ipsum : sed de ratione naturæ & formæ speciei est quod dicat totam perfectionem substantialem ipsius ; sicut humanitas dicit omne id quo homo est homo , dicit enim intellectivum cum cæteris gradibus substantialibus genericis : ergo esse non est constitutivum formale metaphysicum naturæ divinæ , ut forma speciei.

72. Prob. ratione, primò : de ratione formæ quæ est formale speciei & naturæ constitutivum, est, ut explicet quodammodo quid sit res , cum sit ratio rei : sed esse formaliter non explicat, quid sit Deus , sed solùm actum substantiæ ejus , ut docet D. Thom. *in* 1. *dist.* 2. *in expos. text.* ubi ait ; *Esse quamvis significet divinam substantiam, tamen significat illam per modum actus :* ergo esse non est formale constitutivum naturæ divinæ , ut formæ speciei. Conf. quia duæ distinctæ quæstiones formantur de esse rei, & quidditate ejus, nimirum an sit , & quid sit : ergo esse in creatis non significat quid sit res : ergo dum devenimus ex creaturis ad cognoscendum essentiam Dei , alia similiter erit quæstio an sit , & quid sit , & cum esse pertineat , ad an sit , & non ad quid sit , nequit intelligi quod esse sit constitutivum divinæ naturæ , ut forma speciei , quæ dicit quid sit res. Sumitur ex D. Thom. *quaest.* 8. *de pot. art.* 2. *ad* 11. dicente : *Ratio non significat esse , sed esse quid , id est , quid aliquid est. Unde duæ rationes unius rei non demonstrant duplex esse, sed demonstrant quod dupliciter de illa re potest dici*

dici quid est, sicut de puncto potest dici quid est sicut principium, & ut finis propter diversam rationem principij & finis.

Secundò prob. illud est formale constitutivum alicujus naturæ intellectualis per modum formæ speciei, quod substantialem ac specificam, seu quasi specificam perfectionem formalem exprimit, qua formaliter illud est secundum quod ipsum, & non aliud; sicut humanitas, vel rationalitas exprimit formalissimè substantialem perfectionem specificam, quâ homo est, homo; sed esse ex modo significandi, formaliter non exprimit formalem perfectionem quasi specificam, quâ formalissimè Deus est Deus: ergo non est formale constitutivum naturæ divinæ per modum formæ speciei. Prob. minor, tum quia forma quâ Deus est Deus est Deitas: Deitas autem non exprimit solùm ipsum esse, sed intellectualitatem, seu esse intellectivum omnium; nam dicitur à theaste quod est intueri, seu videre, & contemplari omnia. Tum etiam, quia esse est actus suppositi ut quod, & formæ ut quo; ergo non exprimit divinam substantiam per modum specificæ perfectionis & substantialis, sed eam significat per modum actus. Quod & facit in omni attributo. Vnde S. August. lib. 6. de Trinit. c. 4. ait; *Deo hoc est esse, quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse, etsi quid de illa simplici multiplicitate dixeris quo substantia ejus significetur.* Hoc autem est contra rationem formæ speciei, hæc enim non est ut actus omnium, sed ut substantialis & formalis perfectio., cui significantur addere vel addunt quæcunque circa illam sunt, ut proprietates, & qualitates ejus. Probatur denique rationibus 73.

tionibus supra adductis §. 3. ubi rejectus est quartus dicendi modus.

§. V.

Statuitur vera sententia ex mente D. Thomæ.

74. Dicendum est itaque, quod constitutivum formale naturæ divinæ per modum formæ speciei est intellectualitas per essentiã, sive summa, & comprehensiva; ut conjuncta per essentiam cum actu suo; constitutivum autem ejus per modum actus essentiæ est ipsum esse intellectivum summè, & comprehensiva intellectione. Prima pars asseritur à D. Thoma quæst. 2. de pot. art. 1. corp. ubi ait; *Ipsa natura divina est ejus intellectualitas. Et sic communicatio, quæ fit per modum intelligibilem est etiam per modum naturæ ut generatio dici possit.* Et ibid. solut. ad 3. addit. *Ipsa natura divina*, inquit, *tenet locum naturæ speciei.* Nescio quid expressius pro nostra sententia dici possit.

75. Prob. ratione, primò; Creatura intellectualis, ut homo & Angelus specialiter dicitur esse ad imaginem Dei condita, quia imitatur divinam naturam, non quomodocunque, sed quasi secundùm formam speciei, & ultimam ejus differentiam; sed imitatur Deum in specie sua, quatenus intellectualitate præditus est: ergo intellectualitas assignari debet pro formali differentia, & constitutivo naturæ divinæ. Major est D. Thomæ 1. p. quæst. 93. art. 2. in corp. ubi ait: *Requiritur ad rationem imaginis quod sit similitudo secundum speciem, sicut imago Regis est in filio suo; vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei, & præcipuè secundùm figuram;*

figuram; sicut hominis imago dicitur esse in cupro. Unde signanter dicit Hilarius(lib. de synod.) *quod imago est species indifferens. Manifestum est autem quod similitudo speciei attenditur secundùm ultimam differentiam; assimilantur autem aliqua Deo, primò & maximè communiter inquantum sunt; secundò verò inquantùm vivunt; tertiò verò inquantùm sapiunt, vel intelligunt: Quæ ut August. dicit in lib. 83. quæst. q. 51. ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Sic ergo patet quod sola creatura intellectuales sunt propriè ad imaginem Dei.* Minor etiam est D. Augustini lib. 6. sup. ad lit. cap. 6. dicentis: *Hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit propter hoc quod dedit ei mentem intellectualem*; Per mentem autem intellectualem intelligitur ipsa species, vel essentia intellectualis significatur, ut patet ex eodem lib. 9. de Trinit. cap. 4. dicente: *Mens & Spiritus non relativè dicuntur, sed essentiam demonstrant.* Vide etiam D. Thom. *in 1. d. 3. exp. text.*

Conf. si Dei natura ultimò differentialiter constitueretur, per aliam formalitatem, v. g. essendi, vel vitæ &c. non solùm creaturæ intellectuales essent ad imaginem Dei, sed & quæcunque aliæ, quia assimilantur ei in esse, vel vita, aut alia perfectione, quæ non sit propria intellectualis naturæ; sed hoc non est dicendum: ergo sola intellectualitas ex ratione sua habet quod significetur per modum specificæ differentiæ, vel formæ speciei in natura divina. 76.

Nec valet dicere, quod ipsum esse à se hæc omnia in conceptu suo complectitur. Non, inquam, valet, primò; quia licet esse complecta- 77.

tur

esse rationalem, tanquam actum essendi: ergo similiter in Deo ipsum esse intellectivum intellectione comprehensiva. Itaque intelligere ut operatio est essentia divina mediante intellectu, sed esse intelligentem seu intellectivum, est ut actus essentiæ. Hanc conclusionem confirmabit doctrina primi argumenti in oppositum adducendi.

§. VI.

Solvuntur argumenta primæ, secundæ, & tertiæ sententiæ.

ARguitur 1. pro prima sententia; natura divina cùm sit actus purus, & omnis potentialitatis expers, constitui debet modo purissimo, & actualissimo ac remoto ab omni potentialitate, & defectu: ergo debet constitui per ipsum intelligere actualissimum, non verò per intellectualitatem. Consequentia prob. nam intellectualitas concipitur per modum actus primi, non verò per modum actus secundi, & ultimæ actualitatis, sicut ipsum intelligere: sed omnis actus primus est imperfectus cum sit in potentia ad secundum: ergo non potest natura divina constitui per ipsam intellectualitatem, sed per ipsum intelligere actualissimum. 80.

Confirmatur, In Deo non potest concipi cum fundamento in re intellectualitas per modum actus primi in ordine ad intelligere per modum actus secundi: Ergo natura divina non potest constitui per ipsam intellectualitatem. Antecedens probatur; non potest constitui conceptus aliquis in Deo, cum fundamento in re, quantumcunque præcisus, nisi in ea præcisione in- 81.

grediatur ratio actus puri, & excludatur omnis umbra potentialitatis, & actus primi; sed in conceptu intellectualitatis non ingreditur ratio actus puri, neque excluditur omnis umbra potentialitatis: ergo talis conceptus non potest in Deo admitti. Minor probatur; actus purus formalissimè est actus summus, & ultra quem non est alia actualitas imaginabilis in illo genere, & linea in qua est actus purus; sed intellectualitas non est actus summus & ultimus ordinis intellectualis, sed ulteriùs in linea intelligendi est ipsum intelligere, quod est actus ultimus, & perfectissimus: ergo in conceptu intellectualitatis non ingreditur formalissimè ratio actus puri, neque ab eo excluditur omnis potentialitas.

82. Confirmatur amplius; si in linea intelligendi dividamus virtualiter duos conceptus, unum qui antecedat intelligere, ut est actus secundus, & qui constituat naturam divinam; alterum qui sit ipsum intelligere, & qui se habeat per modum operationis, à tali natura intellectuali procedentis; de illo primo sic præciso, & distincto, inquiro an intelligatur ut actus purus in genere intelligendi, vel non? Si secundum, nondum intelligitur, ut constituens naturam divinam in cujus conceptu debet ingredi formaliter ratio actûs purissimi. Si primum: Ergo jam ibi relucet ipsum intelligere in actu secundo, & sic impossibile est cum fundamento in re concipere in Deo vim radicalem vel proximam intelligendi, quæ sit prior intellectione, & quæ antecedenter se habeat ad ipsum intelligere: ac proinde primus conceptus divinitatis, & ratio constitutiva naturæ in Deo, hoc

hoc ipso quod incipit à ratione actus puri, incipere debet ab ipso intelligere actuali.

Resp. ad arg. concessa majori negando conseq. Ad prob. dist. intellectualitas concipitur per modum actus primi essentialiter, & in re conjuncti cum actu secundo, concedo; ut separati, nego maj. Sed omnis actus primus est imperfectus, distinguo, si sit essentialiter conjunctus cum actu secundo, nego; si sit ab eo essentialiter separabilis, aut actus secundus accidat primo, concedo. Hæc solutio est D. Thomæ quæst. 2. de potentia art. 1. ubi sic 4. arguit; *Nihil imperfectionis est Deo attribuendum; sed omnis potentia respectu sui actus est imperfecta: ergo potentia generativa in Deo ponenda non est. Sed dicet respondens, quod hoc est verum de potentia non conjuncta actui. Sed contra; omne quod perficitur per alterum est minùs perfectum eo, per quod perficitur; sed potentia conjuncta actui perficitur per actum: ergo actui est ea perfectior; & sic etiam potentia actui conjuncta respectu actus imperfecta est. Ad quartum*, inquit, *dicendum, quod ratio illa procedit quando potentia illa ab actu differt, sive sit conjuncta actui, sive non; hoc autem locum non habet in divinis.* Quia nimirùm ipsa potentia est suum esse, & suus actus essentialiter, cum per essentiam Deus sit in actu perfecto intellectualitatis, ut dixerat *in corpore*. 83.

Dices: ergo saltim ex modo significandi intellectualitas significabitur ut quid perfectibile ab ipso intelligere divino, quod est ut esse, & actus secundus in linea intellectualitatis; sed nil in Deo potest significari ut perfectibile: ergo nullo modo intellectualitas debet assignari pro constitutivo naturæ divinæ. 84.

85. Resp. dist. conseq. significatur ut quid perfectibile ex modo significandi relati ad concipientem; qui una conceptione non potest cognoscere Deum sicuti est, concedo; secundum rem significatam, nego. Hoc autem non implicat, quia imperfectionem non ponit in Deo, sed in concipiente. Sumitur ex D. Thoma q.23. de verit. art. 1. ad 10. *Dicendum*, inquit, *quod Deus non potest aliquo perfici secundùm rem; tamen per modum significandi aliquando aliquo perfici significatur*. Intellige de modo significandi, non quidem relato ad rem ipsam, quia non potest aliquid in Deo concipi ut perfectibile, & perfectum, sed relato ad concipientem & nominantem Deum ex creaturis, in quibus non potest aliqua reperiri perfecta Dei similitudo.

86. Ad hoc intentum facit elegantissima S.Thomæ doctrina, quam tradit quæst. 7. de potentia art.5. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod ita Dionysius dicit negationes horum nominum esse veras de Deo, quod tamen non asserit affirmationes esse falsas; sed incompactas. Quantum enim ad rem significatam, Deo verè attribuuntur, quæ in eo aliquo modo est, ut jam ostensum est; sed quantum ad modum quem significant de Deo negari possunt. Quodlibet enim istorum nominum significat aliquam formam definitam, & sic Deo non attribuuntur, ut dictum est. Et ideò absolutè de Deo possunt negari, quia ei non conveniunt per modum, qui significatur; modus enim significatus est secundum quod sunt in intellectu nostro, ut dictum est; Deo autem conveniunt sublimiori modo; unde affirmatio incompacta dicitur, quasi non omninò convenienter conjuncta propter diversum modum. Et ideò*

ideò secundum doctrinam Dionysij tripliciter ista de Deo dicuntur. Primò quidem affirmativè, ut dicamus, Deus est sapiens. Quod quidem de eo oportet dicere, propter hoc quod est in eo similitudo sapientiæ ab ipso fluentis; quia tamen in Deo non est sapientia, qualem nos intelligimus, & nominamus, potest verè negari, ut dicatur, Deus non est sapiens. Rursum quia sapientia non negatur de Deo quia ipsa deficiat a sapientia; sed quia supereminentius est in ipso quod dicatur aut intelligatur; ideò oportet dicere, quod sit supersapiens. Et sic per istum triplicem modum loquendi secundum quem dicitur Deus sapiens, perfectè Dionysius dat intelligere, qualiter ista Deo attribuantur. Et *art.6.seq. in corp.* iterum ait; *Dicendum quod omnes istæ multæ rationes, & diversæ habent aliquid correspondens in ipso Deo, cujus omnes istæ conceptiones intellectus sunt similitudines. Constat enim quod unius formæ non potest esse nisi una similitudo secundùm speciem, quæ sit ejusdem rationis cum ea; possunt tamen esse diversæ similitudines imperfectæ, quarum quælibet à perfecta forma ratione deficiat.*

Resp. ad 1. conf. neg. ant. ad cujus prob. concessa majori quoad illud de potentialitate, non autem quoad illud de actu primo (neque enim hic in suo conceptu imperfectionem dicit, nisi quando est in subjecto potentialitati immixto, vel non per essentiam conjunctus cum actu secundo, ut ex S. D. diximus) nego min. Ad cujus prob. dist. maj. actus purus est actus summus, ultra quem non est alia actualitas, quæ sit ut perfectio extranea, & per essentiam non conjuncta cum illo, concedo maj. Quæ per essentiam sit ei conjuncta, licet ex modo 87.

significandi significetur per modum alterius perfectionis, nego. Non enim hoc in Deo imperfectionem arguit, sed in concipiente, ut ex D. Thom. diximus. Nam intellectus v. g. in linea intelligendi significatur ut actus primus, & intellegere ut actus secundus; & similiter voluntas respectu volitionis; & potentia respectu operationis, quia tamen sunt actus per essentiam conjuncti, licet ex modo significandi per modum distinctæ perfectionis explicentur, formalissimè reperiuntur in Deo, ut infra dicemus. Sic autem est intellectualitas respectu ipsius intelligere, vel intellectivi esse, unde neque potentialitatem, neque imperfectionem in Deo arguit. Licet ex modo significandi perfectè sic explicari non possit.

88. Resp. ad 2. Conf. quod ille actus debet intelligi ut actus purus in se, & in termino cognitionis, neque hic relucet intelligere in actu secundo, ex modo significandi, licet ex parte rei significatæ sit essentialiter illi conjunctus, ut actus essentiæ suæ essentiæ. Vnde nullatenus potest concipi Deum non esse intelligentem in actu, licet possit concipi intellectualitas non concepto ipso intelligere actuali; sicut potest intelligi potentia creandi, non intellecta actuali operatione creandi. Cujus rei gratia nota ex D. Thom. *quæst. 21. de verit. art. 1. ad 1. in sed contra.* Quod dupliciter potest aliquid intelligi sine altero. Vno modo per modum enuntiandi, dum scil. intelligitur unum esse sine altero; & sic non potest intelligi intellectualitas in Deo sine actuali intellectione, itaut intelligat Deum non esse actu intelligentem. Alio modo potest intelligi aliquid sine altero per modum definiendi,

di, ut scil. intelligatur unum, non tamen intellecto altero, sicut in homine intelligitur animal non intellecto rationali, licet sint reipsa & essentialiter idem, seu per essentiam conjuncta, cum perfectè non repræsentatur seu concipitur homo. Et hoc modo intelligi potest intellectualitas in Deo non intellecta actuali intellectione, licet essentialiter sint idem, propter imperfectum nostrum modum concipiendi & significandi Deum, & quæ in ipso sunt. Ex his facilè dissolves quæcunque argumenta quæ prolixè & cum molestia solent objici pro actuali intellectione per modum operationis & ultimæ actualitatis sumpta.

Arg. 2. ens infinitè perfectum debet in suo conceptu quidditativo omnes perfectiones simpliciter simplices includere; sed natura divina est infinitè perfecta: ergo debet essentialiter constitui per cumulum omnium perfectionum. Hinc D. Greg. Nazianz. orat. 49. loquens de Deo, ait; *Quæ enim est substantia Dei, nisi ipsum quod Deus simplex singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum.* 89.

Resp. dist. maj. ens infinitè perfectum debet in suo conceptu quidditativo omnes perfectiones simpliciter simplices includere, si sumatur secundùm suum esse & in re seu quasi physicè, concedo: sumptum secundum quod habet concipi, & significari ab intellectu nostro ex diversis perfectionibus creaturarum, nego; immò exigit rationes perfectionum diversas, quibus significari & intelligi possit, ut supra dictum est. Et sic distinguo consequens: ergo debet essentialiter constitui per cumulum omnium 90.

perfectionum, si sumatur essentia divina secundum suum esse & in re, seu quasi physicè, concedo: si sumatur secundum quod habet concipi & significari ex perfectionibus creaturarum, nego. Esto enim in re includat omnes perfectiones, tamen nonnisi diversis rationibus possunt concipi, atque significari, & quædam significatur ut perfectio naturæ constitutiva, quædam ut potentia, quædam ut operatio. Ita sumitur ex D. Thom. *loc. supracit.* & etiam in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ubi ait: *Sciendum est, quòd ista pluralitas rationum contingit ex hoc, quod res, quæ Deus est, superat intellectum nostrum. Intellectus enim noster non potest una conceptione diversos modos perfectionis accipere; tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diversi modi perfectionum secundum diversas formas; tum quia hoc quod in Deo est unum & simplex, plurificatur in intellectu nostro, etiam si immediatè à Deo reciperet; sicut multiplicatur processio suæ bonitatis in aliis creaturis. Vnde cum Deus secundùm unam & eandem rem sit omnibus modis perfectus, una conceptione non potest integrè perfectionem ejus apprehendere, & per consequens nec nominare; & ideo oportet quod diversas conceptiones de eo habeat, & quod diversa nomina imponat significantia res illas.*

§. VII.

Solvuntur alia argumenta.

91. ARg. 3. Illud quod significatur per nomen proprium rei est ratio seu quidditas ejus; sed *esse* seu, *qui est*, est maximè proprium nomen

men Dei : ergo *esse*, seu *qui est*, exprimit quidditatem & naturam divinam, seu formale constitutivum ejus. Minor prob. ex illo *Exodi* 3. ubi Dominus roganti Moysi ut nomen suum indicaret, respondit; *Ego sum qui sum, ait: Sic dices filiis Israël*, QUI EST, *misit me ad vos.* Quæ verba ponderans D. Gregorius Nazianz. orat. 36. ait: *Quantùm ergo nobis assequi concessum est, Ens & Deus, magis quodammodo essentiæ nomina sunt, ex iisque etiam Entis vox ad eam indicandam aptior est, non hoc solùm nomine, quòd ipse, cùm Mosi in monte oraculum ederet, quæreretque ille, quo nomine vocaretur, ita seipsum appellavit, edicens videlicet ei, ut ad populum his verbis uteretur, Qui est misit me; sed etiam quia nomen illud magis proprium esse comperimus. Quamvis enim Dei vox, vel à verbo thein, vel ab ethin, ut putant qui in hoc genere sibi sciti atque arguti videntur, hoc est è currendo, vel ab urendo, rationem originis suæ ducat, tum propter sempiternam agitationem, tum propter vim illam vitiosarum affectionum consumptricem; ex eorum tamen numero est, quæ ad aliquid referuntur, nec libera & absoluta est, quemadmodum nec Domini vox, quæ Dei quoque nomen esse dicitur: At nos naturam ejusmodi exquirimus, quæ ipsum esse per se habeat, ac non cum alio quopiam copulatum. Ens verò proprium sanè est Dei, ac totum, nec priore aliqua re, nec posteriore definitum, ac circuncisum.* orat. 49. dicit: *Ergo hoc ipsum quod est erit substantia hujus rei, quæ esse defenditur*, id est, Dei. Ibi enim explicat de Deo illud Exodi, *Ego sum qui sum.* Idem asserunt communiter Patres, præsertim D. Hilarius *lib. 1. de Trinitate*, ubi ait; *Admiratus sum tam absolutam*

lutam Dei significationem, quâ natura divina incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliquid magis proprium Deo, quam ESSE *intelligitur; quia ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti.* Hos imitatus D. Th. 1. p. quæst. 13. art. 11. asseruit hoc inter cætera maximè proprium Dei nomen esse. Et passim affirmat quod esse sit ipsa Dei essentia & substantia.

92. Conf. illa ratio debet assignari pro formali naturæ divinæ constitutivo, quæ majorem perfectionem & actualitatem exprimit; sed, *esse* majorem perfectionem & actualitatẽ exprimit, quam alia quæpiam perfectio ex his quæ Deo attribui possunt: ergo debet assignari pro formali divinæ naturæ constitutivo. Minor prob. ex D. Thoma 1. p. quæst. 4. art. 1. ad 3. ubi ait: *Ad tertium dicendum quod ipsum esse est perfectissimum omnium; comparatur enim ad omnia ut actus. Nihil enim habet actualitatem nisi inquantùm est. Unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum.* Et in 1. dist. 8. quæst. 1. art. 1. c. docet ex D. Dionysio, *Quod esse inter omnes alias divinæ bonitatis participationes, sicut vivere & intelligere, & hujusmodi, primum est, & quasi principium aliorum præhabens in se omnia prædicta.*

93. Resp. ad argum. dist. min. *Esse*, seu *qui est*, est maximè proprium nomen Dei, quantum ad id à quo nomen imponitur, & quantum ad modum significandi, & consignificandi ipsius nominis, concedo: Quantum ad id ad quod imponitur nomen ad significandum, nego; quantum enim ad id est magis proprium hoc nomen Deus,

Infra q. 13. art. 11. ad 1.

Deus, quod imponitur ad significandum naturam divinam. Significat autem hoc nomen Deus naturam per se subsistentem, ac summè intellectualem. Vnde dicit Dionysius c. 12. de divinis nominibus, quod Deitas est quæ omnia videt providentia, & bonitate.

94. Cujus rei gratia notandum est quod tripliciter contingit Deum ex creaturis à nobis cognosci, atque nominari; nimirùm per viam remotionis, causalitatis, & eminentiæ. Quando in Deum procedimus per viam remotionis primò negamus ab eo corporalia, & secundò etiam intellectualia, secundum quod in creaturis inveniuntur, ut bonitas, & sapientia, & tunc remanet tantùm in intellectu nostro, quia est, & nihil ampliùs; unde est sicut in quadam confusione. Quapropter hoc nomen esse, seu qui est, in Deo dicit esse absolutum & indeterminatum, seu non determinatum per aliquod additum; sed alia nomina dicunt esse determinatum, & particulatum, sicut vel intellectivum dicit aliquod esse. Et ideò dicit Damascenus *lib.1. fid. orthod. cap.12.* Quod hoc nomen, Qui est, non significat quid sit Deus, sed quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminatum. Et quia modus procedendi ad cognoscendum, & significandum eum magis, proprius, & perfectus pro hoc statu est per viam remotionis, ideò ad id à quo nomen imponitur; magis proprium Dei vocabulum est; & etiam quantum ad modum significandi nominis, & consignificandi; sed non quantùm ad rem significatam; quia non exprimit, quid sit Deus, vel Dei substantiam, sicut quædam alia nomina; Quapropter non debet poni formale constitutivum na-

1.dist. 3. divis. text. dist. 8. q. 1. dist. 35. q. 1. art. 1.

turæ divinæ per modum ultimæ differentiæ, & formæ speciei, quæ dicit quid sit res, sed potiùs ut actus substantiæ, & omnium quæ sunt in Deo. Ad illud quod additur, nimirùm quod esse à SS. Patribus & D. Thoma dicitur Dei essentia seu substantia, verum est physicè, & in re sumpta essentia ut distinguatur ab esse creato, quod non est substantia, seu essentia ejus rei, quæ est; metaphysicè autem non dicitur ejus essentia ut forma & natura speciei, sed ut actus substantiæ, seu naturæ & suppositi, istius *ut quod*, illius *ut quo*.

95. Resp. ad Confirm. quod ex parte rei significatæ non datur major, vel minor perfectio in Deo cum quælibet sit infinita, & actus purus ut ipsemet Deus; ex parte autem modi significandi, vel concipiendi inadequatè & imperfectè pro hoc statu Deum, dato quod possit significari aliquid per modum majoris perfectionis, distinguo maj. illa ratio debet assignari pro formali constitutivo metaphysico naturæ divinæ, quæ majorem perfectionem explicat per modum formæ speciei, & actus primi substantialis, ac per se subsistentis dicentis quid sit res, concedo maj. quæ explicat majorem perfectionem non quidem ut forma speciei exprimens quid sit res, neque ut actus primus substantialis, ac per se subsistens, sed ut actus secundus, vel aliquid circa substantiam existens, nego maj. Et dist. min. eadem distinct. Esse majorem actualitatem, & perfectionem exprimit, per modum formæ speciei dicentis quid sit res, & actus primi per se subsistentis, nego min. ut actus secundus, vel secundò primus formæ speciei, & substantiæ rei, concedo min. & nego conseq. Vnde ad

summum

summum solùm concluditur, quod intret constitutivum ut actus essentiæ, sed non ut forma speciei dicens quid sit Deus. Quomodo autem esse dicatur perfectius quam vivere, & intelligere q.4.explicabitur ad 2. & 3.art.

Arg. 4. Illud est formale constitutivum alicujus rei quod primò convenit ei, & concipitur priùs in illa; sed multa alia prædicata intelliguntur primò competere Deo, & concipiuntur in illo, quàm intellectualitas: ergo intellectualitas non est constitutivum formale metaphysicum ipsius naturæ divinæ. Prob.minor, nam imprimis ratio entis à se est, seu entis per se subsistentis est prior; deinde etiam ratio immaterialitatis, nam ut probat D. Thomas *infra quæst.*14. *art.*1. Deus est summè cognoscitivus, quia est summè immaterialis, itaut immaterialitas sit ut causa saltim virtualis ipsius intellectualitatis, ut docet idem S. D. *opusc.*2. *cap.*28. ergo intellectualitas non est constitutivum formale metaphysicum ipsius naturæ divinæ. 96.

Resp. ad arg. dist. maj. Illud est formale constitutivum alicujus rei quod primò convenit ei, & concipitur priùs in illa, ut forma speciei, & prædicatum dicens quid sit, distinguensque eam ab omni alio quod non est ipsa essentialiter, concedo; quod priùs concipitur cognitione quoad an est, atque confusa, & non quidditativa, nego. Nam cognitione confusa priùs conveniunt, & concipiuntur prædicata universalia, & communia quàm propria, & specificantia, v. g. cum cognoscitur confusè homo, priùs cognoscitur ut ens, substantia, corpus, vivens, & animal; sed in cognitione quidditativa, & definitiva priùs occurrit esse rationale, seu proprium, 97.

prium, & quidditativum prædicatum. Et dist. min. multa prædicata intelliguntur priùs quàm intellectualitas competere Deo per modum formæ speciei, & ultimæ differentiæ, seu prædicati dicentis quid sit Deus, nego; per modum prædicati communis, vel dicentis quid non sit Deus, concedo minorem.

98. Ad primam prob. minoris dico, quod ly *esse* à se formaliter est prius per modum prædicati communis, & negativi, seu dicentis quid non sit res, explicat enim hoc quod non est habere principium, sed non est prius ut forma, & natura speciei dicens quodammodo quid sit Deus; Similiter ens per se subsistens & immateriale, ut sumitur ex D. Thoma in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. c. & dist. 35. ubi ait; *Respondeo dicendum quod secundum Dionysium in lib. de divin. nom. Tribus viis ex creaturis in Deum devenimus, scilicet per remotionem per causalitatem, per eminentiam, quarum qualibet nos in Dei scientiam inducit. Prima igitur via, quæ est per remotionem est hæc, cum à Deo omnis potentia, & materialitas removeatur, eo quod ipse est actus primus, & purus, oportet essentiam ejus esse denudatam à materia, & esse formam tantum. Sicut autem particulationis principium est materia, ita formæ debetur intelligibilitas; unde forma principium cognitionis est, unde oportet quod omnis forma per se existens separata à materia sit intellectualis naturæ. Et siquidem sit per se subsistens, & intelligens, si autem non sit per se subsistens sed quasi perfectio alicujus subsistentis, non erit intellectus, sed principium intelligendi, quemadmodum omnis forma non in se subsistens non operatur, sed est operationis principium ut caliditas in igne: cum igitur ipse Deus*

Deus sit immunis ab omni materia, & sit per se subsistens quia esse suum ab alio non dependet, oportet quod ipse sit intelligens, & sciens.

Si autem esse immateriale, & per se subsistens sumatur radicaliter, est ipsummet intellectivum, seu intellectuale. Vnde quando S. Thomas ait, quod immaterialitas est causa intellectualitatis, loquitur de causa in cognoscendo; sicut cum dicimus hominem esse animal,& non irrationale: ergo rationale;non esse rationale accipitur ut causa cognoscendi quid sit rationale, sed de his infra quæstione 14. articul. 1. 99.

Argum. ultim. Illud est formale constitutivum alicujus naturæ, quod formaliter explicat quid sit, & distinguit, seu discernit à quacunque alia; sed intellectualitas non ita se habet, benè verò esse à se,vel infinitas,&c.ergo intellectualitas non est formale constitutivum naturæ divinæ.Minor prob.quia etiam Angelus, & homo sunt substantiæ intellectuales. 100.

Respond. negand. minor.ad probat. distinct. sunt substantiæ intellectuales simpliciter, & per essentiam, nego: in determinato genere, & participativè, concedo. Deus autem est simpliciter, & per essentiam intellectualis, & intellectualitas simpliciter, & absolutè dicta de isto solo verificatur; nam de homine verificatur non absolutè,sed cum modo limitato, scilicet cum receptione specierum à phantasmatibus & discursu; de Angelo etiam cum modo limitato,qui est intelligere per receptionem specierum à Deo, qui sunt modi diminuentes, & contrahentes esse intellectivum, seu intellectualitatem simpliciter, & per essentiam. Ex his 101.

his patet ad omnia alia, quæ objici solent, aut possunt.

102. Itaque ut cum hac quæstione, quæ contententionis plurimùm & utilitatis parùm affert, concludamus, dicimus quod intellectualitas est ut forma & natura speciei in Deo, & actus primus, ac purus. Esse intellectivum summè, & intellectione comprehensiva est ut actus essentiæ ut quo, suppositi ut quod, estque actus secundò primus, & comparatur ut esse album ad albedinem. Intelligere est ut operatio, & actus secundus simpliciter, dicitque habitudinem proximè ad intellectum, seu potentiam intellectivā Dei, & mediante illa ad psam intellectualitatem, ut ex S.D. diximus. Esse absolutè dictū est ut prædicatum commune per modum actus essentiæ, & actualitatis omnis perfectionis in Deo repertæ.

CAPUT VIII.

Quid sit attributum.

103. 1. dist. 3. divis. text. 1. p. q. 13. Attributum dicitur, quasi aliquid alicui ex alio tributum, quantùm autem ad nominis impositionem ex creaturis Deum nominamus; unde attributum dicitur omne illud, quod ex creaturis ad Deum cognoscendum deveniendo, eique attribuitur essentiæ & naturæ. Ex creaturis autem contingit Deum nominari, seu aliquid ei tribui, & adscribi dupliciter; primò per viam remotionis; quando nimirum ipsi nomen aliquod, seu prædicatum attribuimus, quo aliquid in creatura repertum à Deo removetur, quo eum carere par est; v. g. cum dicimus incorporeum,

corporeum, removemus ab eo corpus, quo eum constare non est æquum. Secundò per viam eminentiæ & causalitatis; cum videlicet Deo aliquid ex creaturis assignatur, & tribuitur quo eum carere par non est; v. g. cum dicimus sapientem; neque enim Deum sapientia carere par est, aliàs esset insipiens. Quod notavit Theodoretus lib. 2. de principiis dicens: *Plurimorum usu nominum divinam laudamus naturam; eamque non ab iis solum rebus, quæ illi insunt; sed etiam ab iis, quibus illam carere par est, nominamus. Nam eò quòd à superiore nullo principio deducatur, imprincipiam dicimus, item incorruptibilem, immortalem, infinitam, impassibilem, invisibilem, inspeciem, infigurabilem, incircumscriptam, incomprehensibilem, atque inaccessam vocamus, nomenclaturas hujusmodi ab rebus imponentes, quibus divina caret natura; sed enim cum bonum, justum, lucem, vitam, opificem, universorum præfectum, gubernatoremque vocamus, & quæ sunt ejusdem generis nomina, Deo tribuimus, ea significamus, quæ habere Deum par est, quibusque mundi machinam, creaturasque gubernat.* Quæ primò modo se habent propriè attribui non dicuntur, sed potius removere id quod Deo non competit, unde à quibusdam vocari solent attributa negativa; bene verò quæ secundo modo efferuntur, ut perfectiones, & proprietates quædam naturæ divinæ, seu ipsi Deo attributæ.

Attributum propriè dictū definiri potest; Perfectio simpliciter simplex, naturā divinam quantū ad nostrum modum intelligendi consequens, & circa illam inexistens, ut principium proximum alicujus actus, seu operationis divinæ. Dicitur 104. 1. dist.2. q.1.a 2.

perfectio simpliciter simplex, quia melior est ipsa, quam non ipsa, seu melius est id, quod attributum dicitur, inesse Deo, quam non inesse Deo, ut patet de sapientia, bonitate, justitia &c. ut sumitur ex D. Anselmo in Monol. capite 14. dicente: *Melius quidem est omnino aliquid, quam non ipsum, ut sapiens, quam non sapiens, id est melior est sapiens, quam non sapiens. Quamvis enim justus non sapiens melior videatur, quam non justus sapiens; non tamen melius simpliciter est non sapiens quam sapiens; quia non sapiens melius esset, si esset sapiens. Similiter omnino melius est verum, quam non ipsum, id est, non verum; & justum quam non justum; & vivit quam non vivit.* Per quod excluduntur à ratione attributi illæ perfectiones, quæ non sunt simpliciter simplices, seu meliores simpliciter, sed meliores huic & in determinato genere; Vnde idem S. D. statim subdit; *Melius autem est in aliquo non ipsum quam ipsum, ut non aurum quam aurum. Nam melius est homini esse non aurum, quam aurum; quamvis forsitan melius esset alicui aurum esse, quam non esse, ut plumbo.*

105. Dicitur, quantùm ad nostrum modum intelligendi naturam divinam consequi, quia significat per modum cujusdam perfectionis, non quidem simplicem summæ naturæ substantiam designantis, sed ei quantum ad modum significandi superadditæ, nec enim sapientia significat quid sit Deus, sed qualitatem & perfectionem substantialem naturæ divinæ quodammodo superadditæ; ratione cujus speciali modo perfectivo se habet, itaut si deesset, non bene se haberet in tali ratione perfectionis. Dicitur circa illam inexistens ut principium proximum ali-

cujus

cujus actûs, seu operationis divinæ; per quod distinguitur à proprietatibus relativis, quæ licet Deo inexistant, non sunt tamen operationis alicujus in Deo principium: unde nec attributum, ut docet D. Anselmus *ibid.* dicens: *Itaque de relativis nulli quidem dubium, quia nullum eorum substantiale est illi, de quo relativè dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur relativè, non est ejus significatum substantiale.*

Quod autem attributum esse debeat ut operationis principium, passim docet D. Thomas, præsertim in 1. dist.42. quæst.1. art.2.arg.4. ubi ait; *Attributum divinum secundùm propriam rationem est principium operationis, quia ex bonitate ejus fluit omnis bonitas, & ex vita ejus fluit omnis vita, & sic de aliis, ut docet Dionysius de divinis nominibus c.4.* Et ibid.in corp. *Cuilibet attributo convenit ratio potentiæ, secundùm quod competit ratio operationis.* Et dist.38.q.1.art.1. modum hujus specialiter explicans ait: *Loquendo de attributis divinis attendenda est attributorum ratio, quæ quia diversa est diversorum, ideò aliquid attribuitur uni, quod non attribuitur alteri, quamvis omnia sint una res. Et inde est quod bonitas divina dicitur causa bonorum, & vita causa viventium, & sic de aliis. Si ergo accipiamus diversas attributorum rationes, invenientur aliqua habere comparationem non tantùm ad habentem, sed etiam ad aliquid sicut ad objectum, sicut potentia, voluntas, & scientia: quædam autem ad habentem tantùm, ut vita, bonitas, & alia hujusmodi. Et hæc habent unum modum causalitatis, scil. per modum communem efficientis exemplaris: quia à primo bono sunt omnia bona & à primo vivente omnia viventia. Sed illa quæ dicuntur per comparationem ad ob-* 106.

jectum, habent alium modum causalitatis, respectu scil. objectorum, sicut voluntas respectu volitorum.

107. Ex his sequitur, quod existentia, & subsistentia, licet secundùm rationem ab essentia, seu natura divina distinguantur, & quodammodo significentur per modum perfectionis supperadditæ ipsi essentiæ divinæ, tamen rationem attributi non sortiuntur, quia non sunt principium proximum, & proprium alicujus operationis divinæ, sed ad omnem hanc rationem prærequiruntur, quia nihil operatur, nisi inquantum actu est.

108. Sequitur præterea, quod ideæ rationem attributi propriè non sortiuntur, quia licet in Deo existunt, tamen in eo sunt ut formæ exemplares, & intellectæ, & non ut naturæ ipsius proprietates, ut docet S.D.q.1.de pot. art.1. ad 8. licet in re sint eademmet essentia divina. De distinctione attributorum abinvicem, & ab ipsa essentia divina agendum hîc superat, sed commodius id præstabimus *quæst.seq. ad art.2.*

QVÆSTIO



QVÆSTIO TERTIA,

De Simplicitate Dei.

PER viam remotionis ad Dei cognitionem tradendam accedens S. D. primò de ſimplicitate ejus, quæ eſt quoddam divinæ naturæ eſſentiale attributum, ad integritatem & perfectionem illius eſſe ſpectans, inquirit. Attributum, inquam, negativum, & communiter dictum, nullam de ſe addens eſſentiæ divinæ nobilitatem, quæ ſit alicujus ſpecialis perfectionis cauſa, ut infra explicabitur.



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus ſit Corpus.

CAPVT PRIMVM.

Senſus articuli breviter declaratur, & referuntur varij errores.

SVMITVR hîc corpus pro ſubſtantia 1.
phyſica & naturali in re exiſtente, quæ Infra art.
ſub quantitate diviſibili ſtat, ſeu par- 7. cap. &
tibus quantitativis conſtat; eſtque lib. 1. cont.
ſuapte naturâ terminabilis vel terminata, non gēt. c. 20. rat. 2.

modo terminis essentiæ, sed etiam quantitatis, ut figurâ & loco &c. Per quod distinguitur à substantiis spiritualibus creatis, quæ terminis duntaxat essentiæ circumscribuntur, partibus autem quantitatis carent, sicut Angelus & anima rationalis. Vnde sensus articuli est, utrum Deus sit substantia habens partes quantitativas, ac dimensiones longitudinis, latitudinis, ac profunditatis, situmque & figuram.

2. Inter Ethnicos Philosophos Stoici primi numerantur, qui Deum corporeum esse dixerunt, ajebant enim corpus esse omnia, atque Deum esse hunc mundum qui sensu percipitur. Ita de eis refert D. Damascenus *lib. de hæresibus*, & Theodoretus lib. 2. de princip. dicens *Qui & veteris, & novæ Theologiæ concordiam viderit, admirabitur veritatem: & Stoicorum de Deo fugiet indignam Deo opinionem: Hi namque affirmarunt, Deum corpore esse præditum.* Epicurus etiam cum suis omnes Deos humana specie præditos esse docuit, teste Plutarcho *lib.* 1. *de placitis philosophorum.* Cicero præterea lib. 1. de nat. Deorum. *Deos* inquit *hominis esse specie confitendum est. Nec tamen ea species est corpus, sed quasi corpus; nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem.* Iambilicus autem inter Deos, alios visibiles, alios invisibiles: alios materiales, alios immateriales fecit. Materiales dicens eos, qui in se materiam comprehendunt, atque exornant; immateriales autem, qui omnino à materia segregati sunt.

3. Imperitum etiam Iudæorum vulgus Deum fecisse corporeum insinuat D. Gregorius Nyssenus orat. 1. in ea verba Genes. 1. *faciamus hominem ad imaginem* &c. ita enim ait: *Quonam*

modo

modo si ad imaginem ejus? Animos à vulgaribus, & imperitis, ac stultis illis de Deo opinionibus expiemus. Ad imaginem Dei inquit ille, facti sumus, formam Deus nostræ similem habet, oculis, auribus, capite, manibus præditus est, coxarumque vertebris quibus fulcitur & insidet; quandoquidem sedere Deum scriptura tradit, pedibus item quibus incedit. Talisne igitur Deus? Recedant ab animo tuo absurdæ opiniones. Abjice cogitationem, quæ Dei magnitudinem imminuit. Figura vacat Deus, simplex est; noli, cum de illo cogitas, formam ullam confingere & comminisci, ne more judaïco magnum extennes.

Inter Christianos verò hujus erroris primus 4.
Magister (teste D. Epiphanio *hæres.* 72.) fuit Audius, vel Audæus quidam monachus, genere & lingua Syrus, qui perperam intelligens illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, Deum humana esse forma præditum, eundemque habere corporalia membra asseruit, adducens & in sui confirmationem erroris alia scripturæ testimonia, quæ corporis humani statum, & figuram Deo arrogare videntur. Hujus erroris sectatores dicti sunt Odiani, seu Audiani, quos D. August. eluxato vocabulo *Vadianos* appellat. Ab aliis *Anthropomorphitæ*, nuncupati sunt, ab *anthropos*, quod hominem significat, & *morphi*, quod est forma. Historia etiam Tripartita *lib.* 10. *cap.* 7. narrat Monachos quosdam Ægyptios Theodosio Iuniore imperante hanc hæresim excitasse, qui Catholicos nuncupabant Origenistas, eò quod Origenes in suis libris sæpiùs contra eos disputet.

Videtur etiam quibusdam Lactantium lib. de 5.

ira Dei cap. 8. sensisse Deum esse corporeum; *Omitto*, inquit, *de figura Dei dicere; quia Stoici negant Deum habere ullam formam.* Tertullianus item lib. 1. contra Praxeam, hunc errorem tenuisse communiter fertur: *Quis negabit*, inquit, *Deum esse corpus?* Verum D. Augustinus *lib. de hæres. hæresi* 86. ab eo errore ipsum liberat, existimans quod nomine corporis, nihil aliud quam substantiam intellexerit. Nec sine fundamento eum excusat S. D. quia *ibidem* ait Deum esse Spiritum, & Spiritum esse corpus; non potuit igitur nomine corporis aliud intelligere, quam substantiam. Quod ex consequentibus confirmari potest; disputabat enim eo loco contra eos, qui filium Dei, eo quod in scripturis nuncupetur Verbum, contendebant esse aliquid vacuum & inane, instar verborum, quæ ab hominibus proferri solent: quod ut refelleret, Deum esse corpus, id est, substantiam ac per se quid, asseruit. Verum communiter Authores hunc ei errorem impingunt. Videantur D. Th. 1. cont. gent. c. 20. & Prateolus *verbo Anthropomorphitæ.*

6. Quidquid sit de Tertulliano hæresis Manichæorum fuit, ut constat ex D. Augustino lib. cont. epist. fundam. cap. 23. *Deum esse quoddam corpus quadrum & immensum, quod totum hunc mundum repleret, ex una tamen parte esse apertum;* seu infinitam quandam lucis substantiam per infinitum spatium distenctam, ut refert D. Thomas loc. cit. Et ut uno concludam verbo, hic error longè latéque diffusus multos pervasit. Cujus rei non inelegantem rationem S. Augustinus reddit *lib. 1. de doct. Christ. cap. 7.* dicens; *Cum ille unus cogitatur Deus Deorum ab his etiam*

qui

qui alios & suspicantur, & vocant, & colunt Deos, sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius illo cogitatio conetur attingere. Sane quoniam diversis moventur bonis, partim eis, quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent: illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum Deum Deorum esse arbitrantur. Aut si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel eâ formâ, quæ optima videtur, inani suspicione constituunt, aut humani corporis figuram cogitant, sic eam cæteris anteponunt. Quod si unum Deum Deorum esse non putant, & potiùs multos, aut innumerabiles æqualis ordinis Deos, etiam tamen eos prout cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Itaque quia hominum plurimi corporeorum ac sensibilium imaginationes transcendere nequeunt, idcirco tam multi Deum fecerunt corporeum, attribuentes ei, quod melius in corporibus eis reperire licuit D. Thom. *loc. cit.*

CAPUT II.

Statuitur conclusio, & probatur, tam authoritate, cum rationibus D. Thom.

Conclusio: Deus non est corpus. Hæc conclusio est de fide, censeturque definita in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap.* 2. ubi de Patre dicitur: *Pater ab æterno generando filium, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur:* 7.

testatur: Pater quod dedit mihi majus est omnibus: ac dici non potest quod partem sua substantia illi dederit (qualiter in generationibus corporalium contingit) *& partem ipse retinuerit sibi: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote omnino simplex*: omne autem corpus divisibile esse oportet, aque ex partibus quantitativis compositum; non est igitur substantia Dei corporea.

8. Probat S. D. in *sed contra* ex Sacra Scriptura Ioan. 4. *Spiritus est Deus*; quem locum interpretans D. Cyrillus Alex. epist. ad Calosyrium ait; *Deus est corporis expers, quod & Salvator ipse dixit inquiens, Deus est Spiritus. Non itaque corporeus, si Spiritus est, neque formam corporis præsefert. Quod enim corpore præditum non est, forma etiam careat necesse est. Neque enim quantitas, aut figura in Deum cadit.* In hanc eandem conclusionem, ceu communem Ecclesiæ Catholicæ doctrinam conspirant omnes Patres. Vnum D. Greg. Nazianzenum *orat.*34.adducere lubet, ubi Deum esse corpus multis improbat dicens: *An corpus eum* (scil. Deum) *esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figura expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An hæc quoque in corpora cadunt? O licentiam! non enim hæc corporum natura est. An verò corpus quidem esse statues, immensum verò atque infinitum, cæteraque hujus generis esse negabis? ô crassitiem! Qua in re nos Deus antecellet? Quid enim afferri potest, quod colatur atque adoretur, si circumscriptus est? Aut quid causæ esse dicemus quin ex elementis conflatus sit, atque in eadem denuo redigatur, ac prorsus intereat? Compositio quippe pugnæ initium est, pugna autem dissidij, dissidium solutionis; solutio porro nul-*

lo

lo modo in Deum , ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est ne solutio consequatur; nec pugna , ne dissidium oriatur ; nec compositio , ne pugna existat. Ac proinde nec corpus quidem est, ne alioqui compositum eum esse necesse sit. Sic ab extremis ad prima recurrens oratio gradum figit. Iam verò quomodo illud tueri poterimus , quod ait scriptura , Deum omnia pervadere atque implere (juxta illud , nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus : Et, Spiritus Domini replevit orbem terrarum , si Deus partim circunscribat , partim circunscribatur ? Aut enim per vacuam Vniversitatem grassabitur , & res omnes nobis peribunt , ut sic Deus contumelia afficiatur , nimirum & qui corpus sit, & iis , quæ procreavit , careat ; aut corpus in corporibus erit (id quod fieri non potest) aut implicabitur , aut opponetur , quemadmodum ea , quæ liquiditate prædita sunt , inter se miscentur , atque alia secabit , atque ab aliis rursus secabitur ; quod ipsis etiam Epicuri atomis absurdius est , atque anilius : Quod si eum corpus materiæ expers esse contenderint , siquidem quintum illud , ut nonnulli censuerunt , & in orbem volubile , sit sanè corpus quoddam quintum, & à materia semotum , si ipsis ita collibuerit , incorporeum (quandoquidem ita sermone comparati sunt , ut pro arbitrio in omnem partem sese versent , ac quidvis effigant) nihil enim de hac re in præsentia cum illis altercabor. Cæterum quo tandem genere erit earum rerum , quæ motu cientur, & agitantur ? ut interim taceam quam gravis sit contumelia , asserere creatorem eodem , quo res ab eo creatas , motu incitari , atque eum , cujus vi ac numine res conditæ volvuntur (si tamen hoc etiam daturi sunt) eodem modo cum iis volvi , ac circumferri.

cumferri. Quæro etiam quidnam sit, quod universum hoc moveat? Quidnam vicissim illud, ac rursum à quo illud moveatur? eodemque modo in infinitum progrediar. Qui etiam fieri potest, quin in loco omnino sit, siquidem fertur, ac motu incitatur. Iam si aliud quoddam corpus præter quintum illud Deum esse statuant, siquidem Angelicum, unde probabunt Angelos corpore constare, & quo tandem corpore? Quid autem si res ita se habeat, Deus Angelum, quo ministro utitur antecellet? Si corpus quoddam his sublimius esse dixerint, rursum corporum examen rationis expers inducetur, ac nugarum gurges adeo profundus, ut nusquam pes figi possit. Atque hinc constat corpus non esse. Neque enim adhuc quisquam eorum, qui divinitus afflati sunt, vel hoc dixit, vel ab aliis dictum approbavit; atque ab hujusmodi sermone fides Ecclesiæ abhorret.

9. Videndi D. Iustinus in *dialogo cum Triphone.* Irenæus lib.2.cap.16. Origenes *lib.7. contra Celsum*, & *homil.* 3. in Genes. ubi ait, contrarium dogma *esse alienum ab Ecclesiastica fide.* Basilius *hom.*10. *in Hexam.* Gregorius Nyssenus infra citandus. Epiphanius *hæres.* 70. D. Ioannes Damascenus *lib.*1.*fid. orthod.cap.*4. ubi eandem cum Nazianzeno rationem, breviùs tamen adducit. Immò & Philosophi antiqui non pauci absurdum omnino putarunt Deum arbitrari corporeum. Inter quos Plato, qui in Timæo verissimè dixit Deum *asomaton*, id est, corporis expertem: cujus ad hanc rem testimonio usus est Iustinus *in dialogo cum Triphone.* Et Hermes Trismegistus relatus à D. Cyrillo Alexandrino *lib.*1. *cont. Iulianum.* Empedocles etiam Agregentinus elegantibus carminibus opinionem

Epicuræorum

Epicuræorum de Deo corporato exagitavit, ut missos faciam Aristotelem *lib.*8. *phys.* & *lib.* 12. *metaphysica.* Ammonium *lib.*1. *Periherm.* & alios. Quinimo idem D.Cyrillus Alexandrinus Græcorum sapientes communiter id sensisse refert lib. adversùs Antropomorphitas cap.18. dicens; *Græcorum sapientes magis piè de Deo sentiunt, qui illum corporis, formæ, quantitatis, & figuræ expertem esse affirmant; & ubivis locorum esse, & à nulla re abesse.*

Tres rationes ad id probandum in *corp.* adducit D. Thomas, quarum prima est; Deus est primum movens immobile, ut ostensum est *q. præced.* sed nullum corpus secundum quod ipsum, & per propriam naturam est movens immobile, sed motum ab alio movet: ergo Deus non est corpus. Minor prob. quia omne corpus in re vel est inanimatum & insensibile; & sic caret principio intrinseco sui motus; vel est animatum, & sic movetur per animam quæ est entelechia ejus, seu vis movens ipsum, ut patet: ergo nullum corpus secundùm quod ipsum est movens immobile. Hanc rationem insinuat D.Damascenus *lib.*1. *fid. orthod. c.*4. & D. Greg. Naz. *loco citato.* 10.

Secunda ratio est; omne quantum est aliquo modo in potentia; nam continuum est potentia divisibile in infinitum, numerus autem in infinitum crescere potest; sed omne corpus est quantum: ergo omne corpus est aliquo modo in potentia; sed Deus nullo modo est in potentia: ergo Deus non est corpus. Prob. minor: Primum ens nullo modo in potentia esse potest; Deus est simpliciter primum ens, ut diximus: ergo nullo modo in potentia esse potest. Prob. maj. 11.

Maj. licet in uno, & eodem quod exit de potentia in actum (scil. per motum physicum) priùs sit potentia quam actus tempore simpliciter; v. g. semen priùs est prioritate temporis potentiâ homo, quam sit actu homo; tamen actus prior est potentiâ: ergo quod est simpliciter primum ens, nullo modo est in potentia; quia in eo quod esset in potentia non esset primum ens simpliciter, sed esset aliquod ens eo priùs, nimirùm illud quod esset actu in eo genere in quo illud esset in potentia. Antecedens patet, quia quod est in potentia, non reducitur in actum nisi per ens actu; v.g. quod est in potentia calidum non reducitur in actum calidi nisi per id quod est calidum in actu: ergo est causa ejus, quod fiat in actu: ergo simpliciter est priùs illo in re, seu in existentia, non solùm natura sed tempore; ut docet *quaest.* 7. *de pot. art.*1.*c.*

12. Tertia ratio est; Deus est id quod est nobilissimum in entibus; sed impossibile est aliquod corpus esse nobilissimum in entibus: impossibile est igitur Deum esse corpus. Prob. minor; corpus physicum aut est vivum, aut non vivum; sed neutrum potest esse nobilissimum in entibus: ergo impossibile est aliquod corpus esse nobilissimum in entibus. Prob. minor; imprimis corpus non vivum nequit esse aliquid in ordine entium nobilissimum, quia ipso nobilius est corpus vivum; magis enim accedit ad participationem primi actus, qui essentialiter est vita. Neque etiam corpus vivum potest esse aliquid in ordine entium nobilissimum, quod sic prob. corpus vivum non vivit inquantum corpus, quia aliàs omne corpus viveret: ergo

ergo vivit per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam, à qua participat vitam; sed illud per quod vivit corpus est meliùs quam corpus; igitur corpus vivum inquantum corpus nequit esse in entibus nobilissimum. Hæc ratio desumpta est ex D. Augúst. lib. de vera relig. cap.11. ubi ait: *Corpus autem minus est quam vita qualibet, quoniam quantulumcunque manet in specie per vitam manet, sive qua unumquodque animal, sive qua universa mundi natura administratur. Corpus ergo magis subjacet morti, & ideò vicinius est nihilo. Quapropter vita quæ fructu corporis delectata negligit Deum (qui vita est ipsius) inclinatur ad nihilum, & ita est nequitia.* Idem habet cap.29. *Proximum est* (inquit) *attendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit; quæ profectò quoniam vitam dat corpori præstantior eo sit necesse est.* Et in Psal.145. *Semper*, inquit, *corpus, quoniam corpus est, infra animam est, & qualibet anima vilis melior est quolibet magno, & præstantissimo corpore.*

CAPVT III.

Solvuntur contraria argumenta.

ARg. 1. Corpus est quod habet trinam dimensionem: sed sacra scriptura trinam dimensionem Deo attribuit: ergo est corpus. Prob. minor ex illo Iob. 11. ubi de Domino loquens ait; *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces, longior terra mensura ejus, & latior mari*; sed longitudo, latitudo, & profunditas est trina dimensio; igitur 13.

tur sacra scriptura attribuit Deo trinam dimensionem.

14. Resp.quod Philippus propter hocce testimonium arbitratus est Sophar Nahamonitem posuisse Deum corporeum: *Videtur mihi*, inquit, *quod Deum corporeum credat, quandoquidem latitudinis, & longitudinis ejus mensuras affirmat*, sed fallitur, quia, ut inquit S. D. Sacra Scriptura hic sub similitudine quantitatis corporeæ, quantitatem virtualem ipsius Dei designat, utpote per profunditatem, virtutem ejus ad cognoscendum, ac penetrandum occulta quæque; per altitudinem, excellentiam virtutis ejus omnibus supereminentis; per longitudinem, durationem divini esse, per latitudinem; affectum dilectionis ad omnia. Vel, ut dicit D.Dyonisius *cap.9. de divin. nomin.* per profunditatem Dei intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiæ; per longitudinem processus virtutis ejus omnia penetrantis; per latitudinem verò superextensio ejus ad omnia, inquantum scil. sub ejus protectione omnia continentur. Glossa in eum locum ait; *Excelsior cœlo, quia in circunscriptione sui Spiritus cuncta transcendit, profundior inferno, quia transcendendo subvehit. Longior terra, quia modum creaturæ perennitate æternitatis excedit. Latior mari, quia tempora sic possidet, ut sub potentia sua præsentia coangustet: Vel secundum Apostolum latitudo Dei est dilectio, quâ & persequentes colligit. Longitudo, qua longanimiter tolerando ad Regnum perducit. Sublimitas, quia & intelligentiam glorificatorum transcendit. Profundum, quia, & damnatis inferius judicium incomprehensibiliter exerit. Eodem etiam modo exhibet latitudinem amando, longitudinem tolerando;*

rando; altitudinem intellectus, & vota superando; profunditatem; motus cogitationum illicitos judicando. Altitudo verò, & profunditas quam sint investigabiles nemo scit, nisi quod contemplando ad summa provehitur, vel occultis motibus resistens tentationibus, unde Iob despecto dicitur Excelsior, quasi altitudinem ejus, & profunditatem quomodo tu cognoscere sufficis, qui vel virtute ad summa provehi, vel temetipsum in tentationibus reprehendere nescis.

Arg. 2. Omne figuratum est corpus, cum figura sit qualitas circa quantitatem; sed Deus videtur esse figuratus: ergo Deus est corpus. Probatur minor; Nam Deus efformaturus hominem ait; *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; Genes. 1. cap. sed figura imago dicitur secundum illud Heb. 1. *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, id est, imago: ergo Deus habet figuram, seu est figuratus. 15.

Resp. S. D. quod homo dicitur esse ad imaginem Dei, non secundum corpus, sed secundum rationem, & intellectum, quibus animalia excedit, & eis præstat. Vnde statim subditur, *ut præsit piscibus maris &c.* Quæ solutio est D. Augustini in Psal. 48. dicentis; *Imago Dei non est in corpore, non est in auribus istis, quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus; sed facta ubi est intellectus; ubi est mens, ubi ratio investigandæ veritatis, ubi est fides, ubi est spes vestra, ubi charitas vestra. Ibi habet Deus imaginem suam*, sed expressiùs eam tradit D. Gregorius Nyssenus orat. 1. in illa verba *Faciamus &c.* dicens: *Corpore ne, an ratione in animo situm est hoc imperium; an in car-* 16.

ne? Caro noſtra multorum animalium carne longè eſt imbecillior. Quî enim hominis caro cum carne cameli, aut bovis, aliarumque ferarum comparari poteſt, cui collata facilè ſuperatur, ac vincitur? In quo igitur conſiſtit hic principatus? in rationis præſtantia. Quantò enim corporis imbecillitate homo reliquis animalibus infirmior eſt, tantò eſt rationis excellentia ſuperior. Ingentes enim moles, ac pondera, quæ pro arbitrio ſuo transferunt homines quocunque volunt, ſolertiâ non corporis viribus aguntur, & permoventur. Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram, de interiori homine loquitur.

17. Arg. 3. Omne quod habet partes corporeas eſt corpus; ſed ſcriptura attribuit Deo partes corporeas: ergo eſt corpus. Prob. minor quia attribuit ei brachia; Iob enim 40. dicitur; *Si habes brachium ſicut Deus*, & etiam oculos, & aures Pſal.35. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.*

18. Reſp. S.D. quod partes corporeæ attribuuntur Deo in ſcripturis per ſimilitudinem, & metaphoram deſumptam ex actibus, & operationibus illius. Itaque per brachium, divinæ potentia virtutis exprimitur, quo quidem utitur, & ad ſuſtentationem bonorum ſecundum illud Iſaïæ 40. *In brachio ſuo congregabit agnos*, & ad punitionem malorum Lucæ 1. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*; Oculus autem de Deo dictus vim ejus ad intelligendum facta noſtra, & conſulendum nobis demonſtrat; aures verò quibus precibus eorum intendit celeritatem in exaudiendo demonſtrat. D.Thom.ibidem videndus.

19. Arg.4. Situs non convenit niſi corpori; ſed

ea

ea quæ ad situm pertinent; in scripturis Deo attribuuntur: ergo est corpus. Prob. minor. Dicitur enim Isaïæ 6. *Vidi Dominum sedentem*, & Isaïæ 3. *Stat ad judicandum Dominus*; sedere autem; & stare ad situm pertinent.

Resp. S. D. quod metaphoricè hæc Deo attribuuntur; dicitur enim sedens propter immobilitatem sui esse, ac consilij, authoritatemque: stans autem propter fortitudinem ad debellandum omne quod adversatur. 20.

Arg. 5. Nihil potest esse terminus localis à quo, vel ad quem, nisi sit corpus, vel aliquid corporeum; sed Deus in scriptura dicitur esse terminus localis: ergo Deus est corpus. Prob. min. quia Psal. 33. dicitur; *Accedite ad eum, & illuminamini*; Et Hierem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*; accessus autem, & recessus terminos locales petunt. 21.

Resp. S. D. quod ad Deum non acceditur, aut ab eo receditur, passibus corporis, cum sit ubique, sed affectibus mentis; & sic accessus, & recessus sub similitudine localis motus spiritualem mentis affectum designant. Hæc solutio est D. Augustini tum alibi, tum ibi dicentis; *Vnde accedunt gentes? Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? duo præcepta dilectionis Dei, & proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum.* 22.

Denique idem S. Doctor epist. 111. de his omnibus corporalibus figuris, quæ Deo in scriptura tribuuntur hæc habet; *Nam de membris Dei, quæ assiduè Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis hujus formam, & figuram nos* 23.

esse crederet similes Deo, propterea, & eadem scriptura, & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cùm audimus protectionem intelligimus; sic & cùm audimus manus, operationem intelligere debemus; & cum audimus pedes, praesentationem; & cum audimus oculos, visionem qua cognoscit; & cum audimus faciem, notitiam qua innotescit; & si quid aliud eadem scriptura tale commemorat, puto spiritaliter intelligendum. Neque hoc ego tantùm, aut ego prior, sed omnes qui qualicunque spirituali intelligentia resistunt eis, qui ob hoc anthropomorphitae nominantur. Ex quorum litteris, ne multa commemorando majores moras faciam, hoc unum Sancti Hieronymi interpono, ut noverit iste frater, non se de hac re mecum magis, quàm cum prioribus agere debere, si quid eum contra permovet. Cum ergo ille vir in scripturis doctissimus, Psalmum exponeret, ubi dictum est: Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite; Qui plantavit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non considerat? Inter caetera iste locus, inquit, adversus eos maximè facit, qui anthropomorphitae sunt, qui dicunt Deum habere membra, quae etiam nos non habemus, verbi causa: Dicitur Deus habere oculos; oculi Domini aspiciunt omnia, manus Domini facit omnia. Et audivit, inquit, Adam sonum pedum Domini deambulantis in paradiso: haec simpliciter audiunt, & humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt: ego autem dico, quod Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt. Totus manus est, quia omnia operatur. Totus pes est, quia ubique est. Ergo videte quod dicat; Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculos,

oculos, non considerat. Et non dixit, Qui plantavit aurem, non audiet, qui finxit oculos non considerat; membra tulit efficientias dedit.

CAPVT IV.

Solvuntur instantiæ contra rationes Divi Thomæ.

PRima instantia militat contra primam rationem in qua pro fundamento assumitur, quod *nullum corpus movet non motum*, hoc enim falsum est; primò, quia magnes immotus ferrum attrahit, & gravia à generante absque ejus motu moventur; & ipsum cœlum Empyreum in hæc inferiora agit, & tamen non movetur; similiter nix immota frigefacit, & sensibile immutat sensum per impressionem suæ speciei in illo, cum tamen sensibile objectum immotum in se penitùs maneat. 24.

Resp. propositionem hanc verissimam esse, loquendo de corpore secundum quod ipsum, sive secundum proprietatem corporis; hoc enim corpori proprium est, ut non moveat, nisi motum, & nullo modo sit se movens; quia secundum proprietatem corporis non est energia, seu vis se movens, sed hoc accidit illi, sicut differentia generi; aliàs omne corpus esset se movens. Hujus rei gratia sciendum est ex D.Thoma *quæst.5. de pot. a.* 8. quod corpus habet duplicem actionem, unam quidem secundùm proprietatem corporis, ut scil. agat ut motum ab alio, seu per actionem alterius (hoc enim pro- 25.

prium est corporis, ut motum moveat, & agat.) Aliam autem actionem habet, secundùm quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, & participat aliquid de modo ipsarum; sicut naturæ inferiores consueverunt aliquid participare de proprietate naturæ superioris, ut apparet in quibusdam animalibus, quæ participant aliquam similitudinem prudentiæ, quæ propria est hominum; hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ; sed quandam diffusionem similitudinis formæ in medio secundum similitudinem spiritualis intentionis quæ recipitur de re in sensu, vel intellectu, & hoc modo sol illuminat aërem, & color speciem suam multiplicat in medio; Vterque autem modus actionis in istis inferioribus causatur ex corporibus cœlestibus. Nam & ignis suo calore transmutat materiam ex virtute corporis cœlestis; & corpora visibilia multiplicant suas species in medio virtute luminis, cujus fons est in cœlesti corpore.

26. Dicimus igitur, quod neque magnes immotus attrahit ferrum, neque nix non mota frigefacit, aut sensibile immutat sensum absque ullo motu, inquantum corpora sunt, sed movent dependenter ab actione corporum cœlestium. Sicut enim habetur *in lib. de causis*, quando causa prima actionem suam à causato retrahit, oportet etiam quod causa secunda ab eodem actionem suam auferat, eò quod causa secunda habet hoc ipsum quod agit per actionem causæ primæ in cujus virtute agit. Agunt autem & movent, seu moventur omnia sublunaria corpora in virtute corporis cœlestis; & istud in virtute substantiæ separatæ, utpote magis in actu.

q. 5. de pot. a. 8. corp.

actu. Vnde in nullo sublunari aliqua actio aut motio est nisi in virtute primi corporis; sive sit actio alterativa, sive intentionalis & spiritualis, qualis est motio objectorum sensibilium, ut diximus. De motu gravium autem & levium multa satis diximus *in lib. physs. quæst. 19. art. 2.* ibi videnda. Impræsentiarum breviter dixisse sufficiat, quod gravia & levia non moventur à generante sicut exteriori motore, postquam formam suam consecuta sunt, sed dicuntur moveri à generante, dum fiunt; moveri, inquam, consequenter & per potentiam habituatam ad motum, quam generans eis confert, quæ ablato impedimento naturaliter absque motore proximo extrinseco reducitur in actum, esto nonnisi dependenter à motu primi corporis. D. Th. *lib. 1. de cælo lect. 18.*

Ad illud de cœlo Empyreo, respondetur ex S. D. *quodlib. 6. art. 19.* quod equidem cœlum Empyreum influit in hæc inferiora absque motu, sed non influit inquantum corpus vel actione corporibus propria, quæ non nisi mota agunt & movent; sed actione quam habet secundum quod ad ordinem substantiarum separatarum quodammodo attingit, & de modo ipsarum aliquid participat, quo pacto in virtute substantiæ separatæ agit & movet. *Dicendum*, inquit, *quod influat* (nimirum cœlum Empyreum) *in corpora inferiora, quia totum universum est unum unitate ordinis, ut patet per Philosophum* 12. metaph. (text. com. 52.) *Hæc autem unitas ordinis attenditur, secundùm quod quodam ordine reguntur corporalia per superiora, ut Augustinus dicit in 3. de Trinit. Vnde si cœlum Empyreum non influeret in corpora inferiora, cœlum Empyreum non* 27.

contineretur sub unitate universi, quod est inconveniens. Videtur autem proprius effectus ejus esse perpetuitas, & permansio in inferioribus corporibus. Nam secundum Philosophum in 11. *metaph. text. com.*43. *in cœlo sunt principaliter duo motus, quorum unus est ab Oriente in Occidentem, qui vocatur diurnus, & est super polos Æquinoctialis; & quia iste est uniformis causat perpetuitatem in inferioribus motibus. Alius autem motus est ab Occidente in Orientem, quo movetur Sol. & alij planetæ, qui est super polos Zodiaci, per quem planetæ accedunt, & recedunt à nobis; unde iste motus propriè causat differentiam generationis & corruptionis, & cæterorum motuum in istis inferioribus; & sic continuatur generatio & corruptio horum inferiorum, quousque Deus vult; quæ quidem quantùm ad continuitatem causatur à primo motu, quantùm autem ad contrarietatem à secundo; sicut autem uniformitas motus præcedit difformitatem, ita etiam unitas quietis præcedit uniformitatem motus; quia moveri est aliter se habere nunc quam ut priùs, & sic quies habet puram unitatem. Vniformitas autem motus habet unitatem cum diversitate, & ideo primum cœlum scil. Empyreum, singulariter per suam quietem influit,* (id est, singulari modo influit, & non communi illo influendi modo, quo corpora ut mota influere, & agere consueverunt.) *Secundum autem cœlum, quod dicitur aqueum per motum suum uniformem. Tertium autem cœlum scil. Sydereum, per suum motum difformem. Hoc autem est proprium huic corpori, quòd influat absque motu, inquantum est supremum attingens quodammodo ordinem substantiarum separatarum, prout Dionysius dicit* 2. *cap. de divin. nom. quod divina sapien-*

tia

tia conjungit principia secundorum finibus primorum. Vnde hæc instantia in nullo infringit dictum S. D. dicentis, quod nullum corpus movet nisi motum, quia loquitur de motione quæ est corpori propria secundùm quod corpus, & non secundùm actionem, quam habet prout attingit quodammodo ad ordinem substantiarum separatarum, & participat aliquid de modo earum. Licet prout sic etiam agant in virtute substantiæ separatæ, & subinde non influunt aut agunt nisi ut mota.

Secunda instantia adducitur communiter contra tertiam rationem, & est ejusmodi; Corpus cœleste non est vivens, quinimmò inanime, seu anima destitutum; sed corpus cœleste multò nobilius, ac præstantius est plurimis corporibus vivis, puta formicâ, verme, aut musca: ergo non omne corpus non vivum est melius vivo. Minor prob. 1. ex Arist. *lib.* 1. *de cœlo tex.*13. ubi cœlum diviniorem omnibus inferioribus substantiam vocat. Quod etiam asserit *lib.*1. *de part.animal.* & *lib.6. Ethic.* D.Thomas idem docet *ibid.lect.* 6. & *in* 4. *dist.*48. *q.*2. *art.*3. & alibi sæpe. Secundo prob. quia corpus cœleste est incorruptibile, nobiliores sortitum dispositiones, ut diaphaneïtatem, lucem, &c. Tertiò quia est causa æquivoca omnium corporum sublunarium, etiam viventium, habetque nobiliorem motum, & universaliores influxus, seu operationes, quæ omnia ejus nobilitatem majorem enunciant. 28.

Resp. ad arg. dist. min. corpus cœleste multò nobiliùs est plurimis corporibus vivis simpliciter & secundùm suam formam specificam, seu nobiliores participationes specificas, & gradus 29.

dus formales essendi, nego; secundùm modum informationis, & alias nobilitates consequentes corpus inquantum cœleste est, & attingens quodammodo ad ordinem substantiarum separatarum, concedo. Vnde absolutè & simpliciter non est nobilius, sed quantum ad quid. Qui quidem nobilitatis modus non potest divinitatem primi principij arguere, quod debet esse nobilius secundum naturam ac simpliciter, & id quo melius nullo modo intelligi queat. Quapropter optimè convincit ratio D. Thomæ quod Deus nequeat esse corpus non vivum, quia corpus non vivum absolutè, & secundum speciem corporis naturalis imperfectiùs est vivo, vivum enim addit nobilitatem essendi ad corpus simpliciter existens, sive sit mixtum perfectum, sive imperfectum.

30. Hujus rei gratia nota, quod cum aliquid intantum sit perfectum inquantum est actu, aut plures in se nobilitates & actualitates essendi participat, perfectio alicujus rei ex duplici capite attendi potest; vel secundùm plures nobilitates & gradus essendi; vel secundùm pleniorem participationem alicujus earum, vel plurium. Prima est simpliciter major nobilitas & perfectio; secunda autem quoad aliquid; sicut multa animalia in perfectione sentiendi homine perfectiora sunt, quia pleniùs participant principium sentiendi; sed non propter hoc dicuntur simpliciter perfectiora homine, quia homo plures nobilitates participat, nimirum esse, vivere, & intelligere, & in hoc se habet ex additione ad illa. Similiter corpus cœleste dicitur nobilius, non quidem secundum plures nobilitates, & formales participationes essendi, sed secundum

secundum pleniorem participationem propriæ formæ, & actualitatis. *Nam in corporibus inferioribus*, inquit S. D. quæst. 5. de pot. art. 8.c. *non est tota potentialitas completa per actum, eo quod materia substans uni forma remanet in potentia ad aliam formam, quod non est in corporibus cœlestibus. Nam materia corporis cœlestis non est in potentia ad aliam formam: unde sua potentialitas tota est terminata per formam quam habet.* Ex quo cœleste corpus habet quod sit incorruptibile, & nobiliores dispositiones accidentales.

Vnde ad primam prob. dico equidem cœlum esse divinioris substantiæ, quam corpora viventia, quia plenius in actu secundum quod totaliter est terminata & absque potentialitate ad aliam formam; sed non secundùm plures formales participationes essendi. Vnde non est corpus cœleste nobilius simpliciter, sed quantùm ad aliquid. Ad 2. dico quod incorruptibile secundum aliquid est perfectius corruptibili, quia excludit potentialitatem ad actum, sed non simpliciter, nisi sit incorruptibile ex forma habente plures nobilitates, & gradus essendi, ut in Angelo. Ad 3. resp. quod cœlum mediante motu, & influxu suo, quem exercet, ut est instrumentum intelligentiæ motricis, quæ quodammodo est ut forma assistens ejus, est causa æquivoca, ac subinde perfectior; sed non in ratione corporis, sed corporis quod habet nobiliorem formam assistentem, in cujus virtute habet agere & movere. Ita S. D. *loc. cit.* dicens; *Elementa agunt in virtute corporum cœlestium, & corpora cœlestia agunt in virtute substantiarum separatarum; Vnde cessante actione* 31.

ne substantiæ separatæ, oportet quod cesset actio corporis cœlestis, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Deo sit compositio materiæ & formæ.

32. POSTQVAM in superiori articulo S. D. Deum non esse corpus multis demonstravit, impræsentiarum ipsum nullatenus ex materia, & forma componi ostendit. Nec existimes ipsum inutiliter hanc quæstionem inculcare; longe enim à superiori diversa est. Hujus rei gratia notandum est quod Anicebron in *lib. fontis vitæ* (ut refert D. Thom. *infra quæst.* 50. *art.* 2.) quandam in rebus spiritualibus materiam admisit. Supponebat enim, quod quæcunque secundùm intellectum distinguuntur, sint etiam in rebus distincta; in substantia autem incorporea intellectus aliquid apprehendit, per quod à substantia corporea distinguatur, & aliquid per quod cum ipsa conveniat. Illud per quod à substantia corporea differt, vocabat formam; illud autem quod huic formæ distinguenti subjiciebatur, quasi commune, materiam ipsius esse aiebat. Ex quo concludebat eandem spiritualium, & corporalium materiam esse; itaut forma incorporeæ substantiæ ita sit in materia spiritualium impressa, sicut forma quantitatis in corporalium, ac sensibilium materia. Vt igitur S. D. omnem compositionis modum, quem Philosophi

Philosophi excogitarunt, à Deo removeat, præsentem quæstionem de compositione materiæ, & formæ exagitat, quam, & negativè resolvit.

Nonnullos fuisse qui hujusmodi compositionem ex materia spirituali, & forma, qualem corporibus cœlestibus, & intelligentibus attribuebant, Deo irrogarint, non dubium esse debet. Horum suppresso nomine meminerunt D. Gregorius, Nazianzenus *orat.*34. & D. Damascenus *lib.*1. *fid. orthod. cap.* 3. Inter quos forsan ipse Anicebron. Sed dubio procul omnes illi qui Deum corporatum fecerunt, hujusmodi compositionem in Deo admisisse convincuntur, cum nullum corpus sit, quod materiæ, saltim spiritualis, & formæ sit expers. 33.

Conclusio; impossibile est in Deo esse materiam. Ita communiter SS. PP. in superiori articulo citati. Probat S. D. in *sed contra*, quia omne compositum ex materia, & forma est corpus; sed Deus non est corpus, ut in præcedenti articulo ostensum est; ergo non est compositus ex materia, & forma. Major prob. quia quantitas dimensiva sequitur materiam, ipsique primò inhæret. 34.

Deinde probat *in corp.* primò, quia materia est id quod est in potentia; sed Deus est purus actus, non habens aliquid de potentialitate admixtum: ergo Deus non est ex materia, & forma compositus. Hæc ratio sumitur ex Philosopho *lib.*12. *Metaph. text.*30. ubi ostendit oportere primum motorem esse omninò immaterialem, quia materia est in potentia. 35.

Secundò probat sic; primum bonum simpliciter & optimum, quale est Deus, oportet esse 36.
per

per essentiam bonum, & non per participationem; sed omne compositum ex materia & forma est duntaxat bonum per participationem, prout videlicet materia participat formam: ergo Deus non est compositus ex materia & forma. Prob. min. in tantum aliquid est bonum inquantum est perfectum & in actu; sed compositum est actu per formam, & perfectum: ergo est bonum per illam. Hæc ratio fundatur in eo quod Philosophus 1. *phys. text.* 81. asserit; nimirum materiam esse sicut naturam recipientem, formam autem ut quid divinum, quoniam dat esse & bonitatem, reique perfectionem. Ex quo sequitur, ipsum compositum non habere quod sit per materiam bonum & perfectum; ac subinde secundum se non esse totum bonum, neque per essentiam.

37. Probat tertiò; Deus est primum agens, cum sit prima causa efficiens, ut ostensum est; sed primum agens nequit esse ex materia & forma compositum: ergo Deus non est compositus ex materia, & forma. Prob. min. Primum agens simpliciter, per essentiam forma esse debet, forma inquam per se subsistens: sed quod est per essentiam, & secundùm quod ipsum forma per se subsistens, non est ex materia & forma compositum: ergo primum agens simpliciter nequit ex materia & forma esse compositum. Prob. maj. omne agens agit per formam, ceu rationem agendi, & inquantum per eam est in actu: ergo secundùm quod aliquid se habet ad formam, per quam est actu, se habet ad hoc quod sit agens: ergo quod per se primò, & secundum quod ipsum est agens, oportet quod per essentiam sit forma, & actus; aliàs dependeret ab

ab alio ut esset in actu, ac subinde non esset simpliciter primum agens, sed per aliud, & non secundum quod ipsum, seu per se primò.

Itaque, cum S. D. ait, *quod primum & per se agens, oportet quod sit primò, & per se forma*, ly, primum, excludit agens aliud à quo seu per quod recipiat virtutem agendi, vel reducatur virtus ejus ad actum; & ly, per se agens, denotat illam virtutem, seu potentiam per se conjunctam actui, & non per aliud; nam hujusmodi agens oportet quod sit primò, & per se, seu secundùm quod ipsum forma & actus: quod autem primò, per se, & secundum quod ipsum & forma & actus, nullo modo est potentia, ac subinde omnino est à materia immunis. 38.

§. I.

Solvuntur argumenta.

ARg. 1. omne quod habet animam est compositum ex materia & forma; sed scriptura attribuit animam Deo: ergo est compositus ex materia & forma. Maj. patet, nam anima est forma corporis; definitur enim, actus primus corporis physici potentiâ vitam habentis. Prob. autem minor ex illo Hebr. 10. ubi ex persona Dei dicitur; *Iustus autem meus ex fide vivit, quod si substraxerit se, non placebit animæ meæ.* 39.

Resp. S. D. quod anima attribuitur Deo per similitudinem actus (similitudinem inquam metaphoricam, & largè dictam;) Vnde sensus est, non placebit voluntati meæ: quod enim volumus aliquid, ex anima nobis est; unde illud dicitur esse placitum animæ Dei, quod est placitum voluntati 40.

voluntati ipsius. Hæc solutio habetur in glossa. Et notandum est ex S. D. *in eum locum* quod Apostolus allegat hic authoritatem Abacuch secundum translationem Septuaginta, sicut à Gamaliele didicerat, ad cujus pedes legem didicit: D.Hieronymus autem legit ex Hebræo, *non erit recta anima ejus*, quod idem sonat: Voluntas enim Dei nostrarum actionum regula esse debet; qui ergo non concordat voluntati Dei, non est recta anima ejus, ac subinde non placet voluntati Dei.

41. Arg.2. ira, gaudium, & hujusmodi sunt passiones conjuncti, seu compositi ex materia & forma, ut dicitur *in 1. de anim. text.* 12. 14. & 15. sed hujusmodi attribuuntur Deo in scriptura: ergo Deus est ex materia & forma compositus. Minor patet ex Psalmo 105. *Iratus furore Dominus in populum suum.*

42. Resp. S.D. quod ira & hujusmodi attribuuntur Deo secundum similitudinem effectus. Quia enim proprium irati est punire, ejus ira punitio metaphoricè vocatur. D. August. ibi: *De consuetudine translatum potentiam vindicandi hoc nomen accepit.*

43. Arg.3. Materia est individuationis principium; sed Deus videtur esse individuum, non enim de multis prædicatur; ergo est compositus ex materia & forma.

44. Resp. ex S. D. dist. maj. materia est principium individuationis in his, quorum formæ sunt in materia receptibiles, concedo; in his, quæ sunt formæ per se subsistentes, nego: quia forma in materia receptibilis, quantum est de se, nisi aliud impediat in pluribus recipi potest; unde per aliud individuari debet, nimirum materiam,

materiam, quæ est primum subjectum substans, ac subinde in alio esse non potest; forma autem quæ non est in materia receptibilis, sed est per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest in alio recipi, & hujusmodi forma est Deus. Sed de his plura alibi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sit idem Deus quod sua natura vel essentia?

CAPVT PRIMVM.

Sensus tituli explicatur, & aperitur quomodo natura & suppositum in substantiis materialibus non differre dicantur.

DVo explicanda veniunt, quæ in præsenti quæstione solent negotium facessere, antequam conclusionem D. Thom. statuamus. Primum est, quid significet hoc nomen, Deus, cum inquiritur, an Deus sit idem quod sua essentia, vel natura. Secundum verò est, quomodo intelligendus veniat S. D. cum asserit, quod in his quæ non sunt composita ex materia & forma, natura & suppositum realiter non differunt, bene verò in compositis ex materia, & forma. Ratio primi dubij est, quia ex una parte videtur, quod hoc nomen, Deus, nonnisi pro supposito sumi debeat. Quoniam nihil aliud hic tractatur, nisi utrum suppositum & natura idem sint, an verò I.

distinguantur realiter, ut patet *in corp.* & *solut. ad* 2. Ex alia autem parte apparet non posse ullatenus de supposito intelligi; tum quia infra *quæst.*29. *art.* 2. inquirit S. D. *utrum persona sit idem quod essentia*, tum etiam quia hîc nullatenus de persona divina fit mentio, quæ tamen est idem quod suppositum in natura intellectuali.

2. 1.p.q.39. art.4.c. q 9. de pot. art. 4. Supponendum est quod hoc nomen Deus divinam significat essentiam ut in habente ipsam, sicut hoc nomen homo humanitatem in supposito. Sciendum est autem quod nominis concreti est duplex significatum; unum formale, quod propriè significatum dicitur; aliud materiale, quod sub significato formali accipitur, & ei supponitur, sicut determinatum sub indeterminato: v. g. significatum formale hujus nominis, animal, est animalis ratio; nimirum substantia corporea, animata sensibilis, significatum verò materiale, & suppositionis est homo, equus &c. quia supponuntur sub animali, tanquam determinatum sub indeterminato. Formale ergo significatum hujus nominis, Deus, est hic Deus per se primò subsistens essentialiter, seu communicabiliter sine divisibilitate formæ. Vel est ipsa deitas una numero non multiplicata, ut est ex modo significandi primò importans hunc Deum essentialiter subsistentem. Significatum verò quasi materiale, & suppositionis sunt supposita seu personæ in quibus talis forma significata, seu hic Deus essentialiter subsistens reperitur, & per proprietates relativas ultimò determinatur ad rationem talis personæ divinæ.

3. Dico igitur quod ly, *Deus*, hic sumitur pro significato

significato formali, & prout significat hunc Deum essentialiter, & absolutè subsistentem, estque suppositum deitatem habens, quod esto in re sit persona, cum sit in natura intellectualis; tamen quia persona significat proprietates relativas, quibus abinvicem personæ divinæ distinguuntur, nimirum paternitatem, filiationem &c. consultò S. D. non est usus nomine personæ, sed suppositi; quia nondum constabat quod Deus esset in personis trinus, & in essentia unus. Quapropter infra meritò inquirit, an persona sit idem quod essentia, quia persona supra rationem suppositi addit proprietates relativas distinguentes, ratione quarum potest dubitari an distinguantur abinvicem, licet Deus & deitas realiter idem esse constituantur. Ex loco cit. q. 9. de pot. & q. 29. 1. p. a. 4. 3. p. q. 3. art. 3.

4. Quoad secundum ratio dubitandi est, quia passim asserit S. D. quod in omni creatura, natura & suppositum realiter distinguantur, & in solo Deo sint realiter idem; sed Angelus est creatura spiritualis non composita ex materia & forma: ergo non est universaliter verum, quod in illis substantiis, quæ non sunt ex materia & forma compositæ natura & suppositum realiter non differunt. Quodlib. 2. q. 2 a. 2. 3. p. q. 17. art. 1. 1. dist. 5. 1. c.

5. Omissis variis dicendi modis, quos interpretes hîc excogitant, notandum est quod natura hic sumitur pro rei quidditate, substantia, seu essentia, quam significat ejus definitio; sicut natura hominis dicitur ipsius quidditas seu essentia, quam diffinimus per animal ratione mortale. Suppositum verò significat particulare in genere substantiæ, seu substantiam primam. Vnde suppositum est nomen secundæ impositionis, significans habitudinem ipsius parti- 1. p. q. 39. a. 1. quod. lib. 2. a 4. in 3 d. 6. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. & alibi.

cularis ad naturam communem, inquantum natura communis in ea ſubſiſtit. Qui quidem reſpectus tantummodo eſt ſecundùm rationem & modum ſignificandi. Vnde natura & ſuppoſitum non ſunt duæ res, itaut res quæ eſt ſuppoſitum ſit alia realiter ab ea quæ eſt natura, ſicut materia prima & forma ejus ſunt duæ res (aliàs natura communis de particulari non prædicaretur, cum unum prædicari de alio ſit eſſe illud;) ſed eſt alia quoad modum ſignificandi; natura enim ſignificatur ut pars formalis, ſeu ut quo; ſuppoſitum autem ut totum & habens naturam ſeu formam.

6. Ex quo ſequitur, quod cum rationes totius & partis diverſæ ſint, ſi contingat aliquid realiter ipſi ſuppoſito competere, inquantum eſt particularis ſubſtantia, quod ſit præter naturam ejus, tunc ſuppoſitum & natura diſtinguentur realiter; non quidem ſicut duæ res, ſed ſicut eadem res à ſeipſa ſecundùm aliam, & aliam rationem conſiderata, ſicut diſtinguitur corpus album à corpore eodem ſecundùm rationem corporis conſiderato, cui accidit albedo; & homo ſedens ab eodem homine non ſedente; quia homini ſecundùm quod homo eſt, ſedere contingit, & eſt præter eſſentiam ejus atque diffinitionem, qua explicatur quid ſit res. In omni autem creatura aliquid accidit, quod realiter eſt præter rationem ſeu eſſentiam, & naturam ſpeciei; unde in omni creatura ſuppoſitum realiter diſtinguitur à natura, inquantum natura, cum qua realiter eſt idem, habet aliquid aliud quod non eſt de ratione talis naturæ. Hoc tamen aliter evenit in ſubſtantiis corporeis, ſeu compoſitis ex materia & forma; & aliter

aliter in substantiis spiritualibus; & penes aliquid non distinguuntur natura & suppositum in substantiis spiritualibus, penes quod in corporalibus reipsa discriminantur.

Cujus rei gratia sciendum est ex S.D.*quodl.*2. *art.*4. *ad* 1.quod dupliciter consideratur aliquid substantiæ particulari accidere, seu esse accidens præter rationem rei: Vno modo quia non cadit in definitione significante essentiam rei, & tamen est designativum vel determinativum alicujus essentialium principiorum; sicut rationale accidit animali, utpote præter definitionem ejus existens; & tamen est determinativum essentiæ animalis, unde est essentiale homini, & de ratione ejus existens. Alio modo aliquid accidit alicui, quia nec est in ejus definitione, nec est determinativum alicujus essentialium principiorum, sicut albedo accidit homini. 7.

His ergo (inquit S. D.) quæ sunt composita ex materia & forma accidit aliquid præter rationem speciei existens utroque modo. Cum enim sit de ratione speciei humanæ v.g. quod componatur ex anima & corpore, determinatio corporis & animæ est præter rationem speciei, & accidit homini inquantum est homo, quod sit ex hac anima & ex hoc corpore; sed hoc convenit per se huic homini, de cujus ratione esset, si diffiniretur, quod esset ex hac anima, & ex hoc corpore, sicut de ratione hominis communis est, quod sit ex anima & corpore. Accidunt etiam compositis ex materia & forma præter rationem speciei multa alia, quæ nõ sunt essentialium principiorum determinativa, ut albedo, & similia homini. Substantiis verò immaterialibus crea- 8.

tis accidunt quidem aliqua præter rationem speciei, quæ non sunt determinativa essentialium principiorum; non tamen accidunt eis aliqua quæ sint determinativa essentialium principiorum, seu essentiæ speciei, quia ipsa natura speciei in substantiis spiritualibus, non individuatur per materiam, qua carent; sed per seipsam ex hoc quod talis forma est per se subsistens, & non est nata recipi in aliqua materia. Vnde per seipsam non est multiplicabilis, neque prædicabilis de pluribus.

9. Dicendum est itaque naturā & suppositum in omni creatura realiter differre, sed longè aliter in substantiis corporalibus, ac spiritualibus: Nam in corporalibus differunt, non modo per ea quæ communiter accidunt, & non sunt per se determinativa alicujus principiorum essentialium; sed etiam per propria & determinativa alicujus principiorum essentialium; nam hæc materia, & hæc forma sunt de ratione individui, & determinativa materiæ & formæ communis, quæ sunt principia speciei; & insuper communia accidentia, quæ in substantiis materialibus ad rationem individuationis conferre dicuntur. At in substantiis spiritualibus natura & suppositum non differunt per accidentia determinativa principiorum essentialium, sed communia, ut esse, & agerere &c. ut docet S. D. *ibidem.* Vnde in hoc articulo ipse agens de distinctione suppositi à natura, secundum ea ex quibus propriè differre solet suppositum à natura; discrimen constituit inter substantias sensibiles seu corporeas, & spirituales; quòd in illis differunt natura & suppositum, videlicet per propria accidentia determinativa speciei, in spiritualibus

ritualibus autem non differunt, nimirum per principia propria distinctionis numericæ, esto aliunde in substantiis spiritualibus creatis realiter distinguantur, nimirum quia suppositum addit esse, seu subsistere.

CAPUT II.

Deciditur quæstio, & solvuntur argumenta contraria.

Dicendum quod Deus est omnino idem in re quod sua natura vel essentia. Probat *in sed contra*, quia sicut se habet vita ad viventem, ita Deitas ad Deum; sed de Deo dicitur quod est vita, & non solum vivens, ut patet Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita:* ergo Deus est ipsa Deitas, seu essentia, & natura. Et profectò ita sentiunt communiter Patres: D. Iustinus quæst. 144. *Neque enim*, ait, *more naturæ creatæ est Deus, ut esse in ipso, & habere in concretione sive concreta intelligantur, sed ut natura extans, sic & esse ipsum, & habere omnem superant concretionem.* D. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thes. cap. 8. *Non est aliud natura Dei, aliud ipse Deus, Simplex enim atque imcompositus est.* D. Greg. Naziazenus orat. 49. *Quæ est*, inquit, *substantia Dei, nisi ipsum quod Deus, simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum.* Et paulo post: *Ergo ipsum quod est, hoc erit substantia ejus rei, quæ esse defenditur.* 10.

Deinde probat S. D. ratione quæ in hunc modum deduci potest: In his quæ substantiali- 11.

ter completa sunt in genere substantiæ, aut sunt primæ substantiæ ac particulares, sive supposita, si non sunt composita ex materia & forma, non differt suppositum & natura, (videlicet secundum principia propria individuantia de se determinativa principiorum essentialium speciei:) sed Deus est substantia prima, seu particularis non composita ex materia & forma, ut supra ostensum est: ergo in eo realiter non differunt suppositum & natura, seu Deus, & Deitas. Prob. maj. suppositum à natura intrinsecè differre nequit sicut alia res: ergo solùm ab ea differre potest sicut eadem res à seipsa habente aliquid præter rationem speciei, quod sit per se, ac proprium determinativum principiorum essentialium, sive naturæ speciei: sed in substantiis spiritualibus, atque in compositis ex materia & forma non est aliquod accidens præter rationem speciei, quod sit per se, propriumque determinativum illius in ratione suppositi, ac per se subsistentis: ergo in substantiis spiritualibus, & incompositis ex materia & forma non differunt realiter natura & suppositum, nimirum per principia propria distinctionis numericæ.

12. Major patet: essentia enim seu natura uniuscujusque rei est id quod significat definitio ejus: sed definitio est idem realiter cum definito, seu re habente naturam, dicitur enim ad convertentiam de definito: ergo si ab eo debet distingui, oportet quod sit per aliquid, quod non sit de ratione & definitione naturæ, sed accidat ipsi diffinito inquantum diffinitum est: nihil enim ab alio differt secundùm quod est idem illi: ergo si suppositum est idem naturæ realiter,

ter, in eo quod naturam habet, in eo quod naturam habet, differre minimè potest; sed differre debet per aliquid quod sit extra rationem naturæ speciei; v. g. homo est idem realiter naturæ hominis, quæ est animal rationale, & ex solo modo significandi differt: unde nunquam dicetur homo differre à natura hominis per animal rationale, sed per aliquid quod sit præter rationem ejus. Minor verò prob. substantiæ spirituales, non compositæ ex materia & forma, sed per se subsistentes, secundum propriam formam & quidditatem sunt substantiæ individuæ in rationali natura: ergo supposita: ergo esse suppositum non est præter quidditatem earum. Antecedens prob. quia non habent per quid dividantur materialiter, seu numericè: ergo per se sunt individuæ. Sed de his alibi diffusè.

Arg. 1. Nihil est in seipso; sed natura vel essentia Dei, quæ est deitas, dicitur esse in Deo: ergo videtur quod Deus non sit idem quod sua natura, vel essentia. Resp. ex S. D. distinguendo minorem, natura, vel essentia Dei, quæ est deitas, dicitur esse in Deo, quantum ad modum significandi, & prout est in acceptione intellectus nostri, concedo: quantum ad rem significatam, seu in re, nego. Quia enim de rebus simplicibus loqui non possumus nisi per modum compositorum, à quibus cognitionem accipimus: ideo de Deo loquentes utimur nominibus concretis, ut significemus ejus subsistentiam, quia apud nos non subsistunt nisi composita: Et utimur nominibus abstractis, ut significemus ejus simplicitatem. Quod ergo dicitur deitas, vel vita esse in Deo, referendum est ad diversitatem quæ est in acceptione in- 13.

tellectus

tellectus nostri, & non ad aliquam diversitatem rei.

14. Arg. 2. effectus assimilatur suæ causæ, quia omne agens agit sibi simile: sed in rebus creatis non est idem suppositum quod sua natura, non enim est idem homo quod sua humanitas: ergo nec Deus est idem quod sua deitas. Resp. S. D. quod effectus Dei imitantur ipsum, non quidem perfectè, sed secundùm quod possunt: & hoc ad defectum imitationis pertinet, quod id quod est simplex & unum, non potest repræsentari nisi per multa; & sic accidit in eis compositio, ex qua provenit, quod in eis non est idem suppositum quod natura.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm in Deo sit idem essentia quod esse?

1. De pot. q 7. art. 2.



ESSENTIA dicitur id cujus actus est esse. Nam cum duplex sit actus formæ, scil. esse, & operatio, essentia propriè secundum quod essentia est, dicitur per ordinem ad actum, qui est esse; mediis autem potentiis, quæ in ea radicantur, dicit ordinem ad actum, qui est operatio. Sermo igitur est de esse, prout est actus essentiæ quod solet dici existentia, prædicaturque ut secundum adjacens, dicendo, res est, seu existit; non verò sumitur *esse*, prout significat compositionem enunciationis; sic enim verificatur tam de his quæ actu sunt, quam de illis quæ actum essendi non habent. Vnde sensus est, utrum Deitas sit idem realiter formaliter cum esse, & ex solo

modo

modo significandi distinguantur; cum esse, inquam simpliciter, & absolutè dicto.

Conclusio D. Thomæ est; Deus non solùm est sua essentia, sed etiam est suum esse. Hanc sublimem veritatem Moyses à Domino edoctus est, qui cum ab eo quæreret *Exod.* 3. dicens; *Si dixerint filij Israël, quod est nomen ejus, quid dicam eis?* Dominus respondit. *Ego sum qui sum, ait; sic dices ad filios Israël, Qui est misit me ad vos*; Sed quodlibet nomen est institutum ad significandum naturam, seu essentiam alicujus rei: ergo ipsum divinum esse est sua essentia, vel natura. Hanc etiam veritatem Catholici Doctores professi sunt; ait enim D. Hilarius lib. 6. de Trinit. *Esse non est accidens in Deo, sed subsistens veritas*; id ergo quod subsistit in Deo est suum esse. 2. 1. cont. gent. cap. 22.

Prima ratio D. Thom. est: Deus est simpliciter prima causa efficiens: sed primæ causæ efficienti repugnat, quod non sit suum esse: ergo Deus est suum esse. Prob. minor: quidquid habet esse, & non est ipsum esse, acquirere debet esse ab alia causa efficienti: Sed prima causa habet esse: ergo si non est suum esse, oportet ut illud esse ab alia causa efficienti acquirat, & sit causatum. Prob. major: quidquid convenit alicui, quod est præter essentiam ejus, oportet esse causatum, vel à principiis essentiæ, (sicut accidentia propria consequentia speciem, v. g. risibile consequitur hominem, & causatur ex principiis essentialibus speciei) vel ab aliqua causa extrinseca, atque principio efficienti exteriori; sicut calor in aqua causatur ab igne: sed impossibile est quod ipsum esse sit tantummodo causatum ex principiis essentialibus rei, 3. Hic, & 1. cont. gēt. c. 22. rat. 3.

seu

ſeu ſpeciei : igitur quidquid habet eſſe, & non eſt ipſum eſſe, accipere debet eſſe ab aliqua alia cauſa efficienti, ſeu ab alio principio exteriori. Major patet, quia cauſa dans eſſe, eſt efficiens, ſive propriè & per verum influxum, ut generans dat eſſe genito : ſive impropriè & per metaphoricum influxum, ſicut eſſentia dicitur proprietates cauſare, quia ad eſſe illius naturaliter conſequuntur, ac reſultant. Minor verò probatur, impoſſibile eſt quod aliquid ſibi ſit cauſa eſſendi ſimpliciter ; eſto poſſit ſibi eſſe cauſa eſſendi ſecundùm aliquod eſſe accidentale, quod eſt eſſe ſecundum quid : ſed ſi ipſum eſſe ſimpliciter eſſet tantummodo cauſatum ex principiis eſſentialibus rei, eſſet ſibi cauſa eſſendi ſimpliciter : igitur impoſſibile eſt quod ipſum eſſe ſit tantummodo cauſatum ex principiis eſſentialibus rei. Prob. major : prius eſt ſecundùm intellectum ſaltim, cauſam effectivam eſſe, quam effectum, quia in tantum aliquid agit inquantum eſt actu : ſed ſi aliquid eſſet ſibi cauſa eſſendi, intelligeretur eſſe antequam haberet eſſe : ergo impoſſibile eſt quod aliquid ſit ſibi cauſa eſſendi ſimpliciter.

4. Ibid. & opuſc. 2. c.11.& 31. Secunda ratio D.Thom. in hunc modum deducitur : omnis actus qui eſt circa ultimum actum, eſt in potentia ad illum : ſed ultima actualitas, ſive ultimus actus omnis rei eſt ipſum eſſe, nulla enim natura vel forma eſt actu, niſi inquantum eſt, vel ſignificatur eſſe : ergo oportet ut eſſentia ejus, quæ eſt ut primus actus, vel ſit ipſum eſſe & ultima actualitas ; vel ſit potentia ad eſſe : ſed in Deo repugnat potentialitas : ergo Deus eſt ſuum eſſe. Prob. maj. in ordine potentiarum & actuum, quod eſt prius,

nimirum

nimirum viâ generationis & compositionis, & potentiale respectu sequentis, & ultimum est completivum illius in uno & eodem: sed omnis actus qui est circa ultimum actum, viâ generationis præcedit illum, vt patet: ergo omnis actus, qui est circa ultimum actum est potentia ad illum.

5. Tertia ratio D. Thom. est: Deus est primum ens simpliciter: sed necessum est, ut primum ens sit suum esse: ergo Deus est suum esse. Minor prob. quod est per participationem alicujus, seu esse ab alio participat, nequit esse primum ens: sed id quod non est suum esse, oportet ut ab alio esse participet: ergo necessum est ut primum ens simpliciter sit suum esse. Major patet, quia id quo aliquid participat, ad hoc ut sit, prius est eo quod ipsum participat, sicut ignis prius est ignito, quod participat ignem. Minor verò prob. omnis res est, per id quod habet esse: sed quod est, & non per essentiam suam, est per participationem: ergo id quod est, & non est suum esse, seu ens per essentiam, oportet ut ab alio participet esse, sive sit ens per participationem. Minor hoc exemplo declaratur: quod habet ignem, & non est ignis, est ignitum per participationem ejus quod essentialiter est ignis; v. g. ferrum candens habet ignem, & essentialiter non est ignis, quia non habet formam substantialem ejus, sed ferri speciem: unde ferrum dicitur ignitum per participationem: ergo similiter illud quod est, & non est per essentiam ejus, est ens per participationem. Hanc rationem insinuat D. Hieronymus citatus in Glossa exodi 3. dicens: *Nunquid*

quid solus Deus erat, & cætera non erant? Utique erant Angeli, Cœlum, terra, & ipse Moyses, & Ægyptii, sed commune nomen substantiæ proprium sibi vendicat, quia cætera ut sint, Dei sumpsere beneficio. Deus verò, qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est, suaque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit. Nam in igne aliud est calidum, aliud calefactum.

6. Circa hanc rationem advertendum est ex S. D. quod aliquid dicitur participare aliud, inquantùm totaliter non est ipsum (dicitur namque participare quasi partem capere:) Etenim si totaliter esset illud, seu secundum se totum, jam esset idem per essentiam, & non per participationem: Sicut ignis non est per essentiam calor, sed ipsum participat, quia non est secundùm se totum calor, sed aliquid aliud præter essentiam & formam caloris, nempe totum quoddam substantiale, cui calor ipse convenit. Quod autem unum non sit idem alteri totaliter, seu secundum se totum, sed illi accidat, dupliciter contingit: primò realiter, secundum quod nimirum addit aliquid realiter ei: Sicut corpus album realiter non est idem totaliter corpori quod albedinem participat, quia ad corpus addit albedinem, quæ est realis quædam perfectio ipsius corporis. Et quod sic participatur debet esse realiter extra essentiam, & quidditatem ejus, cui convenit, sive sit accidens prædicamentale, sive prædicabile. Secundò per intellectum, inquantum videlicet realiter & secundum naturam est idem ipsi seu eadem res; attamen addit secundum rationem aliquid quod intelligitur actu non esse de ratione ejus,

1. metap. lect. 10. & quodl. 2. q. 2. a. 1.

sed

sed determinat ipsum, licet potentia formali indeterminata sit in eo; quo pacto rationale addit animali in homine, & sic homo dicitur participare animal, licet substantialiter sint eadem res. Primo modo essentia, seu id quod est dicitur participare ipsum esse, nimirum ut aliquid realiter existens præter essentiam ejus, non quidem per modum quo accidens est extra essentiam subjecti cui inhæret, sed eo modo quo actus est extra essentiam ejus, quod est potentia ad ipsum, seu ab eo realiter perfectibile. Et Deus dicitur esse ens per essentiam, quia omnimodè essentia divina realiter est suum esse, secundum se totum, licet ex modo significandi, & concipiendi distinguantur, & concipiantur unum ut non totaliter aliud. Videnda sunt quæ diximus *tomo 6. clyp. philos. quæst.3.* præcipuè *art.5.*

Arg. 1. Si in Deo realiter esset idem essentia & esse, maximè quia ad esse divinum nihil additur, sed est omnino simplex: sed hoc non: ergo in Deo non est idem realiter essentia & esse. Prob. minor: esse cui nulla sit additio est esse universalissimum & commune, quod de omnibus prædicatur, & in omnibus rebus imbibitur: sed Deus non est ens commune prædicabile de omnibus: ergo non est esse cui nulla sit additio. Prob. minor, quia hoc nomen Deus est incommunicabile, secundum illud Sapientis 14. *Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus imposuerunt:* hoc est, nomen Deitatis, lapides & Deos nominantes: nomen autem incommunicabile naturam incommunicabilem significat. 7.

Resp. S. D. quod dupliciter intelligitur alicui 8.

cui non fieri additionem: primo, itaut de ratione ejus sit quod non fiat, vel fieri possit additio; sicut dicimus esse de ratione animalis irrationalis ut sit sine ratione, quia nullatenus fieri potest ut ei addatur per quod rationale fiat: secundò intelligitur alicui non fieri additionem, quia non est de ratione ejus quod ipsi fiat additio; sicut animal commune est sive ratione, quia non est de ratione ipsius ut habeat rationem; sed nec de ratione ejus est, ut careat ratione. Primò igitur modo esse sine additione est esse divinum, quod est summè perfectum: secundò modo esse sine additione est esse commune, de cujus ratione non est ut ei fiat additio, cum non sit de ratione ejus quod sit substantia vel accidens, sed indifferens ad utrumque & communicabile.

9. Arg. 2. de eodem non possumus scire, & ignorare: sed de Deo possumus scire an sit, cum possit demonstrari Deum esse, nescimus autem quid sit: ergo non est idem esse Dei, & quodquid est ejus; seu natura vel quidditas est esse ejus.

10. Resp. S. D. quod esse dupliciter dicitur; uno modo significat actum essendi; alio modo significat compositionem propositionis, quam anima adinvenit conjungens prædicatum subjecto. Primò modo accipiendo esse est ipsa Dei natura & essentia, & sicut non possumus scire essentiam, ita nec esse hoc modo sumptum; quia hoc modo non scitur de aliqua re an sit, nisi sciatur quid nomen significat, Dei autem non est aliquod nomen, quod perfectè ipsum exprimat, cum sit ineffabilis; sed tantummodo imperfectè ipsum adumbrare potest, ex effectibus creatis

creatis ad ipsum nominandum deveniendo. Secundò autem modo scimus Deum esse, id est, scimus quod hæc propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus, *Deus est*, vera est: & hoc scimus ex ejus effectibus, ut dictum est.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Deus sit in aliquo genere.

CAPVT PRIMVM.

Statuitur conclusio, & probatur ex PP.



Otat S. D. *in corp.* quod aliquid est in genere dupliciter; uno modo simpliciter & propriè, sicut species, quæ sub genere continentur; alio modo per reductionem, sicut principia & privationes; v. g. punctus & unitas ad genus quantitatis reducuntur sicut principia; cæcitas autem, & omnis privatio reducitur ad principium sui generis. 1.

Prima conclusio: Deus non continetur in aliquo genere propriè, & sicut species alicujus generis (ac subinde neque ut individuum, quia omne individuum participat speciem aliquam ejus generis sub quo est; multò minus ut genus, cum genus sit quid potentiale & imperfectum, de multisque specie differentibus prædicabile, quod divinæ essentiæ unitati perfectissimæ repugnat.) Huic D. Thomæ assertioni, quæ apud Theologos communior est, suffragantur Patres. Et imprimis D. Dionysius *cap.* 1. 2.

de divin. nom. ubi ait: Deum esse *supra substantiam.* D. Clemens Alex. lib. 11. thes. cap. 1. *Quidquid*, ait, *ita dicitur de alio, ut quid sit essentialiter significet, vel sicut genus, vel sicut species, vel sicut differentia, vel sicut definitio, de ipso prædicatur. Horum enim quatuor solummodo aliquid interrogationi quid est, verè accomodatur. Ingenitum autem nec ut genus, nec ut species dici de Deo potest. Genus enim & species, alterum specie, alterum numero de multis dicuntur: ingenitum verò de solo Deo dicitur. Sed nec ut definitio de Deo ingenitum prædicatur; tunc quia definitio non vocabulum unum, sed oratio est; tum quia privativa nomina non quid est; sed quid non est significant: Relinquitur ergo, si neque ut genus, neque ut species, neque ut sicut substantialis differentia prædicetur. Quod etiam falsum est. Videmus enim substantialem differentiam in compositis solum inveniri, Deus verò simplicissimus est.* Insuper D. Gregorius Nazianz. orat. 34. *Fieri*, inquit, *omnino non potest quin circumscritus sit Deus, si animo & cogitatione comprehendi potest, unum quippe circumscriptionis genus circumscriptio quoque ipsa est.* Quod si in genere ponitur, quomodo animo & cogitatione non comprehenditur, cum genus quodlibet determinatam sortiatur rationem?

3. Præterea D. August. *lib. 5. de Trinitate*, in nullo genere accidentium Deum concludi ostendit (quod nullus negat, & nos *infra art. 6.* ostendemus.) De genere autem substantiæ loquens lib. 7. cap. 4. ita habet; *Res verò mutabiles neque simplices propriè dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit, ut substantia propriè dici possit, in eo inest aliquid tanquam in subjecto, & non est simplex,*

plex, cui hoc sit esse, quod illi est; & quidquid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, & si quid hujusmodi de Deo non incongruè dicitur. Nefas est autem dicere ut subsistat, & subsit Deus bonitatis suæ atque illa bonitas non substantia sit vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subjecto. Unde manifestum est Deum abusivè substantiam vocari. Quod si dicatur eam à Deo substantiam duntaxat excludi, quæ habet accidentibus substare, nihil retulerit; cum substare accidentibus sit aut essentia, vel proprietas illius substantiæ, quam Philosophi agnoverunt genus speciale prædicamenti, & à substando accidentibus nomen traxit, ut omnes fatentur. Si ulterius recurratur ad substantiam quandam abstrahentem à creata, & increata, quæ sit genus hujus prædicamenti; non majus pondus habet; quia illa immediatè debebit respicere Deum ut speciem quandam, & ut quid prius Deo ex parte rei objectæ, quod statim ostendemus inconveniens, & absurdum esse. Tandem D. Anselmus *in Monologio c. 25.* ita habet; *Sed si ratum est, quod de hujus natura simplicitate perspectum est, quomodo substantia est? Nam cum omnis substantia admixtionis differentiarum, vel mutationis accidentium sit susceptibilis; hujusmodi immutabilis sinceritas omnimodè admixtioni, sive mutationi est inaccessibilis: quomodo ergo obtinebitur eam esse quamlibet substantiam; nisi dicatur substantia pro essentia, & sic sit extra, sicut est supra omnem substantiam?* Et statim cap. 26. *Constat igitur, quia illa substantia nullo communi tractatu substantiarum excluditur, à cujus essentiali communione omnis natura exclu-*

ditur. Nempe cum omnis ſubſtantia tractetur, aut eſſe univerſalis, quæ pluribus ſubſtantiis eſſentialiter communis eſt, ut hominem eſſe commune eſt ſingulis hominibus; aut eſſe individua, quæ univerſalem eſſentiam communem habet cum aliis, quemadmodum ſinguli homines commune habent cum ſingulis ut homines ſint, quomodo aliquis ſummam naturam in aliarum ſubſtantiarum tractatu contineri intelligit, quæ nec in plures ſubſtantias ſe dividit, nec cum aliqua alia per eſſentialem communionem ſe colligit.

CAPVT II.

Probatur concluſio rationibus D. Thomæ.

4. PRobat eam *in ſed contra* D. Thomas, hoc pacto: genus ſecundum intellectum, ex parte rei objectæ, quæ denominatur genus, eſt prius eo quod in genere continetur: ſed Deo nihil eſt prius, neque ſecundùm rem, neque ſecundùm intellectum ex parte rei objectæ: ergo nullatenus Deus in aliquo genere eſſe poteſt. Major patet, nam illud dicitur naturâ prius, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia; non valet autem à genere ad ſpecies vel individua, quæ ſub eo continentur. Minor verò prob. illud quod admittitur Deo prius ſecundum intellectum debet ſe habere quodammodo in ratione principij & cauſæ ipſius; ſed impoſſibile eſt, etiam ſecundum intellectum, poni aliquid quod ſit habeat ex parte rei cognitæ ut principium & cauſa ipſius Dei, quia de ratione ejus eſt abſque principio eſſe; ſicut impoſſibile eſt concipere bovem

bovem absque defectu rationis, quia iste defectus est de ratione essentiali ipsius: ergo nihil potest poni prius, etiam secundum intellectum ex parte rei objectæ, ipso Deo. Prob. maj. quia intelligitur ut prius ordine generationis, vel ordine perfectionis? si ordine generationis est prius secundum potentiam, & causam materialem: si ordine perfectionis est prius secundum actum, & in ratione dandi esse: ergo illud quod admittitur esse Deo prius secundum intellectum, ex parte rei objectæ debet esse prius ordine perfectionis, & ut actus, vel principium dans esse: vel ordine generationis, & ut potentia, atque secundum modum causæ materialis. Quo pacto genus dicitur natura prius speciebus, & quodammodo causa, ac principium earum. Dixi ex parte rei cognitæ, seu objectæ Deo nihil esse prius secundum intellectum, nam ex parte modi cognoscendi aliquid concipimus prius, nimirum effectus creatos: sed ut sit genus, vel species debet esse prius ex parte rei cognitæ; genus quidem est prius specie via generationis; sed species ordine perfectionis præcedit.

. Deinde probat S. D. *in corp.* triplici ratione, 5.
quarum prima est: illud quod in aliquo genere Dist. 8. q.
ut species constituitur, debet ex differentia & 4. art 2.
genere componi: sed hoc repugnat Deo: ergo ei etiam repugnat in genere per se collocari sicut speciem sub genere. Maj. patet, quia omnis species ex genere & differentia constituitur. Prob. minor, impossibile est quod in Deo fiat aliqua additio unius ad alterum per modum quo actus potentiæ additur: sed species fit per additionem differentiæ ad genus per modum

quo actus potentiæ additur: ergo omnino repugnat Deo compositio ex genere & differentia. Major patet, quia Deus est purissimus, ac simplicissimus actus: ex eo quod purissimus actus excludit omnem potentialitatis rationem: ex eo autem quod est actus simplicissimus omnem additionem excludit: quia de ratione simplicissimi est, quod nulla omnino fiat ipsi additio; nam omnis additio compositionem quandam importat.

6. Minorem probat S. D. nam animal sumitur à natura sensitiva per modum concretionis: hoc enim dicitur animal, quod naturam sensitivam habet; rationale verò sumitur à natura intellectiva, quia rationale est, quod naturam intellectivam habet: sed intellectivum comparatur ad sensitivum sicut perfectum ad imperfectum in linea vitæ, vel sicut actus ad potentiam; quia sensitivum potentiâ est rationale, & habet determinari per ipsum: ergo species fit per additionem differentiæ ad genus per momodum quo actus additur ad potentiam, saltim ex parte ejus, unde sumitur differentia, & illius à quo sumitur genus. Ad pleniorem rationis intelligentiam vide quæ diximus tomo 1. clypei philos. part.2. q.6. art.4. ubi fusè ostendimus quomodo gradus genericus se habeat ut quid potentiale, & determinabile per differentiam.

7. Resp. aliqui, quod licet potentialitas in re Deo repugnet, non tamen compositio ex genere & differentia, quæ tantùm rationis est, nullam potentialitatem in re includens, sed solum Logicè, & ex modo concipiendi; quatenus scilicet conceptus genericus per modum determinabilis,

nabilis, & perfectibilis concipitur, ac significatur; differentia verò per modum determinantis atque perficientis exprimitur, licet ab eadem simplici forma in re proveniant, præsertim in substantiis immaterialibus, ut sumitur ex S. D. 1. p. q. 50. art. 2. ad 1. Vbi notat D. Cajetanus D. Thomam non ex parte rei, sed solius considerationis nostræ genus à differentia in Angelis distinguere. Cum ergo non implicet ex parte considerationis nostræ rationem intellectualitatis purissimæ, quæ est veluti differentia constitutiva ipsius divinæ naturæ, distinguere, nihil obstat quominus Deus ex genere & differentia constitui, ac subinde in genere collocari dicatur.

Sed contra est: quia licet in substantiis im- 8.
materialibus realiter ab eadem forma sumantur D. Thomas de ente & essen. c. 6.
genus & differentia, non tamen secundum eandem rationem, nam in eis desumitur genus prout forma illa habet quodammodo accedere ad non esse, seu recedere ab esse actuali; differentia verò sumitur ab eadem prout ad actualitatem essendi accedit, & imitatur Deum in perfectione essendi secundum suam formalem speciem; sed in Deo nullatenus concipi potest aliqua ratio formæ accedentis quodammodo ad non esse, & recedentis à perfectissima essendi actualitate, cum sit suum esse, & actus purissimus: ergo neque in ipso poterit cum fundamento in re concipi aliqua ratio generis, cui intelligatur addere aliqua differentia, per majorem accessum ad actualitatem essendi. Plura diximus tom. 2. clypei Philos. quæst. 4. art. 3. §. 1. vide ibi.

Secundò probat sic: Si Deus in aliquo gene- 9.

Hic,& in 1. dist. 8. q. 4. a. 2. re collocaretur, tale genus non posset esse nisi ens: sed ens ex Philosopho 3. *metaph. text.* 10. nequit esse genus: ergo nullatenus in genere Deus constitui potest. Maj. prob. omne genus debet ipsius rei essentiam significare, cum prædicetur in quid; sed nullum prædicatum præter ens potest quidditatem & essentiam Dei significare: igitur si Deus in aliquo genere collocaretur, tale genus non posset esse nisi ens. Prob. min. essentia Dei est formaliter & quidditativè ipsum esse simpliciter & illimitatum præhabens in se omnes perfectiones eminenter, id est, cum plenitudine absque defectu, cum unitate absque compositione & universalitate; sed nullum genus sub ente contentum est essentialiter & quidditativè hujusmodi esse: ergo nullum prædicatum præter ens, potest quidditatem & essentiam Dei significare. Major ex dictis patet, & ulteriùs manifestabitur *quæst. seq. art.* 2. eamque insinuat D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 6. dicens: *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei quod omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse: Quid item Deus? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est, & omnium esse... Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: non quasi in loco, sed quasi in virtute.* Minor verò prob. quia quodlibet genus sub ente contentum est pars subjectiva entis, & quodammodo potestatem, & ambitum ejus contrahit, ut patet in omnibus generibus; unde substantia non

continet

continet in se essentiam, seu esse quantitatis, vel è contra: ergo non continet illimitatè omne esse. Primam minorem etiam probat D.Thomas: omne genus differentias habet, quæ extra essentiam illius sunt: sed nulla differentia posset inveniri, quæ esset extra ens, cum ens in omnibus rerum differentiis intrinsecè includatur, quia non entis non potest esse differentia: ergo ens nequit esse genus. Vide quæ diximus.

10. Tertiò probat sic: Omne, quod est in genere, habet quidditatem, seu essentiam differentem ab esse, (nimirum actualis existentiæ) ita ut esse accidat illi: sed in Deo esse suum est sua quidditas & essentia, itaut esse nullo modo possit ei accidere: ergo Deus in genere non ponitur ut species ejus. Minor ex dictis patet, nam aliter esse accideret quidditati Dei, & ita esset sibi acquisitum ab alio, & non haberet esse per essentiam suam. Major verò prob. illi quidditati, secundùm hoc quod in genere collocatur, non debetur esse in actu secundùm se, sed tantummodo ex hoc quod est suscepta in hoc, & in illo, quod est præter rationem ejus, & ei accidit; v. g. humanitati, ex hoc quod est humanitas, non debetur esse in actu: potest enim cogitari humanitas, & tamen ignorari, an aliquis homo sit, vel existat actu: quod secus se haberet, si esse actu de ratione illius esset, cum nihil concipi queat sine eo quod est de ratione essentiali ipsius: igitur omne quod est in genere habet quidditatem differentem ab esse.

1. dist.8. q.4.art. 2.

CAPUT

CAPVT III.

Solvuntur argumenta contraria.

11. ARg. 1. Omne quod eſt, vel eſt ſubſtantia, vel accidens : ſed Deus non eſt accidens : ergo eſt ſubſtantia. Cum igitur ſubſtantia prædicetur de ipſo ſicut prædicatum ſubſtantiale, & non converſim, quia non omnis ſubſtantia eſt Deus, videtur quod de ipſo prædicetur ſicut genus, & ita Deus eſt in genere ſubſtantiæ. Conf. ſubſtantia eſt, quæ non eſt in ſubjecto ſed ens per ſe : ſed hoc Deo maximè competit : ergo eſt in genere ſubſtantiæ. Conf. 2. Vnumquodque menſuratur per aliquod ſui generis, ſed Deus eſt menſura omnium ſubſtantiarum, ut patet per Comment. 10. *metaph.* ergo Deus eſt in genere ſubſtantiæ.

12. Reſp. S. D. *ibid.* quod Deus ſimpliciter non
1. diſt.8. eſt accidens, nec tamen omnino propriè poteſt
q.4 a.2. dici ſubſtantia : tum quia nomen ſubſtantiæ
ad 1. dicitur à ſubſtando : tum quia ſubſtantia quid-
& hîc. ditatem nominat, quæ eſt aliud ab eſſe ipſius. Vnde iſta diviſio entis in ſubſtantiam & accidens, eſt diviſio entis creati. Poteſt tamen Deus largo modo ſubſtantia dici, quatenus omne illud dicitur ſubſtantia, quod non eſt accidens, intelligendo per nomen ſubſtantiæ aliquod eminentiſſimum per ſe, quod intelligitur eſſe ſupra omnem ſubſtantiam creatam, continens tamen omne illud, quod in ſubſtantia perfectionis reperitur, abſque imperfectionum fæce. Et tunc de ſolo Deo ſubſtantia prædicabitur,

cabitur, unde magis erit prædicatum proprium, quam genericum. Quapropter non dicitur substantia de Deo, & creaturis univocè, sed analogicè, propter diversum modum prædicandi. Et hæc potest esse alia ratio, quare Deus non est in aliquo genere, quia scil. nihil de ipso & aliis univocè prædicatur.

Resp. ad 1. conf. S. D. *loc. cit.* quod substantiæ nomen, prout est genus, non dicit solum per se esse, sed naturam & essentiam cui competit sic esse, id est, per se esse, itaut esse non sit essentia ipsa, sed accidat quodammodo illi: quod quidem esse Deo respectu essentiæ illius non convenit, cum essentia Dei formaliter sit suum esse. Resp. ad 2. Conf. ex eodem S. D. *locis cit.* quod Deus dicitur mensura omnium substantiarum non sicut mensura homogenea, & ejusdem rationis; sed tanquam id quod est perfectissimum & simplicissimum omnium substantiarum? Vnde non oportet, quod sit in genere substantiæ sicut contentum sub illo, quasi pars subjectiva univocè conveniens cum aliis substantiis; sed sicut principium in se omnem illius generis perfectionem habens, & non modò illius, sed & omnium generum ad nullum illorum determinatur. 13.

Arg. 2. Deo non repugnat distinctio rationis: ergo neque compositio ex genere & differentia; ac subinde neque repugnat quod in prædicamento sicut species collocetur. Antec. patet, nam hæc reperitur inter attributa, & essentiam. Conseq. prob. quia omnis distinctio aliquam compositionem supponit. Conf. non repugnat concipere aliquid in Deo per modum potentiæ & actus, seu perfectibilis, & perficientis: 14.

cientis : sic enim intellectus concipitur ut potentia ad intelligere, & voluntas ut actus primus ad velle ut actum secundum : igitur neque repugnat compositio ex genere & differentia, ex eo quod genus se habeat ut aliquid perfectibile per differentiam.

15. Resp. quod in Deo equidem non repugnat distinctio rationis, bene verò compositio ex genere, & differentia; quia hæc necessariò ex parte objecti potentialitatem aliquam inducit, ac subindè intrinsecè imperfectionem involvit. Secus verò distinctio rationis, quæ ex parte objecti summam simplicitatem cum plenitudine essendi plurium rationum unitivè, & absque imperfectione includit, & solum effectivè, & ex parte concipientis plures rationes involvit, ut diximus ex D. Thoma *in 1. dist.2. q.1. art.3.*

16. Resp. ad conf. quod ex parte rei significatæ nihil potest concipi ut perfectibile, quia ille actus primus ex parte rei essentialiter est conjunctus cum actu secundo; licet ex modo significandi id exprimere non valeamus, ut dictum est. Sumitur ex D. Thom. 1. d. 23. art.1. c. *In divinis cum Deus sit actus purus non permixtus potentiæ, non est aliquid in eo significabile per modum potentiæ non conjunctæ actui, & actus ut distinguibile, & distinctum.*

ARTICV

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum in Deo ſint aliqua accidentia?

CONCLVSIO : in Deo nequit aliquod accidens eſſe. Contrarium opinati ſunt quidam aliqui Philoſophi ſentientes in Deo quædam accidentia, ſeu intentiones reperiri, id eſt formas quaſdam extra ſubſtantiam ejus inexiſtentes, ut refert D. Thomas 1. *cont. gent. cap.* 23. & Commentator *lib.* 12. *metaphyſ. text.* 39. Hæc tamen concluſio eſt de fide, & communis inter SS. Patres, & Theologos. Definita eſt expreſsè à D. Leone Pontifice epiſt. decret. q.3. ad Torebium cap.5. dicente : *Solus Deus nullius participationis eſt indigens : de quo quidquid dignè utrumque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia. Immutabili enim nihil accidit nihil deperit : quia eſſe illi quod eſt, ſemper æternum, ſemper proprium ei eſt.* Idem definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ubi ſtatutum eſt Deum eſſe omnino ſimplicem : quod enim accidentia ſortitur, ſimplex omnino non eſt. Eandem aſſerunt D. Cyrillus Alexand. lib.11.theſ.cap.1. ſcribens : *Accidens Deo nullum ineſſe poteſt. Perfecto enim ex ſeipſo nihil poteſt accidere.* Et infra : *Sapienter*, inquit, *dicitur nihil accidere ſubſtantiæ Dei : quoniam in ſeipſa perfecta eſt.* S.Gregorius Nyſſenus homil.5. in Cantica : *Nihil eſt*, inquit, *quod circa ipſam* (nimirum divinitatem) *conſideretur; non tempus, non locus, non figura, non quantitas, &c.* Inſuper D. Auguſt. lib.5. de Trin. cap.4. *Nihil,* 1.

ait,

ait, *accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile.* Idem docet cap.5.15.& 16. Tandem idipsum docent, D. Basilius *epist.*141. *ad Cæsarienses.* D. Athanasius *epist. ad Episcop. Africæ.* Marius Victorinus *lib.*1. *cont. Arrianos Nicetos in orat.*40. D.Greg. Nazianz. & alii. Idem Philosophi non pauci naturali rationis ductu assequuti sunt.

2. Probat S. D. *in sed contra:* Omne accidens est in subjecto: sed Deus nequit esse subjectum, scil. inhæsionis: ergo in Deo non sunt accidentia. Minor prob. ex Boëtio *lib.de Trinit.* dicente, quod forma simplex nequit esse subjectum: Deus autem est simplicissimus, ut *art. seq.* ostendetur. Circa quam rationem adverte, quod est sermo de forma simpliciter simplici, & quæ est suum esse: nam Angelus est forma simplex, & tamen in eo accidentia reperiuntur, quia Angelus non est suum esse. Etenim forma simplex, quæ est suum esse, nihil præter quidditatem suam habet, unde in ea idem esse oportet, esse, quam id quod est, quoquo modo. Quod insinuavit D.August. lib.6. de Trinit. cap.6.& 7. dicens: *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur: Sed non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.*

3. Deinde probat *in corp.* triplici ratione: Prima est: subjectum comparatur ad accidens quod illi convenit sicut potentia ad actum, & perfectionem quandam: accidens enim quodammodo subjectum in actu esse præstat, & perficit secundum quid, seu aliquod accidentale, v. g. sapientia

ſapientia perficit ipſum, ſecundum hoc quod eſt eſſe ſapiens: ſed Deus eſt puriſſimus actus omnem à ſe potentialitatem removens: ergo in eo accidentia eſſe nequeunt.

Secunda ratio eſt: Ex Boëtio *lib. de hebdom.* 4.
licet, id quod eſt, aliquid aliud poſſit adjunctum habere, tamen ipſum eſſe nihil aliud adjunctum habere poteſt; ſicut id quod eſt homo poteſt habere aliquid aliud præter humanitatem; tamen humanitas nihil præter eſſentiam hominis habet; & calidum poteſt aliquid aliud habere quam calorem, ſed calor nihil omnino extraneum ab eſſentia caloris admittit, quia conſideratur ſecundum ſe; ſed Deus per eſſentiam eſt ipſum eſſe ſuum: ergo nihil habet præter eſſentiam ſuam. Majorem declarat S.D. *opuſc.69.* animadvertens, hoc omnibus formis abſtractè conſideratis commune eſſe, ut nihil habeant in ſe, quod præter eorum ſit eſſentiam & naturam, ſive ſubſtantiam: ſignificantur enim ut id quo aliquid eſt formaliter tale, ſicut albedo eſt id quo aliquid eſt formaliter album; & humanitas eſt quâ homo formaliter eſt homo; ſed nihil eſt formaliter album niſi per formam albi, ſeu id quod habet albedinis eſſentiam & naturam; & nihil eſt homo formaliter niſi humanitate: ergo ipſum eſſe abſtractè conſideratum nihil præter id quod per eſſentiam eſt ipſum eſſe, admittit; ac ſubinde nullum accidens, quia hoc eſt participans eſſe, & non per eſſentiam ipſum eſſe. Id quod eſt verò, ſeu concretum ſignificatur ut ipſam formam habens; ex hoc autem quod aliquid habet aliquam naturam, non prohibetur aliquid aliud habere, quod ad ejus rationem non pertineat. Ex hoc enim quod homo

homo humanitatem habeat, non prohibetur quin habeat & aliam naturam, seu formam, puta sapientiam, albedinem, &c.

5. Tertia ratio est; accidens reale, quod est actus subjecti, nequit esse nisi duplex, nimirum commune, & proprium: sed neutrum horum Deo accidere potest: ergo in Deo accidentia esse non possunt. Prob. minor de accidenti communi; nam accidenti communi naturaliter prius est aliquid aliud: sed in Deo nihil potest esse quod realiter posterius sit, aut prius alio: ergo in Deo reperiri nequit aliquod accidens commune. Major patet, quia accidens commune est ens in alio & secundum quid, sed hoc prius est ens per se, cum sit causa ejus: ergo accidenti communi realiter aliquid est prius. Minor etiam est evidens, quia quidquid est in Deo, Deus est, cum sit omnino simplex atque suum esse; sed quidquid est Deus, est primum ens simpliciter: ergo in Deo nihil esse potest quod sit realiter altero posterius. De accidenti autem proprio prob. quia accidentia propria causantur ex principiis subjecti; sed nihil potest esse in Deo causatum: ergo nequeunt in eo aliqua accidentia propria reperiri.

6. Arg. 1. Sapientia, virtus, & hujusmodi Deo attribuuntur: sed hæc sunt accidentia in nobis: ergo etiam in Deo. Conseq. prob. quia quod est in uno substantia, in alio accidens esse nequit: substantia enim nulli est accidens, ut dicitur *in 1. physic. text. 27.* inde probatur, quod calor non sit forma substantialis ignis, quia in aliis est accidens: ergo si sapientia, virtus, & hujusmodi in nobis sunt accidentia, etiam Deo attributa erunt accidentia.

Resp.

Resp. ex S. D. hîc neg.conseq.ad prob. dist. antec.quod est in uno substãtia,in alio accidens esse nequit, si in utroque secundum eandem rationem univocam inveniatur, concedo: si analogicè,& per dependentiam unius ab alio in quo illud primò, & altissimo, seu altiori modo invenitur, nego: quia illud participat deficienter, & non secundùm eandem rationem; sicut esse hominem secundum se est substantia; sed in lapide, vel ligno in quo est secundum quid, est accidens. Sapientia autem, virtus,&c. non sunt univocè & secundum eandem rationem in Deo & creaturis, sed in Deo altiori modo, ceu causa totius esse,in creaturis participativè,& deficienter, dependenterque ab ipso. 7.

Arg.2.in quolibet genere est unum primum, quod est illius generis veluti fons: sed multa sunt accidentium genera: ergo si illa formaliter non sint in Deo, erunt multa prima, quod est inconveniens. 8.

Resp. ex S. D. dist. consequens, erunt multa prima simpliciter, nego: secundùm quid, concedo; nam omnia accidentium genera in principia substantiæ, ceu causam eorum reducuntur, sicut in priora; & tandem in Deum, qui est ut principium generis substantiæ, extra ipsum existens,ut explicuimus *art. præced.* Alia argumenta,quæ specialia accidentia in Deo constituenda esse probant, puta qualitatem ut scientiam, relationem ut paternitatem, actionem ut creare, &c. in suis propriis locis dissolventur. 9.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Deus sit omnino simplex.

CAPVT PRIMVM.

Arnaldistarum relato errore statuitur conclusio, & probatur.

1. ADVERTE quod ly *simplex* hic usurpatur, prout omnem omninò compositionem intrinsecam in seipso excludit, vel quod nullo modo compositum est, sive compositione rei, sive rationis. Arnaldus quidam de Brixia unus ex sequacibus, & cohæreticis ipsius Petri Abailardi, inter alios errores quos doctrinæ Patrum contemptor, ac novitatum, adinventionumque supra modum amator amplexus est, asseruit in Deo esse quippiam compositum, cui ipsius affectæ adhæserunt; refert Prateolus verbo *Arnaldista*. Quidnam autem illud sit, aut quo motivo ad hoc asseverandum inductus sit apud dictum authorem non legitur; Forsan ob personarum numerum in essentiæ unitate, aut nominum diversitatem, quibus diversæ ejus perfectiones significantur; Hoc enim jamdudum quæstionem fecit, & animos pulsavit, quomodo cum his simplicitas Dei stare possit; ut colligitur ex D. Gregorio Nazianzeno orat. 45. de divinitate ad Evagrium Monachum ubi ait; *Quæstio igitur abs te proposita erat hujusmodi; quonam*

quonam modo esse queat Patris, & Filij, & Spiritus Sancti natura simplex, an composita? Si enim simplex quomodo ternarium eorum quæ ante diximus, numerum recipiet? Nam quod simplex est, uniusmodi, numerique expers; quod autem in numeros cadit, scindi necesse est, etiamsi numeris minimè subjiciatur, quod porrò scinditur, passioni utique obnoxium; sectio enim passio est. Quocirca si simplex Dei natura est, supervacanea fuerit nominum constitutio; si autem vera est nominum positio, nominibusque ipsis parendum est; uniformitas, ac simplicitas statim è medio tolletur. Vnde in Concilio Lateranensi quod eo tempore habitum est, quo hujusmodi error grassabatur, definitum est personarum Trinitatem simplicitati Dei non obstare.

Conclusio: Deus est omnino simplex. Hæc conclusio est de fide, definita in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. de fide Catholica cap.1. his verbis. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus æternus; Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omninò.* Hanc conclusionem probat S. D. *in sed contra* ex August. lib. 6. de Trinit. cap. 6. ubi asserit S. D. Deum omninò simplicem esse, esto in eo plura attributa sint, & tres personæ distinctæ. Possunt videri idem S. D. *lib.*11. *de Civit. cap.*10. D. Damasc. *lib.*1. *fid.orthod. cap.*3. D. Hilarius *lib.*8. *de Trinit.* D. Isidorus *lib.*1. *de summo bono cap.*1. D. Greg. Nazianzenus *orat.*2. *de Theolog.* ubi ait: *Si ea quæ à Deo facta sunt qualitates substantiarum suarum diversas habent, tu putas in Deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod fa-* 2.

ctum est? Absit. Quæ est enim substantia Dei, nisi ipsum quod Deus simplex, singulare purum, nulla concretione permixtum. &c. D. Irenæus *lib.* 2. *cap.* 16. Athenagoras *legat. pro Christianis.* D. Bernardus *lib.* 5. *de considerat.* & alij Patres qui hanc veritatem unanimi ore fatentur.

3. Idem probat S. D. in corp. quinque rationibus, quarum prima est; Illud est omninò simplex quod à se omnem omninò compositionis modum excludit; sed Deus à se omnem omninò compositionis modum excludit: ergo est omninò simplex. Prob. min. in Deo non est compositio quantitativarum partium cum non sit corpus, neque compositio materiæ, & formæ, aut naturæ, & suppositi, neque tandem subjecti, & accidentis, ut probatum reliquimus supra: ergo omnem à se compositionis modum excludit.

4. Secunda ratio est: Deus est simpliciter primum ens: sed nullum compositum potest esse primum ens: ergo Deus nullo modo est compositus: Prob. min. omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ab eis: ergo nullum compositum potest esse primum est. Prob. antecedens compositum non est nisi per hoc quod simplicia ad constitutionem alicujus tertii adunantur: sed simplex est prius in se quam addatur ei aliquid ad compositionem tertii: ergo omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ab eis. 1. d.8.q.4.art.1.

5. Tertia ratio est: omne compositum causam habet: sed Deus non habet causam, cum sit prima causa efficiens, ut supra ostensum est *q.* 2. *art.* 3. ergo non est compositus, sed omninò simplex.

plex. Prob. maj. Compositio non est nisi ex diversis : sed diversa inquantum hujusmodi non sunt unita : ergo ut uniantur ad componendum aliquid, aliquo componente seu reducente ad unionem indigent. Vide q.7. de pot. art. 1. c.

6. Quarta ratio : in omni composito oportet esse potentiam, & actum, seu potentiam actui commisceri : sed in Deo nulla est potentia, aut ulla ratione esse potest : non est igitur in eo aliqua compositio, sed est omninò simplex. Maj. patet, in compositis vel una partium est in potentia ad alteram, sicut materia ad formam, subjectum ad accidens, genus ad differentiam, vel saltim partes sunt potentia ad totum, quia partes comparantur ad totum, ut materia ad formam, seu esse imperfectum ad perfectum : quod adeò verum est, ut in his quæ non sunt unum simpliciter, sed per colligationem, aut aggregationem duntaxat ipsæ partes congregatæ sint, sicut potentia respectu unionis: sunt enim unitæ in actu postquam fuerunt in potentia unibiles: Minor etiam est evidens, quia si Deus aliquo modo esset in potentia, oporteret aliquid secundum hanc rationem esse priùs ipso per quod in actum reduceretur.

7. Quinta ratio : oportet primum ens esse summum, & perfectissimum bonum, seu per essentiam bonum : nullum compositum potest esse summum, & perfectissimum bonum : ergo Deus nequit esse compositus. Prob. minor, optimum, & summum bonum est in quo nihil est quod careat bonitate, sicut altissimum est in quo nihil nigredinis admiscetur. Partes carent ea bonitate quæ est propria totius compositi perfectio : ergo nullum compositum potest esse

q.7. de pot. art. 1. lib. 1. cont. gent. c. 18. rat. 6.

summum, & perfectissimum bonum. Major patet, nam licet in eo quod participat aliquam perfectionem, & formam possit esse aliquid quod non sit illa perfectio, seu forma, sicut in albo est perfectio corporis quæ non est albedo; tamen in eo quod per essentiam est forma nihil est extraneum aut in potentia ad illam formam, sicut in albedine quæ est ipsa essentia albi, ut per se non est aliquid quod non sit forma, & perfectio albi. Prob. min. partes quælibet sunt imperfectæ respectu totius, seu non sunt ipsum quod est totum: Pars enim hominis non est homo: neque aliqua partium pedis est pes: neque pars aquæ est tota aqua: non enim si tota aqua est bicubita, & pars ejus: Similiter partes numeri senarii minimè perfectionem ipsius habent senarii: neque partes lineæ perveniunt ad mensuræ perfectionem, quæ in tota linea reperitur: ergo partes carent ea bonitate, quæ est perfectio totius.

CAPVT II.

Solvuntur argumenta.

8. ARguitur 1. ea quæ sunt à Deo, ipsum imitantur: sed in rebus, quæ sunt à Deo nihil est omninò simplex: ergo Deus non est omninò simplex. Maj. patet, quia ab ipso, sicut à primo bono sunt omnia bona: & ab eo omnia entia, seu primo ente derivantur.

9. Resp. S. D. quod ea quæ sunt à Deo imitantur Deum, non secundum eandem omninò rationem & eo pacto quo unus homo genitus alterum

terum generantem imitatur, sed sicut causata primam causam, cujus rationem non adæquant. Est autem de ratione causati, quod est terminus ipsius actionis causativæ, quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus esse ejus, est aliud quam quod quid est. Quod universaliter verum est de omni causato prout in re, & exercitè causatur, seu est terminus actionis causativæ, per hanc enim participat aliquod esse, ad quod tantummodo erat in potentia.

Vnde si instes, quod prima principia componentia sunt simplicia, & tamen causantur. 10.
Resp. quod eo modo, quo causantur, nimirum ratione compositi, simplicia non sunt, sed composita, quia in eis aliud est essentia, & aliud esse, esto secundum se, aut rationes suas simplicia sint.

Arg.2. Omne quod est melius Deo attribuendum est: sed apud nos composita sunt meliora simplicibus, sicut corpora mixta elementis, & animalia plantis: ergo non est dicendum quod Deus sit omninò simplex. 11.

Resp. S. D. quod apud nos composita sunt meliora simplicibus: quia perfectio bonitatis creaturæ non invenitur in uno simplici, sed in multis: Sed perfectio divinæ bonitatis invenitur in uno simplici. Vbi nota quod composita dicuntur meliora, non quidem absolutè propter materialem compositionem, aliàs lapis, qui est compositus physicè esset anima nobilior, quæ est simplex substantia, ac spiritualis, sed secundum formalem compositionem, videlicet secundum plures participationes formales ipsius esse; secundum quas magis, ac multiformiùs dicuntur esse in actu: quo pacto inter creaturas 12.

sublunares homo dicitur melior, quia habet plures participationes ipsius esse; nam participat esse, ut vitam, ut sensum, & intellectum, &c. quæ sunt participationes formales. Et quia Deus per essentiam est ipsum esse, præhabet in se omnes has perfectiones, & ratione hujus est melior etsi simplex, quia perfectiones omnigenas unitivè in suo esse complectitur, quæ in cæteris dispersæ sunt, ac participatæ.

13. Arg. 3. Ens cui non fit additio, est commune prædicatum de omnibus, de quo nihil potest verè negari: sed Deus non est hujusmodi: ergo oportet ut ad illius esse fiat aliqua additio: sed illud cui fit additio non est omnino simplex: ergo Deus non est omnino simplex.

14. Resp. S. D. 1. sent. dist.8. q.4. art.1. quod aliquid esse sine additione dicitur dupliciter: primo itaut de ratione ejus sit, ut sibi additio non fiat, seu nihil sibi addatur: Secundò, itaut non sit de ratione ejus quod ipsi fiat additio, nec tamen sit de ratione ejus quod non fiat. Ens cui non fit additio, & de cujus ratione est ut nihil ei addatur, non est ens commune, prædicatum de omnibus, sed primum ens simpliciter, quod est Deus: hoc enim oportet esse perfectum in se, ex quo additionem non recipit; nec potest esse commune, quia omne commune salvatur in proprio, ubi ipsi fit additio. Ens autem de cujus ratione non est ut sibi fiat additio, neque quod non fiat, sed potest fieri ut determinatur in proprio, est ens commune, prædicatum de omnibus, quod est imperfectum, & ad ipsum ex additione se habent vivens, sentiens, intelligens; in quibus appropriatur ac determinatur ratio communis entis. Itaque esse

divinum

divinum est determinatum in se, ac proprium, ab omnibusque aliis divisum, ex eo quod in ratione sua habet quod ei non fiat additio : sed ens commune determinatur, & appropriatur. Vnde negationes dictæ de Deo, non faciunt in ipso aliquam compositionem.

Pro majori intelligentia advertendum ex eodem S. D. *ibid. ad* 2. Quod in rebus creatis res determinatur ut sit, tripliciter : Primò per additionem alicujus differentiæ, quæ potentialiter in genere continebatur. Secundò, ex eo quod natura communis recipitur in aliquo, & fit hoc aliquid. Tertiò ex hoc quod alicui additur accidens, per quod dicitur esse, vel sciens, vel albus &c. Nullus istorum modorum potest esse in Deo, quia imprimis ipse non est quidpiam commune, cum de intellectu suo sit, quod sibi aliquid non addatur : nec etiam ejus natura est in aliquo recepta, cum sit actus purus, & tandem non recipit aliquid extra essentiam suam, eo quod essentia sua omnem perfectionem continet. Vnde remanet quod sit aliquid in se determinatum simpliciter per conditionem negandi ab ipso omnem additionem, vel conditionem : & ejus esse absolutum, non tantum est, sed aliquid est, nec differt in eo quod est, & quo est seu aliquid esse, nisi per modum significandi, vel per rationem. Ex quo patet quod attributa nullam compositionem in Deo faciunt ; Sapientia enim v. g. secundùm suam rationem non facit compositionem, sed secundum suum esse : prout nimirum in subjecto inexistens est realiter differens ab ipso, qualiter in Deo non est, ut diximus. 15.

Arg.4. ubi sunt plures res in uno, ibi opor- 16.
tet

tet esse aliquem compositionis modum : sed in divina natura sunt tres personæ realiter distinctæ, convenientes in una essentia : ergo videtur ibi esse aliquis compositionis modus.

17. Conf. de quocunque prædicatur aliquid, quod non est de substantia ejus, illud non est simplex, sicut de homine prædicatur albedo, quæ non est de substantia ejus, ac proinde facit compositionem cum eo : sed quidquid prædicatur de aliquo postquam non prædicabatur, illud non est de substantia ejus de quo prædicari incipit : cum nulli rei substantia sua de novo adveniat : cum igitur de Deo prædicatur aliquid, postquam non prædicabatur, ut esse Dominum, & Creatorem, quæ dicuntur de ipso ex tempore, videtur quod ipse non sit simplex.

18. Resp. ad arg. S. D. *loc. cit. ad* 4. quod proprietas personalis comparata ad essentiam, non differt realiter ab ipsa, & ideo non facit compositionem cum ea : sed comparata ad suum correlativum facit distinctionem realem : sed ex ea parte qua ad correlativum dicitur, non est aliqua unio cum essentia divina, & ideo nec compositio. Vnde relinquitur ibi tres esse res, & tamen nullam compositionem. D. Bernardus epist. 190. *Nec enim verum, summumque bonum quod sunt* (nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus) *inter se particulariter dividunt, quoniam nec participialiter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est, non unitatis divisio. Licet namque in hac ineffabili & incomprehensibili Deitatis essentia alter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus personarum, sobriè*

briè catholicéque dicatur, non tamen ibi est alterum & alterum sed simplex unum: ut nec præjudicium faciat unitati Trinitatis confessio: nec proprietatum sit exclusio vera assertio unitatis. Et Div. Aug.lib.cont. Felicianum: *Dum utrumque unum dico* (scil. Patrem & Filium) *substantiam veri Patris, ac veri Filii non separo. Et dum non eumdem Patrem, quem Filium prædico, utriusque personam servata uniuscujusque proprietate discerno. Itaque si substantiam quæris, ipsa Trinitas unus est Deus: si personam alter est filius: Idem, inquam, communione substantiæ, alterum proprietate personæ.*

Ad confirm. resp. ex eodem S. D. *ibid ad* 3. quod hujusmodi relationes, quæ dicuntur de Deo ex tempore, non ponunt aliquid in ipso realiter, sed tantum in creatura. Contingit enim aliquid dici relativè, non quod ipsum referatur, sed quia aliquid refertur ad ipsum, sicut est in omnibus, quorum unum dependet ab altero, & non è contrario, sicut scibile non est relativum, nisi quia scientia refertur ad ipsum: scibile enim non dependet à scientia, sed è converso. Sed quia intellectus noster non potest accipere relationem in uno extremorum, quin intelligatur in illo ad quod refertur: ideo ponit relationem quandam circa ipsum scibile, & significat ipsum relativè. Vnde illa relatio, quæ significatur in scibili, non est realiter in ipso, sed secundum rationem tantum, in scientia autem realiter. Ita etiam relatio importata per hoc nomen *Dominus*, vel *Creator*, cum de Deo dicitur, non ponit aliquid in Deo, nisi secundum intellectum; sed tantùm in creatura. Ex quo patet quod diversitas relationum ipsius 19.

Dei

Dei ad creaturas non ponit compositionem in ipso.

20. Quæres an simplicitas sit perfectio simpliciter simplex, & attributalis ipsius Dei? Resp. negativè, sumitur ex D.Gregorio Nazianzeno orat.38. dicente: *Neque enim simplicitas illi natura est; quandoquidem nec compositis sola compositio.* Esset autem natura Dei realiter, si esset ejus perfectio simpliciter. Prob. ex D.Thoma *in* 4. *dist.*11. *quæst.* 2. *art.*1. *ad* 1. simplicitas per se non est causa nobilitatis sed perfectio; sed perfectio attributalis & simpliciter simplex debet per se esse ratio seu causa alicujus nobilitatis in Deo, quia simpliciter melius est eam esse, quam non inesse; sicut patet de scientia, voluntate &c. ergo simplicitas non est perfectio simpliciter simplex, & attributalis. Prob. maj. quod simpliciter,& secundum quod ipsum est tale, semper & in omni est tale: sed esse simplex non est in omni & secundum quod ipsum, causa nobilitatis: ergo per se non est causa nobilitatis. Prob. minor, nam ubi perfecta bonitas in uno simplici invenitur, simplex est nobilius, quam compositum, sicut anima est nobilior corpore, quando verò simplex est imperfectum, tunc compositum est nobilius quam simplex, sicut homo est nobilior terra: ergo simplicitas non est in omni, & secundum quod ipsum causa nobilitatis. Ex quo facilis patet solutio ad omne id quod objici potest.

21. Quæres 2. utrum esse omnino simplex sit proprium Dei, itaut nulli creaturæ competere possit? Resp. S. D. in p. dist.8.q.5.art.1. c. quod creatura est duplex: quædam enim est, quæ habet

habet esse completum in se; sicut homo & hujusmodi: & talis creatura à simplicitate divina ita deficit, quod incidit in compositionem (nimirum actu & simpliciter.) Cum in solo Deo esse suum sit sua quidditas, oportet quod in qualibet creatura, sive corporea, sive spirituali inveniatur quidditas, vel natura sua, & esse suum, quod est sibi acquisitum à Deo, & ita componi debet ex essentia & esse, seu quo est & quod est. Est etiam quædam creatura, quæ non habet esse in se, sed tantùm in alio, sicut materia prima, vel forma quælibet, aut natura universalis; non enim est esse alicujus, nisi particularis subsistentis in natura, & talis creatura non deficit à simplicitate, itaut sit composita (nimirum actu & simpliciter, sicut ea quæ habet esse completum,) deficit tamen à simplicitate primi, & defectus iste ex duobus perpenditur: vel quia est divisibile in potentia aut per accidens, vel quia est componibile alteri, sicut materia prima formæ, vel accidens subjecto, quod divina simplicitas non admittit. Vnde neque Angelus, neque anima sunt omnino simplices, quia in eis est compositio ex quo est, & quod est. Quapropter solùm dicuntur forma simplex, inquantum eorum natura seu quidditas non componitur ex diversis, esto non sit suum esse, ac subinde in eis invenitur ratio actus & potentiæ.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Deus in compositionem aliorum veniat?

1. TRes de hac re inter antiquos extitisse errores refert hîc S. D. Quorum primus fuit eorum, qui Deum ipsius mundi animam arbitrati sunt; subindeque cum mundo ipso quidpiam efficere compositum. Ita sensit ex antiquis Philosophis Democritus apud Eusebium lib.14.de præp. evang. cap.6. *Democritus*, inquit, *mundi animam Deum esse, & eum pila ignea formam possidere.* Tribuitur & Thaleti Milesio à Plutarcho *lib.1.de placitis cap.7.* Attamen is Deum non mundi animam sed mundum ipsum esse Deum constituit, si fides habenda sit eidem Eusebio loc. cit. dicenti; *Thales mundum, Deum esse asserit.* Quidquid sit de Thalete, hoc sensisse Stoïcos refert D.Epiphanius hæres.5.dicens: *Et Stoïci quidem de deitate hoc sentiunt, Deum esse mentem, quæ sit universæ hujus visibilis molis, cœli videlicet ac terræ & aliarum rerum, velut in corpore anima.* Sed hunc errorem non omnibus Stoïcis, sed quibusdam duntaxat adscribit D. Damascenus *lib. de hæres.* Aliqui enim eorum existimarunt Deum esse quiddam mundo permixtum, & in eo confusum,ut insinuat Lactantius lib.7. divin. instit. cap. 3. dicens: At isti (nimirum Stoïci) *uno naturæ nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum & mundum, artificem & opus; dicuntque alterum sine altero nihil posse,* *tanquam*

tanquam natura sit Deus mundo permixtus. Idem Varroni tribuitur à D. August. lib. 7. de civit. cap.6. ubi ait : *Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali theologia praloquens, Deum se arbitrari esse animam mundi, quem Graci vocant Cosmon, & hunc ipsum mundum esse Deum.* Hoc ipsum sensisse videtur Virgilius lib. 6. Æneid. dicens ;

Spiritus intus alit, totamque infusa per artem 2.
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Plato etiam, ut asserit Ludovicus Vives *ibi*, animatum dixit esse mundum, animamque illam, & mundum esse Deum; sed alium Deum, quem mentem vocat, hoc ipso mundo priorem facit, & animæ ipsius mundi parentem. In quo à Thalete, & Democrito dissensit, qui non alium putarunt majorem Deum animâ mundi. Hoc ipsum de Spiritu Sancto, nimirum esse mundi animam asseruit Petrus Abaïlardus, teste D. Bernardo *epist.* 199. ubi de ipso hæc narrat : *Omitto quod dicit Spiritum Sanctum esse animam mundi; mundum juxta Platonem tantò excellentius animal esse, quantò meliorem animam habet Spiritum Sanctum.*

Secundus error, inquit D. Thomas, fuit Almarianorum, qui Deum esse rerum omnium formale principium, seu esse formale uniuscujusque rei asseruerunt. Quorum insaniam anathematisavit Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 2. sub his verbis ; *Reprobamus etiam, & damnamus perversissimum dogma impij Almarici* (à quo Almariani) *cujus mentem sic pater mendacij excacavit, ut ejus doctrina non tam haretica censenda sit, quam insana.* 3.

Tertius

4. Tertius error fuit cujusdam Davidis de Dinando, qui stultissimè posuit Deum esse materiam primam, seu principium materiale omnium rerum. Hujus libri (Teste Cesario *lib. dial.* 5.) perpetuò damnati sunt, & exusti. Alios errores communes cum Almarico habuit: Vnde & inter sectatores ejus à dicto Concilio Lateranensi damnatus censetur. Floruit, summum Pontificatum agente dicto Innocentio III.

5. Conclusio; Deus nullo modo in compositionem alicujus rei venit, sive ut materia, sive ut forma seu principium formale. Probat imprimis S.D. ex Dionys. c. 2. de divin. nom. dicente: *Neque tactus est ejus*, scil. Dei, *neque alia ad partes commiscendas communio*; sed quod est materia vel forma alicujus rei, constitutionem ejus ingrediatur necesse est, & cum altero communionem habeat: ergo Deus in compositionem alterius rei venire nequit. Confirmatur *ex libro de causis*, in quo *propos.* 6. dicitur, quod causa prima regit omnes res, præterquam commisceatur eis. Hanc conclusionem Leo primus epist. ad Torivium cap. 5. stabilivit, vocans contrariam doctrinam *impiam, & ex Philosophorum quorumdam, & Manichæorum opinione manantem, quam Catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem, tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit*, id est, cujus Deus sit principium formale, aut materiale, seu quidditas. Idem docent D. August. lib. 7. de civit. c. 30. *Quamvis nihil possit esse sine ipso*, videlicet Deo, *non tamen sunt ulla quod ipse*. Et D. Athanasius de incarnat. Verbi, dicens; *Sicut ens in omni rerum natura, extra quidem omnia subsistit, quantùm attinet ad ipsius substantiam, intra omnia tamen habetur, quantùm spectat ad ipsius potentiam,*

potentiam, omnia gubernans. Videndi præterea D. Clemens Alex.lib.5. ſtrom. Euſebius lib.14.c.6. & alij communiter.

Probat S.D.primò;quia Deus eſt prima cauſa efficiens;ſed primum efficiens nequit eſſe materia, vel forma quæ eſt pars compoſiti ; quia hæc ſunt effectus ejus , ſicut & compoſitum ipſum, quod neceſſariò eſt effectus primi agentis : ergo Deus nequit in compoſitionem aliorum venire, ſicut materia vel forma. 6.

Secundò probat, de ratione primi agentis eſt primò & per ſe agere ; Deus eſt primum agens : ergo de ratione ejus eſt primò & per ſe agere,& ſecundùm quod ipſum;ſed nulla pars per ſe primò, & ſecundùm quod ipſa agit, non enim manus agit ſecundùm quod ipſa,ſed homo per manum, & ignis calefacit per calorem : ergo Deus nequit eſſe pars alicujus compoſiti. Nec eſt inſtantia de anima rationali,quæ per ſe primò intelligit &c. quia hoc ei non debetur inquantum eſt forma corporis, ſic enim homini per ſe intelligere debetur,ſed inquantum eſt forma per ſe ſubſiſtens. 7.

Tertiò probat,quia Deus eſt primum ens ſimpliciter;ſed nulla pars compoſiti poteſt eſſe ſimpliciter prima in entibus : ergo Deus nequit eſſe pars materialis,vel formalis alicujus compoſiti. Prob.minor , quia materia eſt pars ut potentia ; ſed omnis potentia ſimpliciter eſt poſterior actu, per quem habet eſſe : ergo materia nequit eſſe primum ens ſimpliciter. Deinde neque forma , quia forma , quæ eſt pars compoſiti , eſt forma participata , cum fiat in materia per actionem agentis ; ſed omne participatum, ſicut & participans eſt poſterius omni eo quod eſt per eſſen- 8.

tiam, ſicut ignis in ignitis eſt poſterius eo quod eſt per eſſentiam, quia dependenter ab eo fit ignis in hac materia reddens eam ignitam: ergo forma, quæ eſt pars compoſiti, nequit eſſe ſimpliciter prima in entibus.

9. Arg. 1. ex D. Dionyſio lib. de cœleſti hierarchia c. 4. Deitas quæ eſt ſuper omne eſſe, eſt omnium rerum eſſe; & ex D. Auguſt. *ſerm.* 38. *de verbis Domini*, Verbum Dei, quod eſt Deus eſt forma quædam non formata; ſed eſſe & forma intrant rei conſtitutionem; igitur Deus in compoſitionem aliorum venit. Reſp. ex S. D. hic diſt. min. eſſe, & forma effectivè, & exemplariter ſumpta, nego; eſſe formaliter, & forma informativè accepta, concedo min. Nam ars quæ eſt forma exemplaris in mente artificis exiſtens non intrat conſtitutionem domus ad extra, qua ad nomam ejus formatur. Deitas autem eſt eſſe & forma rerum omnium exemplaris.

10. Arg. 2. quæcunque ſunt, & nullo modo differunt, ſunt omnino idem; ſed Deus & materia prima ſunt, & nullo modo differunt, cum ſint omnino ſimplicia, & ſubinde nullas habentia differentias per quas differant: ergo omnino ſunt idem, quapropter cum materia prima in compoſitionem rerum omnium compoſitarum veniat, etiam & Deus. Reſp. diſt. maj. ſi non differant ſeipſis, neque per differentias, concedo: ſi differant ſeipſis, aut ſint primo diverſa, nego; & diſt. min. Deus & materia prima nullo modo differunt, ſeipſis, nego; per differentias ſuperadditas, concedo.

QVÆSTIO



QVÆSTIO QVARTA,

Vtrum Deus sit perfectus?

P*OST considerationem divinæ simplicitatis*, inquit S. D. *de perfectione ipsius Dei dicendum est. Et quia unumquodque secundùm quod perfectum est, sic dicitur bonum, primò agendum est de perfectione divina: Secundò de ejus bonitate.*



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit perfectus?

DE perfecto substantialiter, & secundùm se impræsentiarum est sermo. 1.
Dupliciter autem dicitur aliquid secundùm se perfectum, ut notat S. D. 5. metaphys. lect.18.
Nimirum simpliciter seu universaliter, & in aliquo genere. Perfectum simpliciter seu universaliter dicitur aliquid, quia nihil ei omnino deficit absolutè, nec habet aliquam hyperbolem, id est, excedentiam; quia videlicet à nullo penitus in bonitate exceditur, nec aliquid extra accipit, aut indiget exteriori bonitate. Dicitur autem perfectum in aliquo genere; ex eo

quod, quantum ad illud genus pertinet, nec habet hyperbolen, id est, excedentiam, quasi ei aliquid eorum deficiat, quæ illi generi debentur; nec aliquid eorum, quæ ad perfectionem illius generis pertinent, est extra ipsum, quasi eo careat; Sicut homo dicitur perfectus, cum beatitudinem adeptus est. Vel quodlibet corpus particulare dicitur quantitas perfecta secundùm suum genus, quia habet tres dimensiones, quibus non sunt plures: Sed mundus dicitur perfectus universaliter, quia omnino nihil extra ipsum est. De perfecto simpliciter seu universaliter est sermo.

2. Conclusio: Deus est maximè perfectus, simpliciter & universaliter. Probat S. D. *in sed contra* ex illo Matthæi 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Quem locum exponens Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. damnamus, ait: *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est: ac si diceret manifestiùs: estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester Cœlestis perfectus est perfectione naturæ.* Vbi est sermo de perfectione simpliciter, & quæ non habet hyperbolen, seu excedentiam. Quod notavit Remigius in cat. D.Thom. dicens: *Quia verò perfectio dilectionis ultra dilectionem inimicorum non potest procedere: ideo postquam Dominus præcepit diligere inimicos, subjunxit: Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Ipse quidem perfectus est ut omnipotens; homo autem ut ab omnipotente adjutus.* Eandem conclusionem asserunt communiter Sancti Patres, quorum plures *seq. art.* adducemus.

3. Deinde probat S. D. *in corp.* sic: Perfectum dicitur,

dicitur, cui secundum suæ perfectionis modum nihil deest: sed Deo secundum modum suæ perfectionis nihil deest: ergo ipse est maximè & universaliter perfectus. Prob. min. in tantum aliquid est perfectum, inquantum est actu: sed Deus est maximè in actu, immo est actus purus: ergo Deus est maximè perfectus. Prob. minor: Deus est primum & fontanale rerum omnium principium activum: sed hujusmodi principium oportet esse maximè in actu: ergo Deus est maximè in actu. Prob. minor, in tantum aliquid agit, inquantùm est actu: ergo id quod agit & potest omnia, sicut Deus, esse oportet maximè in actu. Et hoc sonant illa Remigii verba: *Deus est perfectus ut omnipotens.*

Arg. 1. perfectum dicitur quasi totaliter factum: sed Deo nullo modo convenit esse factum: ergo esse perfectum non convenit Deo. Resp. S. D. quod nomen perfecti, seu perfectionis Deo convenienter nequit attribui, si nominis significatio quantùm ad sui originem attendatur: quod enim factum non est, propriè perfectum dici non potest. Verum, quia ut inquit Gregorius *lib.* 1. *Moral. cap.*6. balbutiendo ut possumus excelsa Dei resonamus; sicut in his quæ fiunt, cum aliquid de potentia educitur in actum, nominari solet perfectum, quasi totaliter factum; ideo hoc nomen, *perfectum*, ad omne id significandum transsumptum est, cui de actu essendi nihil deest, quem secundum se habere natum est: sive hoc habeat per modum perfectionis (hoc est, per factionem) sive non, sed à se. Et hoc pacto dicitur Deus maximè perfectus.

4. hîc & 1. cont. gent. cap. 28.

5. Arg. 2. Deus est primum principium; sed prima principia rerum videntur esse imperfecta, ut patet in semine quod est principium animalium ac plantarum: ergo Deus non est perfectus. Resp. S. D. quod equidem principium materiale imperfectum est, cum sit in potentia privationi annexa: non verò primum principium activum, ut dictum est; Deus autem non est primum principium materiale, quia istud nequit simpliciter esse primum, sed semper aliquod aliud principium præsupponit activum à quo transmutetur, & educatur de potentia in actum, propter quem est: licet sit primum principium eorum quæ ex eo fiunt. Nam esto semen sit animalis ex eo generati principium, ante se tamen habet animal à quo decidatur, & in cujus virtute effectum producit. Oportet enim ante id quod est in potentia, esse aliquid in actu: cum ens in potentia non reducatur in actum, nisi per aliquod ens actu.

6. Arg. 3, essentia Dei est ipsum esse, ut dictum est: sed ipsum esse videtur esse imperfectissimum: ergo Deus est imperfectus. Prob. minor, quod est communissimum, & omnium additiones recipiens, est maximè imperfectum: sed ipsum esse est communissimum, & omnium additiones recipiens, cum vivere, sentire, & intelligere se habeant ex additione ad illud: ergo esse est imperfectissimum.

7. Resp. S. D. quod esse simpliciter est communissimum, scil. per modum causæ, seu principii primi, non quidem materialis & receptivi, quod est imperfectum, cum sit potentia ad actum, & perfectionem; sed principii formalis activi, omnes res perficientis, etiam ipsas formas,

mas, quæ ipsum esse participant: nam comparatur ad omnia ut actus, nihil enim habet actualitatem nisi inquantum est. Vnde oportet quod ipsum esse simpliciter perfectissimum sit, cum de ratione principii activi sit perfectio, secundùm illam rationem, secundùm quam agit, & facit res esse in actu. Vnde esse simpliciter ut causa universalissima continet ipsum vivere, sentire, & intelligere, nec se habent ex additione ad ipsum absolutè, sed ut participatur in hoc, & illo: v. g. lapide, leone, homine &c. ut infra meliùs explicabitur.

8. Ex his colligit S. D. quod esse non comparatur ad alia sicut recipiens, sed magis sicut receptum. Quod intelligendum venit de ipso esse, ut à creaturis participatur; quia nimirum esse de se est actus illimitatus, & accipit esse limitatum ac determinatum ad talem speciem vel naturam, per appropriationem ad ipsam in aliquo supposito, vel individuo, cujus est per se fieri vel generari: unde comparatur sicut actus ad recipiens proprium à quo individuatur, ac limitatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Deo sint perfectiones omnium rerum.

CAPVT PRIMVM.

Quibusdam adnotatis statuitur conclusio D. Thomæ, & rationes ejus elucidantur.

I. 1.p.q.73. 1 c.3. dist.27. q.1.art. 4.c. PERFECTIONIS vocabulo hîc omne id exprimitur, quod ad actum essendi, atque rei bonitatem spectat, quâ est in se, vel ad alterum bene disposita: quo pacto esse rei, illiusque virtus, & operatio, perfectiones ipsius dicuntur. Perfectiones in duplici differentia creaturis assignari solent. Alia est perfectio simpliciter simplex & universaliter perficiens; quam videlicet melius est in unoquoque inesse seu inexistere, quam non inesse; itaut si desit, rei aliquid deficere existimetur ad universalem essendi perfectionem, & bonitatem pertinens; sicut intellectivum esse, & quæ sunt ejus perfectiones propriæ, atque bonitates ei secundum se competentes, ut vita, sapientia &c. in suo conceptu nullam de se imperfectionem claudentes. Alia est perfectio secundùm quid & limitata, quæ videlicet secundùm modum quo in aliquo reperitur, est illius naturæ propria perfectio & bonitas; non autem simpliciter, atque universaliter ad essendi bonitatem partinet, itaut, si secundum illam rationem

tionem & eſſendi modum alteri deſit, non ſit ſimpliciter & univerſaliter perfectum formaliter, ſeu ad ſupremum perfectionis non attingat, ſicut ratiocinari dicitur perfectio hominis, & rugire leonis. Cum inquirit S. D. utrum in Deo ſint perfectiones omnium rerum: ly *ſint* indiſtinctè ſtat pro omnibus perfectionibus, quæ in omnibus rerum generibus reperiuntur, ſive ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſive ſecundum quid, nec explicat modum, quo in eo reperiuntur, formaliterne, an eminenter; quia ex rationibus ejus ſatis id liquet, & nos §.*ſeq.* examinabimus.

Concluſio; Deus eſt ens univerſaliter perfectum, id eſt, ipſi non deeſt alicujus generis nobilitas; ſed ſunt in eo rerum omnium perfectiones. Hanc concluſionem aſſerunt Patres; & imprimis D. Dionyſ. *cap. 5. de divin. nomin.* dicens; *Deus in una exiſtentia omnia præhabet.* D. Gregorius Nazianz. orat. 42. *Vniverſum id quod eſt*, inquit, *in ſe complectitur, quod nec principium habuit, nec finem habiturum eſt, quaſi pelagus quoddam ſubſtantiæ immenſum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem ſuperans.* Inſuper D. Irenæus lib.2. cap.1. *Cum ſit ſolus Deus*, ait, *& ſolus Dominus, & ſolus conditor, & ſolus continens omnia, & omnibus ut ſint ipſe præſtans, &c.* Videndi ſunt D. Auguſt. *lib.4. de Trinit. cap. 1.* D. Cyrillus Alexandrinus *lib.1.cont. Iulianum*, D. Gregorius Nyſſenus *lib. 5. de opificio hom. cap. 16.* Damaſcenus *lib.1. de fide cap. 8.* D. Ambroſius *lib. 1. Hexam. cap. 4.* Hilarius *lib.11. de Trinit. in fine* Anſelmus *in Monol.cap.34. & 35.* & alij communiter. 2.

Probat

3. Probat S. D. *in corp.* duplici ratione, quarum prima est: quidquid perfectionis est in effectu oportet ut in causa ipsius effectiva reperiatur, vel secundùm eandem rationem, si sit causa univoca; sicut homo generat hominem, qui in similitudinem ejusdem naturæ est cum ipso generante; vel altiori modo, si sit agens æquivocum & universale: sed Deus est causa effectiva omnium rerum sicut agens æquivocum & universale: ergo oportet omnium rerum perfectiones in Deo originaliter præexistere superabundanter, & eminentiori modo. Majorem quoad primam partem de causa univoca, quia ad intentum non facit, (nec enim Deus est causa univoca rerum) non probat S. D. sed ad secundam probandam accedit, hoc medio: omnis effectus in sua causa agente, virtute præexistit; sed impossibile est effectum in virtute causæ agentis imperfectiori modo præexistere, esto possibile sit actum effectus imperfectiorem esse, quam sit actus causæ agentis: ergo effectus debet in causa sua effectiva præexistere modo æquè perfecto, vel perfectiori, seu altiori & eminentiori: sed in causa effectiva æquivoca nequit modo æquè perfecto præexistere: ergo perfectiori seu eminentiori modo.

4. Major patet, secunda etiam minor est evidens: quia si in agente æquivoco & universali, modo æquè perfecto secundùm se præexisteret, secundùm eandem actus, & formæ per quam agit, rationem præexisteret; ac subinde non jam esset in ea sicut in causa æquivoca, sed univoca. Prima autem minor prob. agens inquantùm agens, est perfectum & in actu; igitur actio consequitur modum actus in agente; quia

quia agens agit secundùm quod est actu: sed intantum aliquid est perfectum, inquantum est actu: ergo impossibile est effectum per actionem agentis, perfectiorem actum participare, quam sit actus agentis: ergo in causa agente nequit imperfectiori modo contineri; sed nec æquè perfecto in causa æquivoca, ut probatum est: ergo in ea perfectiori, seu altiori modo continetur.

Hanc rationem insinuant, tum D. Dionysius loc. cit. dicens; *Quod non quidem est, & hoc non est; sed omnia est* (scil. Deus) *ut omnium causa:* Tum etiam D. Greg. Nazianz. orat. 12. ubi ait: *Illud primùm cum animis nostris reputantes Deum, omnium quæ sunt pulcherrimum, & sublimissimum esse, nisi quis tamen eum malit supra omnem essentiam ponere, aut in ipso quidquid est collocare, utpote à quo alia quoque ut sint acceperunt.* Nota illa verba: *utpote à quo alia quoque ut sint, acceperunt*; quæ denotant omnium rerum perfectiones in Deo collocandas, ceu in eo qui omnium earum est causa effectiva præbens illis ut sint. 5.

Secunda ratio D. Thomæ est: oportet quod illud esse quod est per se subsistens, quidditativè & ex se, totam essendi perfectionem, seu plenitudinem in se contineat; sed Deus quidditativè & ex se est ipsum esse per se subsistens (ut supra ostensum est *quæst.3. art.4.*) ergo totam perfectionem essendi in se continere debet; sed continere in se totam essendi perfectionem, est omnium rerum perfectiones in se complecti, quia in tantum aliquid est perfectum inquantum est: ergo Deus est universaliter perfectus, seu in eo sunt rerum omnium perfectiones. 6.

ctiones. Prob. maj. cui competit tota virtus essendi, ei nulla virtus nobilitatis seu perfectionis deesse potest, quæ alicui rei conveniat; sed rei quæ est suum esse, competit esse secundùm totam essendi potestatem: ergo illa res quæ est suum esse per se subsistens, debet totam essendi plenitudinem seu perfectionem & potestatem continere; major patet, quia omnis nobilitas cujusque rei inest sibi secundùm suum esse; nulla enim ex sapientia nobilitas homini inesset, nisi per eam esset actu sapiens, & sic de aliis: ergo secundùm modum, quo res habet esse, est illius modus in nobilitate; igitur cui competit tota virtus essendi, ei nulla virtus nobilitatis deesse potest. Minor verò prob. oportet formam non participatam ab aliquo subjecto, sed per se in re subsistentem, continere totam essendi potestatem, seu perfectionem quæ illi formæ secundùm se competere quoquomodo potest; sed esse est ut forma & actus omnium rerum, ut supra explicuimus: ergo si ponatur aliquid in se per se subsistens, seu quod sit suum esse subsistens, oportet quod totam essendi potestatem in se complectatur. Major prob. in tantum alicui formæ deest aliquid de potestate essendi, inquantum à subjecto, in quo recipitur, limitatur, & non perfectè recipitur; v. g. alicui albo de virtute albedinis deest, ex defectu subjecti recipientis albedinem, secundùm omnem modum quo receptibilis est; sed si ponatur forma per se subsistens & irrecepta, non habet hujusmodi limitationem: igitur oportet formam non participatam ab aliquo subjecto, sed per se in re subsistentem, continere totam essendi potestatem, seu perfectionem, quæ illi formæ secundùm

dùm se competere quoquomodo potest. Et hoc intendit D. Dionysius cap. 5. de divin nomin. inquiens: *Quòd Deus non modo existens est, sed simpliciter & incircumscriptè totum in seipso uniformiter esse praaccipit.*

CAPUT II.

Quomodo rerum omnium perfectiones in Deo sint, ostenditur.

Sciendum est ex D. Thoma quod aliqua perfectio potest esse per sui similitudinem in sua causa effectiva tripliciter, primò secundùm esse naturale, & secundùm eandem rationem: Quo pacto effectus sunt in sua causa univoca. Secundò secundùm esse naturale, sed non secundùm eandem rationem, quo pacto sunt in causa æquivoca. Tertiò, effectus est in sua causa, non quidem secundùm esse naturale, sed secundùm esse spirituale, fixum tamen & quiescens; sicut forma domus in ædificatore non est natura quædam, ut est virtus calefactiva vel calor in igne, sed est quædam intentio intelligibilis in anima quiescens. Certum est quod omnes res, earumque perfectiones sunt in Deo secundùm esse spirituale, sicut artificiata in mente artificis, cum habeat rerum omnium ideas, ut infra ostendetur *quæst.* 15. certum est etiam quod sunt in eo per sui similitudinem omnes rerum perfectiones secundum esse naturale, tanquam effectus in sua causa effectiva æquivoca, ut ostendimus; modò est difficultas quomodo in eo existant, an eminenter formaliter, aut virtualiter duntaxat.

7. q. 27. de verit. a. 7.

Pro

8. Pro resolutione advertendum est, aliquam perfectionem in aliquo posse tripliciter esse; Primò formaliter absolutè, id est, secundum essentiam formæ, & modum essendi; qua ratione vegetativum convenit plantæ, sensitivum animali, & rationale homini; Etenim rationale in homine dicit, non solum intellectualis formæ rationem, sed etiam determinatum, & limitatum intelligendi modum, videlicet discurrendo, & dependenter à phantasmatibus, qui modus est homini proprius, ac naturaliter ei conveniens quatenus rationalis est. Secundò virtualiter, quando nimirum forma non est actu & formaliter in illo secundùm suam rationem & modum essendi, sed potentiâ activâ,& virtute seminali; quo pacto animal est in semine tanquam virtute activa à generante decisa. Tertio eminenter quando reperitur forma aliqua seclusis imperfectionibus, quæ illam circumvestiunt.

9. Rursus potest aliquid in alio contineri eminenter duplici modo; scil. eminenter formaliter, & eminenter virtualiter. Dicitur contineri eminenter formaliter, quando continetur secundum formalissimam sui rationem, non tamen secundum limitatum essendi modum quem habet prou t est in suo subjecto inferiori & limitato; quo pacto in rationali continentur vegetativum & sensiti vum secundùm formalem sui rationem, non tamen secundum modum essendi, quem habet vegetativum in planta, & sensitivum in animali, quemadmodum explicuimus *supra quæst. 1. art. 4.* Dicitur autem contineri eminenter virtualiter, quando secundùm propriam rationem & differentiam qua constituitur

tur

tur in tali specie, vel genere, neque secundùm modum essendi continetur, sed secundùm esse, & actualitatem essendi quam habet, sicut calor in sole; neque enim est in eo ratio caloris, prout reperitur in sublunaribus, sed virtus præstans eminenter actum calidi, & esse calidum in effectu. Vide *tom. 2. clypei phylosop. quæst. 2. art. 3. §. 5.*

Conclusio; perfectiones omnes simpliciter simplices, & quæ secundum suam rationem formalem non dicunt imperfectionem, eminenter formaliter in Deo reperiuntur; perfectiones autem secundum quid, & in determinato genere, formaliter in eo non reperiuntur, sed eminenter duntaxat, seu eminenter virtualiter. Prob. ex D. Th. Quando in effectu reperitur aliquid, per quod assimilatur suæ causæ; & aliquid per quod ab ea differt, si illud in quo causæ assimilatur, de causa ipsa dicatur, propriè & formaliter dicitur de illa; immò per priùs, & eminentiùs, quàm de effectu; illud verò per quod differt nonnisi metaphoricè, aut falsò de causa dici potest, sed non verè & propriè ipsi attribui; sed in effectibus creatis, seu creaturis multæ reperiuntur perfectiones per quas assimilantur Deo, quæ in suo conceptu imperfectionem non involvunt; & aliæ per quas ab ipso differunt, quæ sunt in determinato genere contentæ: ergo perfectiones simpliciter simplices reperiuntur formaliter eminenter in Deo; quæ verò sunt determinati generis, verè & propriè non dicuntur de illo, sed duntaxat metaphoricè. 10.

ex 1. sent. dist. 2. q. 1. a. 2. & 3. q. 7. de pot. art. 5. 0. & ad 8.

Maj. exemplo ibi adducto declaratur, scil. de latere per ignem calefacto, & indurato. Nam in hoc quod lutum ab igne calefiat, seu calidus reddatur, 11.

reddatur, igni assimilatur (in tantum enim aliquid dicitur agere in aliud, inquantum similitudinem suæ formæ, vel actus per quem agit, illi imprimit;) in hoc verò quod lutum calefactum ingrossetur, & induretur, differt ab igne, & hoc habet ex materiæ propriæ cognatione; quia id in quo later assimilatur igni, de igne dicitur, nimirum calidum esse, propriè & verè, seu formaliter de igne dicitur, immò priùs & eminentiùs: nam later est calidus quasi calefactus, & participativè; ignis autem naturaliter. Id autem in quo later factus calidus ab igne differt, si dicatur de igne, non propriè & verè de eo dicitur, sed metaphoricè aut falsò; falsum est enim ignem, qui est subtilissimum corporum, grossum dici, sicut later calefactus dicitur; durus autem ipse dici potest metaphoricè, propter similitudinem aliquam cum duro; nimirum propter violentiam actionis, & non facilem potentiam passionis. Nam sicut durum non habet potentiam ad facilè recipiendum, ita nec ignis, propter rationes dictas. Et ratio est, quia ut inquit S. D. omnis actus procedit ab agente secundùm aliquam rationem quæ in ipso est, agere enim est communicare effectui hoc ipsum quod agens est actu: sicut calidum calefacit, inquantum calorem communicat per quem est in actu calidi: ergo si reperiatur aliqua perfectio in effectu, per quam suæ causæ similetur, in eo quod agens est, & hæc de causa dicatur, propriè & formaliter debet de illa dici; & è contra non debet illi attribui, saltim propriè, sed metaphoricè duntaxat, si per eam effectus agenti non assimiletur, sed ab eo differat.

1. dist. 35. q. 1. art. 2. ad 3.

12. Minor etiam est evidens, nam simpliciter existentia

existentia similantur ei in esse, & esse verè dicitur de Deo, viventia in vivere, cognoscentia in intelligere, & aliis perfectionibus consequentibus, ut sapientia, bonitas, veritas &c. Differunt verò, seu potiùs sunt diversa secundùm speciales modos participandi esse, vitam, & intellectum, quia accedunt ad materiam, & potentialitatem seu nihilum, & recedunt à Deo inquantum limitant illud esse: ergo hujusmodi perfectiones simpliciter simplices secundum rationem suam, formaliter sunt in Deo, seu verè & propriè (nam hoc idem est) etenim verum ac proprium aurum dicimus, quod habet naturalem formam auri, & proprietates illius; unde si aliqua ratio verè& propriè conveniat, formaliter convenire dicitur. Quod autem verè & propriè non convenit, sed metaphoricè, non convenit formaliter, quia non habet rationem, & naturam formæ, sed quandam ejus similitudinem. Vnde perfectiones quæ sunt secundùm quid & in determinato genere, non dicuntur Deo formaliter convenire, quia non convenit Deo natura propria illarum formarum aut ratio earum, prout est propria hujus generis, speciei, vel individui; v. g. non convenit anima, vel sensus, aut vita corporea, quia secundum quod est propria speciei, vel generis habet limitationem, & modum qui repugnat primo enti & esse illimitato. Quod autem contineantur eminenter virtualiter, & sicut in causa æquivoca, continente omnem actualitatem essendi, patet ex dictis. Nam divina essentia comparatur ut ad actus omnia illa prædicata creaturarum propria, & limitata, sicut actus perfectus ad imperfectum, ac subinde virtute continet om-

nem rationem eorum secundum quod de actualitate essendi participant; sicut senarius continet binarium, & ternarium, &c. licet non sit binarij vel ternarij species formaliter, ut diximus *tom.2. clypei philos.q.6. art.4.*

13. Quapropter hæc continentia ad omnes omnium creaturarum perfectiones se extendit, non solùm in communi, & ut habent rationem entis, sed in particulari ut speciales perfectiones sunt, inquantùm sunt quædam ipsius esse divini participationes, atque imitationes, imperfectæ tamen. Quam imperfectionem contrahunt per accessum ad potentiam, & nihilum creaturæ. Vnde hæc non est Deo, sed creaturæ propria, ac subinde à Deo extranea, ac formaliter creaturæ conveniens, sed eminenter duntaxat Deo. Quia cum sit de ratione cujuslibet formæ creatæ limitatio, & accessus ille ad potentialitatem ac nihilum, non potest separari ab illa forma, ut est propria creaturæ, ac subinde secundùm essentiam nequit illa forma reperiri in Deo, utpote in suo conceptu essentiali imperfectionem involvens: quod autem non continetur secundùm naturam & essentiam formæ non continetur formaliter, 1. p. q.14. art.6.

14. In quo consistat illa eminentia continendi, explicat S. D. dicens: *In Deo præeminenter existit, quidquid perfectionis in creaturis est. Et hæc eminentia attenditur quantum ad tria: scil. quantùm ad universalitatem, quia in Deo sunt omnes perfectiones adunatæ, quæ non congregantur in aliqua una creatura. Item quantùm ad plenitudinem, quia est ibi sapientia sine omni defectu, & similiter de aliis attributis, quod non est in creaturis. Item, quantùm ad unitatem, quia quæ in crea-*

1. dist.2. q 1. art. 3.

turis

turis diversa sunt, in Deo sunt unum: & quia in illo uno habet omnia, ideo secundùm illud unum causat omnia, cognoscit omnia, & omnia sibi per analogiam similantur. Quapropter D. Dionys. supracitatus dicit: *quod Deus in una existentia omnia præhabet.* En primum, & D. Aug. lib. de speculo cap. 14. ait: *Deus est sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, sine tempore sempiternus, sine morte vita, sine infirmitate fortis, sive mendacio verus, sine loco ubique totus, sine situ ubique præsens, sine extensione omnia implens, sine contractione ubique occurrens, sine motu omnia transcendens, sine statu intra omnia manens, sine indigentia omnia creans, sine labore omnia regens, sine mutatione omnia mutabilia faciens.* En secundum. De 3. intelligendus Irenæus supra citatus.

CAPUT III.

Solvuntur argumenta.

ARgum. 1. Deus non continet eminenter ipsam vitam & sapientiam, seu vivere & sapere; sed hæc sunt perfectiones simpliciter simplices: ergo perfectiones simpliciter simplices non continentur eminenter formaliter in Deo. Prob. maj. Deus intantum dicitur omnes perfectiones eminenter continere, quia est ipsum esse simpliciter & per se subsistens: sed in esse non possunt contineri eminenter perfectiones vitæ & sapientiæ: ergo Deus non continet eminenter vitam & sapientiam. Prob. min. id quod est perfectius, nequit in perfectiori tanquam in causa effectiva eminenter contineri, quia perfectum est prius imperfecto secundùm 15.

esse : sed vita & sapientia sunt quid perfectius quam esse : ergo nequeunt in illo eminenter sicut in causa effectiva contineri. Prob. min. vivens est perfectius quam ens, & sapiens quam vivens : ergo vita, & sapientia, quam ipsum esse. Vnumquodque enim nobilitatem sortitur ex forma, & actu. Nota breviter, quod per sapientiam intelligit vitam cognoscitivam, seu intellectualem, & per sapiens ipsum cognoscitivum, seu intellectivum, ut patet *sup. Dionys. cap.5. lect.1.*

16. Resp. ex S.D. neg. maj. ad prob. dist. min. in esse per se subsistenti in re, & quod est ut actus & causa omnium rerum non possunt contineri eminenter perfectiones vitae & sapientiae, nego: in esse non per se subsistenti in re, sed quod habet participari, & quodammodo inesse, concedo. Ad prob. dist. min. vita & sapientia sunt quid perfectius quam esse, si sumantur vita & sapientia prout in re includunt ipsum esse, ut actum earum, & ei specialem perfectionis gradum addunt, concedo : si sumantur secundum suas rationes formales quas addunt enti, cum exclusione ipsius esse simpliciter & in actu, nego; sic enim esse est perfectius secundùm rationem suam formaliter & praecisivè ad vitae, & sapientiae rationes, à quibus abstractione formali abstrahit; nam se habet ut actuans omnes perfectiones, quae intantum sunt simpliciter perfectiones, inquantum habent de ipso esse actu. Hinc est quod si admittatur in re tale esse per se subsistere, & non in intellectu tantùm, reipsa includet perfectiones vitae, & sapientiae & quaslibet alias, sicut actus & causa essendi simpliciter omnibus. Tale autem esse, quod

per

per rationem duntaxat in creatis accipitur ut per se & solitariè, in Deo reipsa per se subsistens est, inde est quod in eo continentur omnes rerum perfectiones, sicut in primo actu, & omnium causa effectiva.

Argum. 2. in eo qui est maximè simplex, rerum omnium perfectiones esse nequeunt; sed Deus est maximè simplex: ergo in eo rerum omnium perfectiones non sunt. Prob. maj. multa & diversa in uno simplici esse non possunt; sed perfectiones rerum sunt multæ & diversæ: ergo non possunt esse in eo qui est maximè simplex. Conf. opposita simul in eodem esse non possunt; sed multæ rerum perfectiones sunt adinvicem oppositæ, ut sunt diversæ ejusdem generis species, quæ per oppositas differentias constituuntur: ergo in Deo rerum omnium perfectiones esse non possunt. 17.

Resp. ex S.D. dist. maj. in eo qui est maximè simplex non possunt multa & diversa esse per modum plurium concedo: per modum unius, nego: quo pacto omnium rerum perfectiones sunt in Deo, esto simplicissimus sit. Sicut enim sol (ut ait Dionysius *cap. 5. de divin. nom.*) sensibilium substantias & qualitates multas, differentesque ipse ûnus existens, & uniformiter lucendo, in seipso uniformiter præaccipit, ita multò magis in causa omnium necesse est existere omnia secundum naturalem unionem. Ad conf. eodem modo dicitur, quod ea quæ inter se sunt contrariæ, in Deo præexistunt, non ut contraria, sed ut unum. 18.

Arg. 3. omne illud quod dicitur de aliquo ex sola ratione similitudinis alterius, non est propriè in illo, sed metaphoricè duntaxat de ipso 19.

prædicatur, sicut cum dicitur pratum ridere; sed perfectiones quæ ex creaturis Deo attribuuntur, solùm secundùm aliquam rationem similitudinis, quam creatæ perfectiones ad divinam bonitatem habent, Deo attribuuntur: igitur non sunt in eo verè & propriè seu formaliter, sed similitudinariè tantum.

20. Confirm. hujusmodi perfectiones simpliciter simplices analogicè duntaxat Deo & creaturis conveniunt, ut docet S. D. *infra q.* 13, *art.* 5. sed quæ analogicè duntaxat conveniunt secundùm eandem rationem formalem non conveniunt: ergo perfectiones simpliciter simplices, quæ formaliter in creaturis reperiuntur, in Deo formaliter non sunt constituendæ, & eo modo quo creaturis competunt, aliàs secundùm eandem rationem simpliciter, & univocè convenirent.

21. Resp. ad arg. ex D. Th. *q.* 7. *de potent. art.* 5. *ad* 8. dist. maj. si illa similitudo per se fundetur in esse formæ, ut forma & actus est utriusque, inæqualiter tamen, & secundùm habitudinem unius ad alterum, nego: si non fundetur in esse formæ secundùm se, sed secundum aliquem effectum ejus, concedo. Sicut videre prati non fundatur in similitudine formæ prati cum homine, sed in quodam effectu ejus. Et dist. min. perfectiones, quæ ex creaturis Deo attribuuntur, solùm ei attribuuntur secundũ aliquam rationem similitudinis, fundatæ in conceptu proprio formæ in se non claudentis imperfectionem, concedo: fundatæ in sola proprietate, vel habitudine ad effectum, nego minorem, & consequentiam. Verba D. Thomæ sunt: *Dicendum quod in effectu invenitur aliquid, per quod assimilatur sua causa, & aliquid per quod à sua causa differt: quod quidem*

dem convenit ei vel ex materia, vel ex aliquo hujusmodi; sicut patet in latere indurato per ignem. Nam in hoc quod lutum calefiat ab igne, igni similatur: in hoc verò quod calefactum ingrossetur & induretur, differt ab igne; sed habet hoc ex materia conditione. Si ergo id in quo later igni similatur, de igne dicatur, propriè dicetur de eo, & eminentiùs & per priùs. Ignis enim est calidior quam later, & iterum eminentiùs: nam later est calidus quasi calefactus, ignis autem naturaliter. Si verò id in quo later ab igne differt, dicamus de igne, falsum erit, & nomen hujusmodi conditionem in suo intellectu habens de igne non poterit dici; nisi metaphoricè. Falsum est enim ignem qui est subtilissimum corporum, grossum dici. Durus autem dici potest propter violentiam actionis, & non facilem potentiam passionis. Similiter consideranda sunt in creaturis quadam, secundùm qua Deo similantur, qua quantum ad rem significatam, nullam imperfectionem important, sicut esse, vivere, & intelligere, & hujusmodi. Quadam verò sunt secundùm qua creatura differt à Deo, consequentia ipsam prout est ex nihilo, sicut potentialitas, privatio, motus, & alia hujusmodi: & ista sunt falsa de Deo. Et quacunque nomina in suo intellectu hujusmodi conditiones claudunt, de Deò dici non possunt nisi metaphoricè, sicut leo, lapis, & hujusmodi, propter hoc quod in sui definitione habent materiam. Dicuntur autem hujusmodi metaphoricè de Deo propter similitudinem effectus.

Ex his patet ad conf. dico enim quod equidem hujusmodi perfectiones simpliciter simplices Deo analogicè conveniunt, non propter solam effectus formæ, vel proprietatis similitudinem, ut contingit in his quæ metaphoricè 22.

dicuntur; sed secundum esse & rationem formæ, licèt inæqualiter, & per attributionem unius ad alterum, ut accidit in analogis attributionis & proportionalitatis. Videnda sunt quæ diximus *tomo 2. clypei Philosophiæ quæst. 2.*

CAPVT IV.

Quomodo hujusmodi perfectiones, seu attributa in Deo, inter se & ab essentia divina distinguantur.

§. I.

Variæ sententiæ referuntur, & quædam prænotantur.

23. QVidam antiqui, quos suppresso nomine refert D. Thomas *in 1. dist. 2. q. 1. art. 2.* asseruerunt attributa divina inter se nonnisi penes diversa connotata in creaturis differre. Quam sententiam postea sequuti videntur Gregorius *in 1. dist. 8. q. 2. art. 1. & 2.* & alii nominales, solam distinctionem rationis ratiocinantis inter hujusmodi attributa admittentes, cui ex parte Dei nihil proximè correspondeat, ex parte tamen effectus diversa connotatio.

24. Alii dixerunt hujusmodi attributa etiam ante omnem intellectus operationem distinctione aliqua reali formali, seu ex natura rei distingui. Hujus sententiæ meminit Durandus *in 1. dist. 2. quæst. 2.* Authores tamen illius non refert, sed cum ipse floruerit circa tempora in quibus scripsit Scotus: nam iste floruit circa annum 1297. ut refert Spondanus, ille autem circa annum 1318. ut narrat Trithemius, verisimile est quod de

de Scoto ipso, & Sectatoribus ejus intelligat, cui communiter hæc sententia tribuitur. Eam docet *in 1. dist. 2. quæst. 7.* Ipsum sequuntur communiter ejus discipuli. Hujusmodi distinctio quæ in Scholis, & publicis congressibus tot disputationum lites movere solet, sic ab ipsomet Scoto ibidem explicatur. *Sed nunquid hæc distinctio dicetur realis? Respondeo, non est propriè realis actualis, sicut communiter, realis actualis illa, quæ est differentia rerum & in actu... & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis... Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu; sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est objectum intellectus. Vel alio modo potest vocari differentia virtualis: quia illud quod habet talem distinctionem, in se non habet rem, & rem, sed est una res habens virtualiter, sive eminenter quasi duas realitates: Quia utrique realitati ut est in illa re competit illud proprium quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta, ita enim hæc realitas distinguit* (nimirum personalitas) *& illa res non distinguit* (scil. essentia) *sicut si ista esset una res, & illa alia.* Et paulò infra eam vocat non identitatem, dicens: *Ista autem distinctio, sive non formalis identitas.* Vnde colligitur, non tam distinctionis propriæ, quam non identitatis vocem, & rationem apud Scotum habere.

Alii denique docent attributa inter se & ab essentia distingui virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum, non quidem distinctione rationis ratiocinantis, & absque fundamento in re, sed ratione ratiocinata. Hæc sen- 25.

tentia inter Theologos est receptissima, & cum D.Th. innumeris in locis eam constituunt omnes ejus discipuli & alii non pauci quos citat,& sequitur Illustriss. Godoy *hic q.2.tr.1.disp.5.* §.1.

26. 1. dist. dist. 2. quæst. 1. art. 3. c. Pro cujus intelligentia diligenter notandum est (*quia*, ut inquit S. D. *ex hoc pendet totus intellectus eorum, quæ dicuntur in 1. lib. sent.*) quod ratio prout hîc sumitur nihil aliud est, quam id quod apprehendit intellectus de significatione alicujus nominis, & hoc in his quæ habent diffinitionem est ipsa rei diffinitio, secundùm quod dicit Philosophus 4. *metaphys.* ratio quam significat nomen, est diffinitio, sed quædamque dicuntur habere ratioñé sic dictam, quæ non diffiniuntur, sicut quantitas, qualitas & hujusmodi, quæ non diffiniuntur, quia sunt genera generalissima. Et tamen ratio qualitatis est id quod significatur nomine qualitatis: & hoc est illud ex quo habet qualitas, quod sit qualitas. Et sic patet quod ratio sapientiæ v. g. quæ de Deo dicitur, est id quod concipitur de significatione hujus nominis, quamvis ipsa sapientia divina diffiniri non possit. Nec tamen hoc nomen *ratio* significat ipsam conceptionem, quia hoc significatur nomine sapientiæ, sed significat intentionem hujus conceptionis, sicut & hoc nomen diffinitio, & alia nomina secundæ impositionis.

27. Ex hoc patet qualiter ratio dicatur esse in re, inquit S. D.non enim hoc dicitur, quasi ipsa intentio,quam significat hoc nomen,*ratio*,sit in re, aut etiam ipsa conceptio, cui convenit talis intentio, sit in re extra animam,cum sit in anima, sicut in subjecto, sed dicitur esse in re, inquantum in re extra animam est aliquid, quod respondeat

respondet conceptioni, sicut signatum signo.

Sciendum est autem quod ipsa conceptio intellectus tripliciter se habet ad rem, quæ est extra animam. Aliquando enim hoc quod intellectus concipit, est similitudo rei existentis extra animam; sicut hoc quod concipitur de hoc nomine *homo*, & talis conceptio intellectus habet fundamentum in re immediatè, inquantum res ipsa ex sua conformitate ad intellectum, facit quod intellectus sit verus, & quod nomen significans illum intellectum propriè de re ipsa dicatur. Aliquando autem hoc quod significat nomen, non est similitudo rei existentis extra animam, sed est aliquid quod consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam; & hujusmodi sunt intentiones, quas intellectus noster adinvenit, sicut significatum hujus nominis *genus*, non est similitudo alicujus rei extra animam existentis, sed ex hoc quod intellectus intelligit animal, ut in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis, & hujusmodi intentionis, licet proximum fundamentum non sit in re, sed in intellectu, tamen remotum fundamentum est res ipsa. Vnde intellectus non est falsus, qui has intentiones adinvenit. Et simile est de omnibus aliis, quæ consequuntur ex modo intelligendi, sicut est abstractio mathematicorum, & hujusmodi, *ibid.* 28.

Aliquando verò id quod significatur per nomen non habet fundamentum in re, neque proximum, neque remotum, sicut conceptio chimeræ; quia neque est similitudo alicujus rei extra animam, neque ex modo intelligendi rem aliquam naturæ consequitur. Et ideò ista conceptio 29.

ceptio est falsa. Vnde patet quod ratio dicitur esse in re, inquantùm significatum nominis, cui accidit esse rationem, est in re. Et hoc contingit propriè, quando conceptio intellectus est similitudo rei, *ibidem c.*

30. Ex quo sequitur, quod sicut ratio hominis non dicitur esse in homine, quasi res quædam in ipso, sed est sicut in subjecto in intellectu, & est in homine, sicut in eo, quod veritati ipsius fulcimentum præstat: ita etiam ratio bonitatis divinæ, & alterius cujuslibet attributi est in intellectu concipiente, sicut in subjecto, in Deo autem sicut in eo, quod correspondet per quandam similitudinem isti rationi faciens ejus veritatem. Sicut enim dicitur aliquid fundari, vel radicari in aliquo, ex quo firmitatem habet, sicut domus in fundamento, & arbor in terra, ita pariter hujusmodi rationes intellectæ in rebus intellectis fundari, & radicari dicuntur, quia ab eis hauriunt suæ veritatis firmitatem, *ibid.ad* 1.

31. Sed sciendum est quod rationes intellectæ habent duplicem firmitatem, scil. firmitatem sui esse, & hanc habent ab intellectu sicut alia accidentia à suis subjectis; & etiam habent firmitatem suæ veritatis, & hanc habent ex re cui conformantur. Ex eo enim quod res est, vel non est, locutio & intellectus veritatem, vel falsitatem habet. Rationes ergo attributorum fundantur, vel radicantur in intellectu quantum ad firmitatem sui esse, quia intellectus est earum subjectum; in essentia autem divina quantùm ad firmitatem suæ veritatis. *Ibid. ad* 5.

32. Ex his patet convenientia inter D.Thomam, & ipsum Scotum, in eo quod uterque admittit

cum

cum diversitate attributorum summam simplicitatem, quæ non compatitur ullam distinctionem actualem, seu differentiam rerum, itaut Deus habens plura attributa nullatenus habeat rem, & rem. Deinde conveniunt in hoc, quod in Deo realiter est aliquid correspondens conceptioni intellectus, & præbens fulcimentum veritati illius, quando diversas concipit rationes attributorum, ac perfectionum. Tota ergo difficultas est, utrum ante operationem intellectus entitas quæ est bonitas, & entitas quæ est sapientia taliter se includant, & identificentur, ut bonitas ex natura sua, prout in Deo reperta, sit realiter formaliter sapientia, vel è contra sit non ipsa, etiam prout in Deo invenitur, & est divina.

§. II.

Statuitur divina attributa inter se, & ab essentia non distingui realiter ex natura rei, & authoritate probatur.

ANtequam ad impugnandam subtilis Doctoris sententiam deveniamus, prænotandum est ex D. Thoma quod dupliciter aliqua possunt esse unum in Deo. Vno modo ex parte ejus in quo sunt tantùm, & non ex propria ratione, sicut scientia, & potentia: non enim scientia ex hoc quod scientia, est idem quod potentia secundùm rem, sed ex hoc quod est divina, & quæ sic sunt unum re in Deo, in creaturis inveniuntur secundum rem differre. Alio modo ex ipsa ratione eorum, quæ dicuntur esse unum realiter, & sic bonum, & ens sunt unum in Deo realiter; quia de ratione boni èst, quod non

33. Quæst. 21. de verit. a. 1. ad 5.

non differat secundùm rem ab ente,& ideò ubicunque invenitur bonum, & ens, sunt idem secundùm rem. Itaque dicimus, quod esto diversa attributa, ut scientia, & potentia ex propria ratione, qua inveniuntur in creaturis,non sint unum secundùm rem, tamen ut attributa divina, & prout sunt in Deo sunt taliter unum secundùm rem, quod secundùm rem, immò ex natura rei in qua sunt habeant non differre realiter, sed sola ratione ratiocinata, quia sunt in ea tanquam in simplicissima essentia, & natura, ac subinde ut omnino unum.

34. Prob. Primò hæc veritas ex Concilio Remensi, quod damnans Gilberti Poretani errores, quorum primus iste fuit; *Quod divina natura qua divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma quâ Deus est, quemadmodum humanitas homo non est, sed forma quâ est homo:* ita definit: *Credimus & confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus sit divinitas. Sicubi verò dicitur Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, & alia hujusmodi, credimus nonnisi eâ sapientia, qua Deus est, sapientem esse; nonnisi eâ magnitudine, qua est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate, qua est ipse Deus aeternum esse; nonnisi ea unitate unum, qua est ipse.* Quæ definitio sumpta est ex SS. Patribus, præsertim verò ex D. Augustino, ut videre est in D.Bernardo serm. 80. in Cantica, ubi ita scribit: *Iam de magnitudine, bonitate, & justitia sapientiaque, idem per omnia quod de divinitate sentimus; Vnum in Deo sunt, & cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quam unde magnus; nec aliunde justus aut*

aut sapiens, quam unde magnus, & bonus; nec aliunde denique hæc omnia, quam unde Deus, & hoc quoque nonnisi seipso. Sed dicit hæreticus; Quid? Deum divinitatem esse negas? Non, sed eandem divinitatem quâ est, Deum nihilominus assero, ne Deo excellentius aliquid esse assentiar. Nam & magnitudine dico magnum, sed quæ ipse est, ne majus aliquid Deo ponam; & bonitate fateor bonum, sed non alia quam ipse est, ne melius ipso aliquid mihi videar invenisse; & de cæteris in hunc modum securus & libens pergo inoffenso, ut aiunt, pede in ejus sententiam, qui dicebat; Deus nonnisi ea magnitudine magnus est, quæ est quod ipse. Alioquin illa erit major magnitudo quam Deus. Augustinus hic est, validissimus malleus hæreticorum. Si quid itaque de Deo propriè dici possit, rectiùs congruentiusque dicetur, Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia; quam Deus est magnus, bonus, justus, aut sapiens. Videndus S. D. Augustinus *lib.7. de Trinit. c.4.* & *6. lib.15.c.5.* & *6.* & alibi passim.

35. Communis Scotistarum solutio est, intentum Concilij fuisse, duntaxat à divina simplicitate distinctionem realem entitativam excludere, qualis inter rationes creatas realiter distinctas reperitur, non verò distinctionem formalem ex natura rei, qualem admittit Scotus & ejus Schola. Quod ex eo colligit Mastrius in 1. *disp.2. art.3. num.68.* quòd D. Bernardus *loco cit.* disputans contra Gilbertum adducit exempla quæ realem inferunt distinctionem, ut albedinis à nive, & nigredinis à corvo. Similiter ad Bernardi & aliorum Patrum testimonia respondent de hujusmodi distinctione reali entitativa intelligi debere, non verò de distinctione

reali

reali ex natura rei; quam admitti à SS.Patribus existimant, dum simplicem multiplicitatem constituunt; aut uni attributo attribuunt, quod alteri denegant; Etenim D. Hilarius lib. 8. de Trinit. inquit, *Non voluntatem Dei, sed potestatem efficere creaturam*; Et D. August. *lib.6.de Trinit. cap.6.* ait Deum multipliciter dici, magnum, bonum, sapientem, beatum, verum, & quidquid aliud non indignè dici videtur.

36. Profectò quamvis nullatenus dubitem subtilis Doctoris opinionem toto cœlo ab errore Gilberti distare, quod ad relationes & essentiam spectat, ut infra *quæst.* 28. ostendetur; tamen in constituenda hujusmodi distinctione reali ex natura rei inter essentiam & attributa, vel ipsa attributa adinvicem, non satis longè à modo dicendi Gilberti abscedere videtur Scotus, nec satis præfati Concilij definitionem servare (quod tamen citra tanti Doctoris, & ejus Scholæ injuriam dictum velim.) Non, inquam, videtur satis præfati Concilii definitioni ejus doctrina consonare; Nam Concilium contra Gilbertum diffiniens, in Symbolo fidei quod condidit, ob servandam omnimodam naturæ divinæ simplicitatem, statuit, in aliquo sensu catholico non posse negari, quin Deus sit divinitas, sapientia, bonitas &c. sed admissa Scoti distinctione reali ex natura rei, oportet quod verum sit dicere ante omnem operationem intellectus, quod Deus ex natura rei non sit sua sapientia, nec sapientia divina ejus bonitas: ergo hæc distinctio non satis videtur definitionem præfati Concilii salvare. Minor prob. quia unum distingui ab alio est unum non esse aliud: ergo si à parte rei, & ante omnem operationem intellectus attri-
buta

buta ex natura rei ab essentia distinguuntur, verum erit dicere, quod Deitas non sit bonitas; nec bonitas Deus, aut Dei sapientia &c. Et reipsa quidem ita concedit Scotus *in 1. dist. 8. quæst. 4. §. ad quæstionem*, ubi ait : *Sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei : Sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.* Nec ibi locum habet dicere, quod non potest catholicè negari, quia Deus sit divinitas, vel sapientia, aut bonitas entitativè : quia Concilium utitur signo universali negativo, nimirum *nec aliquo sensu catholico posse negari quin Deus sit divinitas &c.*

Præterea, quia inter attributa & essentiam divinam nonnisi distinctionem formalem ex natura rei, & non realem entitativam constituit Gilbertus : ergo hanc à Deo removet Concilium contra Gilbertum definiens. Prob. antec. quia ipse Gilbertus dixit attributa esse interiùs in Deo, relationes verò extrinsecus affixas, ut patet ex Magistro Sent. *lib. 1. distinct. 33.* ubi referens opinionem Gilberti, & sequacium illius, ait : *Hoc autem aliqui negant* (nimirum proprietates personales esse ipsammet essentiam divinam, vel id quod est Deus) *dicentes quidem proprietates in personis esse, sed non esse personas ipsas : quia ita dicunt esse in personis, vel in essentia divina ut non sint interius, sicut ea quæ secundùm substantiam dicuntur de Deo, ut bonitas & justitia : sed extrinsecùs affixa sunt.* Sed quod est interiùs in aliquo, & non est accidens ipsi inhærens, aut pars ejus, realiter & entitativè est substantia illius in quo est interius, sicut humanitas quæ est in homine, non ut accidens, aut pars ejus, sed ut forma quà homo est 37.

homo, realiter entitativè est substantia hominis: ergo cum Gilbertus non posuerit attributa v.g. bonitatem, sapientiam &c. esse accidentia Dei physica, aut partes ejus, sed quasdam formas quibus est sapiens, bonus &c. non constituit distinctionem realem entitativam, sed solum realem ex natura rei.

38. Confirm. quia hæc fuit Gilberti doctrina in prædicto Concilio damnata: *Quod natura divina, quæ divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma quâ Deus est, quemadmodum humanitas homo non est, sed forma quâ est homo*: sed humanitas non est distincta entitas ab homine sicut accidens à subjecto, vel ut una pars ab alia, aut à suo toto, quia in re dicit totam hominis essentiam; licèt alio modo formaliter quam homo, quia homo dicit essentiam hominis ut in habente, humanitas verò ut per se: ergo etiam non constituit distinctionem realem entitativam, tanquam inter duas entitates, inter essentiam & attributa, sed solum formalem ex natura rei, quia attributa se habent ut quædam formæ quibus Deus est sapiens, bonus &c. Deus autem se habet ut id in quo sunt tales formæ, interiùs tamen, seu intra substantiam Dei existentes, aliàs essent ejus accidentia physica, quod nullatenus admisit Gilbertus. Hinc est quod M. Albertus *dicta dist.* 33. *art.* 5. rationes Gilberti adducens, præsertim eam quæ in contradictoriis fundatur, ait, quod ipse duas propositiones supponebat, nimirum quod non idem sit *omnino* uniens & distinguens, sed differunt in aliquo: & quod id quod distinguitur secundùm intellectum solum, non sit causa distinctionis rei, quod est fundamentum Scoti ad

consti

constituendam distinctionem ex natura rei in divinis.

Pro majori evidentia notandum est, quod ipsemet Gilbertus *lib. de sex principiis cap.5.* sic rationem formæ explicat: ***Forma est compositioni contingens, simplici & invariabili essentia consistens.*** Vbi notat M. Albertus quod diffinitur ibi logicè forma, prout dat esse formale totius, & est notio ipsius: quæ dicitur contingens, non quia aliquando non sit substantia, sed quia modus accipiendi eam semper est contingens & semper est accidens, nimirum logicè: quia secundum rationem suam accipitur ut aliquid præter rationem subjecti, ut quo tamen subjectum est, & denominatur formaliter tale. Vnde ut forma est, semper importat respectum causæ ejus, quod secundum eam formatur, ut docet D. Th. *de verit. q.3. art.3. c.* Quapropter cum oporteat causam formalem quodammodo distingui ab eo quod secundùm eam formatur, quia nihil est forma sui ipsius, & divinitas, bonitas, sapientia divina &c. sint quædam formæ in re secundum quas Deus est Deus, bonus, sapiens &c. idcirco Gilbertus nolebat absolutè concedere, quod Deitas esset Deus, sed id quo Deus est; sicut humanitas est id quo homo est homo, seu causa formalis ejus, quod est hominem esse: Non tamen ita quod assereret Deum & Deitatem esse duas entitates realiter entitativè distinctas, sed realiter ex natura rei; quatenus Deitas intrinsecè est in Deo sicut constituens formaliter, seu id quo Deus est, ac subinde non omnino idem ex natura formæ, seu rei cum ipso. Moveor ad hoc asserendum ex definitione Concilii: quia ipsum non tantum de- 39.

finivit, *Simplicem naturam divinitatis esse Deum* quod planè sufficeisset, si Gilbertus distinctionem realem entitativam admisisset: quia inter sic distincta semper absolutè verificatur quod unum non sit aliud; sed addidit: *Nec aliquo sensu Catholico posse negari quin divinitas sit Deus, & Deus sit divinitas:* Quia Gilbertus equidem concedebat, ut diximus, non esse Deitatem, sapientiam &c. extra Deum, ut entitatem ab eo diversam, sed intra substantiam ejus: tamen secundum quod ipsam seu ex natura rei esse non Deum, sed formam quâ Deus esset: quam tergiversationem ut rejiceret adjecit: *Nec in aliquo sensu &c.*

40. Quod ad Patrum testimonia attinet, quæ Scotistæ de distinctione reali entitativa duntaxat, & non reali ex natura rei intelligenda volunt, immo hanc ab eis admitti aiunt, solutio stare non potest: Primò quia ipsi SS. Doctores explicantes quomodo hæc multiplicitas Deo attribuatur, ad diversum modum concipiendi intellectus nostri, & significandi eandem simplicem rem, & naturam diversis nominibus recurrunt. Quod patet ex D. August. 7. *de Trinit. cap.* 1. ubi ait, magnitudinem, bonitatem, justitiam, pluribus vocabulis in eadem sapientia intelligi: *Aut si hæc omnia*, inquit, *pluribus vocabulis in eadem sapientia, & virtute intelliguntur, ut ea sit magnitudo quæ virtus, ea bonitas quæ sapientia, & ea rursus sapientia quæ virtus, sicut jam tractavimus, meminerimus cum aliquid horum nomino accipiendum esse ac si omnia commemorem.* Præterea D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 13. *Voces diversæ*, inquit, *semitæ multæ, sed unum per eas significatur.* Tertiò D. Cyrillus Alex. lib. 11. Thesauri

Thesauri ait substantiam Dei seipsa perfectam esse, sed tamen nos cogi ea accidentium modo intelligere : *Reliquum est*, inquit, *ut voce modoque dicendi accidentia esse dicamus, non enim potest humana natura majus aliquid, quam ipsa concipere possit, de Deo dicere. Nostro enim proprio modo intelligimus & loquimur ex iis quæ in nobis sunt, quasi per exempla, majora intelligentes : sicut qui in minima charta cœlestem circulum describunt.* Tandem D. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 11. postquam præmisit, *aliud esse re considerare & aliud ratione atque intelligentia*, statim concludit quod omnia in Deo re sunt unum nisi ubi obviat relationis oppositio, *ratione autem & intelligentia hoc distinctum, quia unum agnoscimus Deum.*

Secundò, quia nihil in abstracto significatum dicitur de alio, nisi includatur in formali conceptu alterius : sed quando duo ita se habent ut unum formaliter in conceptu alterius includatur, nequeunt ex natura rei distingui : ergo cum in SS. Patribus passim reperiantur prædicationes, in quibus attributa in abstracto significata adinvicem prædicantur, atque de essentia, oportet quod apud eos non possit hujusmodi realis formalis distinctio inter essentiam & attributa, vel attributa adinvicem in Deo constitui. Maj. patet, quia forma in abstracto nihil præter essentiam formalem rei dicit; v. g. humanitas dicit solam essentiam formalem hominis, & nil aliud præter ipsam : sed unum prædicari de alio est unum esse aliud : ergo cum forma in abstracto considerata prædicatur de alia similiter in abstracto considerata, oportet quod una includatur formaliter in 41.

conceptu & ratione alterius, quia nil aliud præter ipsam important. Præterea ideo entitas in abstracto prædicatur de quolibet, quia in ratione cujuslibet intrinsecè includitur. Minor etiam est evidens, quia in his quæ ex natura rei distinguuntur reperitur diversa definitio: ergo diversa quidditas & ratio: ergo unum non includitur formaliter in conceptu & ratione alterius.

42. Tandem, Sancti Patres eam distinctionem, & multiplicitatem inter essentiam, & attributa, vel attributa adinvicem rejiciunt, quæ obstat summæ Dei simplicitati: sed constituere plura attributa ex natura rei distincta obstat summæ simplicitati Dei, ut fusè ostendetur §. *seq.* ergo rejiciunt quamlibet distinctionem realem, etiam ex natura rei.

§. III.

Attributa divina abinvicem, vel ab essentia divina non distingui realiter ex natura rei, ratione desumpta ex summa Dei simplicitate ostenditur.

43. RAtiones quibus Theologi distinctionem ex natura rei à divinis attributis & essentia rejiciunt, sunt variæ ac multimodæ, quarum prima sit: Deus est summè unus unitate simplicitatis, seu omnino simplex, ut sumitur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. sed summa unitas simplicitatis, vel summa simplicitas secum aliquam distinctionem ex natura rei non compatitur: ergo inter essentiam & attributa, seu attributa adinvicem aliqua distinctio realis ex natura rei admitti non debet

debet. Maj. probari potest, ex ipso Scoto simplicitas est quædam perfectio: sed quælibet perfectio in Deo ejusmodi est, quod eâ major esse non possit, cum sit simpliciter infinita, & actus purus: ergo Deus est summè unus unitate simplicitatis, seu omnino simplex, itaut major simplicitatis perfectio esse nequeat.

Minor etiam prob. unitas simplicitatis est 44.
vera identitas, ut patet ex ipso Scoto: ergo In 1.dist.
quod est summè unum unitate simplicitatis, seu 2.q.7.§.
omnino simplex, est summè & omnino idem; in quinto.
sed quod est summè & omnino idem nullam secum realem distinctionem, etiam ex natura rei compatitur: ergo summa unitas simplicitatis, seu summa simplicitas secum aliquam realem distinctionem ex natura rei non compatitur. Minor prob. omnis distinctio realis ex natura rei est quædam realis non identitas, ut patet ex Scoto supracitato §.1. sed quælibet realis non identitas opponitur summæ reali identitati: ergo quod est summè & omnino idem nullam compatitur secum non identitatem realem, subindeque nullam distinctionem ex natura rei.

Conf.1.perfecta identitas in perfecta unitate 45.
fundatur; unde Sortis ad Platonē non est perfe- Scotus
cta identitas, quia non fundatur in perfecta uni- in 3.dist.
tate; sed magis est idem realiter, quod est idem 31.q.1.§.
identitate reali formali, quàm quod est idem de identitate.
identitate reali tantùm, ut constat ex eodem Scoto in 1. *dist.2.quæst.7.§.in quinto:* ergo quod est idem identitate formali est magis perfectè unum, quam quod est idem sola identitate reali; sed quò est aliquid perfectiùs unum, eò magis est indistinctum, & simplex in suo esse,

quia unum dicitur ex eo quod est indivisum seu indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio: ergo quod est summè unum, & omnino simplex, debet habere summè esse indistinctum in se, & in re; sed quod admittit distinctionem ex natura rei, non est in re summè indistinctum; quia hæc distinctio, cum sit quædam species distinctionis realis, licet minima, realiter opponitur indistincto: ergo tollit summam unitatem, ac simplicitatem omnimodam: quam in Deo præfatum Concilium Lateranense exigit, nam ly *omnino simplex*, est idem ac *prorsus seu in nullo distinctum.*

46. Conf. 2. Oppositorum sunt oppositæ rationes; sed ex ipso Scoto identitas in unitate fundatur, & quò perfectior est unitas, eò perfectior est identitas: ergo distinctio, quæ opponitur identitati saltim formali, in aliqua multitudine fundari debet, cum multitudo & unitas opponantur: sed quælibet multitudo absoluta in re opponitur summæ simplicitati naturæ & essentiæ: ergo natura & essentia Dei non erit omnino simplex. Prob. min. quia sicut unum dicitur quod non dividitur, seu est indivisum in se, ita quædam multa ex eo dicuntur, quod dividuntur; sed quod divisionem patitur, non est omnino simplex: ergo quælibet absoluta multitudo in re opponitur summæ simplicitati alicujus naturæ & essentiæ.

47. Nec valet commune Scotistarum effugium, dicentium, quòd ad compositionem, quæ simplicitati opponitur, non sufficiat quælibet pluralitas, sed requiratur imprimis quod illorum plurium unum sit potentia ad aliud; deinde quod unum non sit idem alteri, saltim perfe-

ctè,

ctè, quod in Deo non contingit; eapropter distinctio ex natura rei in eo nullam compositionem importat, sed summam simplicitatem.

Non, inquam, valet; quia admissa distinctione reali ex natura rei, reperitur imprimis quod essentia non sit idem perfectè attributis, seu unum attributum alteri attributo; quod prob. 1. quia quælibet realis distinctio est realis non identitas: realis non identitas opponitur summæ reali identitati: ergo admissa reali distinctione ex natura rei inter essentiam & attributa, ipsa non erunt perfectè idem. Secundò, quia illud non est simpliciter & perfectè tale essentialiter, quo aliquid majus, & perfectius in eodem ordine & linea reperitur; sed identitate quæ reperitur inter essentiam & attributa, vel attributa adinvicem comparata (supposita distinctione ex natura rei inter illa) simpliciter reperitur major & perfectior identitas in ratione identitatis, nimirum identitas realis formalis, ut ipse Scotus fatetur *loc. cit.* ergo essentia & attributa, admissa tali distinctione ex natura rei, non erunt perfectè idem. 48.

Deinde etiam ipsa essentia divina erit in potentia ad perfectiones attributorum, vel saltim essentia divina & attributa ut particulares rationes quidditatum in Deo existentes erunt potentia ad Deum ceu quoddam totum, & quidpiam summè perfectum ex essentia & attributis coalescens. Quod prob. primò, omne perfectibile est quodammodo in potentia ad suam propriam perfectionem: sed essentia divina ut distincta ex natura rei ab ipsis attributis se habet in ratione perfectibilis respectu attributorum: ergo se habet in re ut quædam potentia ad illa. 49.

Prob.

Prob. min. omne attributum ut distinctum ex natura rei ab essentia divina est ex propria ratione perfectio simpliciter simplex, quam melius est esse quam non inesse; sed omnis perfectio in ordine ad aliquod perfectibile dicitur: ergo cum attributa dicantur perfectiones in ordine ad essentiam, ipsa essentia se habebit in ratione perfectibilis ad attributa.

50. Prob. 2. potentia dicitur per carentiam actus debiti, seu perfectionis natæ inesse; sed essentia secundùm quod ipsa in re non est formaliter attributum divinum, quod ei inesse natum est, ut actus & perfectio quædam; & tam essentia quam attributa ut rationes & quidditates speciales existentes in Deo formaliter ex natura rei non sunt ipsum quod est Deus: ergo sunt potentia ad Deum.

§. IV.

Hujusmodi distinctio formalis ex natura rei inter attributa & essentiam Dei, seu attributa adinvicem, rejicitur ratione desumpta ex infinitate Dei, & purissima essendi actualitate.

51. Secunda ratio ex infinita naturæ divinæ perfectione, & purissima essendi actualitate, in hunc modum deducitur: Essentia divina est simpliciter infinita & in omni genere; sed non esset infinita simpliciter & in omni genere, nisi in suo conceptu quidditativo atque primario formaliter & ex sui natura omnia attributa sibi in re identificaret: ergo essentia divina in suo conceptu quidditativo, & primario formaliter & ex sui natura omnia attributa sibi identificat: sed quod formaliter & ex natura rei sibi aliquid

in

in re identificat, non distinguitur formaliter & ex natura rei ab illo: ergo essentia divina non distinguitur realiter formaliter seu ex natura rei ab ipsis attributis. Maj. patet; minor verò prob. de ratione infiniti simpliciter & in omni genere est quod in suo esse, & conceptu quidditativo formaliter omnem, & quamcunque perfectionem simpliciter simplicem includat; itaut in re, seu ex natura rei nulla sit extra ipsum: sed si attributa, quæ sunt perfectiones simpliciter simplices formaliter in Deo repertæ, à divina essentia in re formaliter ex natura rei distinguerentur, tunc in re non essent in conceptu quidditativo divinæ essentiæ comprehensa, & formaliter inclusa: ergo essentia divina non esset infinita simpliciter & in omni genere, nisi in suo conceptu quidditativo atque primario formaliter & ex natura rei omnia attributa sibi in re identificaret. Maj. patet, quia infinitum in omni genere & simpliciter dicitur, quod sine & termino perfectionis caret, seu extra quod nulla perfectio est: sed si infinitum simpliciter in suo esse & conceptu quidditativo formaliter omnem & quamcunque perfectionem simpliciter simplicem non includeret formaliter, & ex natura sua, jam non careret termino & fine perfectionis, essetque aliquid extra ipsum; quia taliter haberet unam aut plures, quod non haberet aliam, vel alias: igitur de ratione infiniti simpliciter & in omni genere est, quod in suo esse & conceptu quidditativo formaliter omnem, & quamcumque perfectionem simpliciter simplicem includat, itaut in re, seu ex natura rei nulla sit extra ipsum.

Conf.

52. Conf. inter ea quæ ſunt per eſſentiam, & ſimpliciter infinita & actus purus non poteſt in re, ſeu formaliter ex natura rei inæqualitas in perfectione reperiri: ſed ſi attributa divina ab eſſentia formaliter ex natura rei diſtinguerentur, neceſſariò in re inæqualitas aliqua in perfectione interveniret: ergo nec eſſentia ut contradiſtincta ab attributis, vel unum attributum ab alio, eſſent ſimpliciter & per eſſentiam infinita. Maj. patet; quia ſi inæqualitas reperitur, eſt ratione alicujus perfectionis realiter extra ipſum exiſtentis; ac ſubinde jam erit potentiâ in re ad ipſam. Minor verò prob. 1. ex ipſo Scoto voluntas ſecundum ſuam rationem eſt perfectior intellectu; ſed voluntas ſecundum ſuam rationem formaliter in Deo reperitur, & ſecundùm hanc ex natura rei eſt ab intellectu divino diſtincta: ergo in Deo voluntas ſecundum ſuam rationem, & prout ab intellectu divino diſtincta realiter ex natura rei eſt inæqualis perfectionis. Prob. 2. quia omnis diſtinctio formalis importat formaliter unum non eſſe aliud in ſua ratione: ſed ſecundum quod unum in ſua ratione non eſt aliud, caret formaliter ratione alterius, & hæc neceſſariò eſt quædam perfectio, cum ſit quædam actualitas: ergo eſt inæqualis perfectionis, & actualitatis.

Quodlib 3. art. 7. q. de ſpirit. creat. a. 8 c. 1. p. q. 47. art. 1. 2.

53. Conantur adverſarij primò, hoc argumentum in nos retorquere, aientes; dum nos concipimus unum attributum divinum, ut diſtinctum ab alio, vel ab eſſentia, aut concipimus illud ut infinitum ſimpliciter & in omni genere, ſeu ut includens in ſuo conceptu quidditativo eſſentiam divinam & omnia attributa formalitater, vel non? Si primum dicamus; ergo neque

neque ratione ratiocinata adinvicem distinguentur; quia quæ sic distinguuntur, unum non est de conceptu & ratione diffinitiva alterius. Si secundum dicatur; ergo pari ratione poterit per præcisionem ex natura rei sic concipi.

Sed perperam: esto enim dicamus, quod diversa attributa secundùm quod ex creaturis Deo attribuuntur, ratione distinguantur, ut infra diffusè explicabitur; tamen si in re sumatur prout est in se, verè est formaliter ipsa essentia divina & quidquid in Deo est seu ipse Deus. Attamen cum hujusmodi distinctio ex natura rei ponatur in Deo, non equidem prout habet cognosci ex diversis creaturarum perfectionibus, sed per se & antecedenter ad omnem intellectus operationem, profectò respicit attributa & essentiam in se: ergo in se unum attributum non erit infinitum simpliciter & in omni genere etiam prout est in Deo, & ipse Deus. 54. 3. cont. gent. c. 78.

Secundò cum Scoto *quodlib.* 1. *art.* 1. & 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. respondent, tribus modis intelligi posse, quod divina essentia in se contineat omnes perfectiones simpliciter; primo modo formaliter, itaut præcisè accepta secundum suam quidditatem & rationem formalem essentialiter includat, seu imbibat omnes perfectiones simpliciter, secundum earum peculiares rationes formales, & in hoc sensu est impossibile. Etenim cum perfectio simpliciter sit in Deo perfectissimo modo secundùm propriam rationem formalem positivam, & actualem, si esset una omnium formalitas à parte rei, simul essent & non essent secundum formale esse earum omnes perfectiones in Deo; vel essent in eo tantùm virtualiter & eminenter ad modum perfectionum 55.

num secundùm quid. Secundo modo potest intelligi quod essentia contineat illas perfectiones idéticè,& unitivè ratione suæ infinitatis;& hæc continentia non sufficit. Tertio tandem modo potest intelligi, quod essentia divina contineat in suo conceptu quidditativo omnes perfectiones attributales radicaliter seu fundamentaliter & originativè, quatenus prædicto modo præcisè inspecta est fœcundissima radix ex qua omnis perfectio simpliciter secundùm propriam formalitatem simplici quadam emanatione pullulat, ut connaturales ejus proprietates; & in qua etiam omnis talis perfectio radicatur per realem identitatem. Et in hoc sensu essentia dicitur pelagus quoddam infinitum perfectionum, ens illimitatum continens in se omnes perfectiones, actus purus, & id quod majus excogitari non potest.

56. Sed profectò hæc solutio vim argumenti nullatenus infringit, aut labefactat, primò; quia in re non datur essentia divina præcisè accepta, sed Deus actu existens; hæc enim præcisio nonnisi per operationem intellectus esse potest, sicut non datur in re humanitas præcisa, sed hic homo: sed Deus actu existens formaliter includit quidditativè omnes perfectiones simpliciter, secluso modo imperfecto & limitato quem habent in rebus creatis: ergo cum Deus & essentia divina, seu deitas in re nullatenus distinguantur, sed distinguuntur solùm ex modo significandi, ut fatetur ipsemet Scotus,oportet quod essentia divina in re formaliter & natura rei includat in suo conceptu quidditativo omnes hujusmodi perfectiones secundum suas proprias rationes formales positivas & actuales.

Secundo:

Secundo: illa ratio formalis positiva & actualis cujuslibet attributi vel est quædam realis perfectio, etiam secundùm quod est formalitas, vel non? Si est quædam realis perfectio, & actu non includitur in re in essentia: ergo essentia in re nō est infinita simpliciter, & actus purus: quia caret in re illa perfectione positiva & actuali, quam nata est habere, unde est potentia ad illam. Si non est quædam realis perfectio: ergo neque attributum de cujus ratione est, quod sit formaliter quædam perfectio simpliciter simplex. Tandem, quia in re est unum esse simpliciter in Deo: ergo una formalitas in re omnium quæ sunt in Deo. Conseq. prob. quia illa formalitas in re non est nihil: ergo ens; sed illud ens est simpliciter unum, cujus est unum esse: ergo illa formalitas in re erit una omnium attributorum, cum sit unum esse, & solum erit ratione & per intellectum diversa. 57.

Tertiò, quia si divina essentia continet in suo conceptu quidditativo solum virtualiter & radicaliter omnes perfectiones: ergo non magis dicentur esse in Deo perfectiones attributales, quam cæteræ quævis creaturarum perfectiones, quæ etiam virtualiter & eminenter sunt in illa, & ut quædam bonitates & similitudines divini esse radicantur in illa. Quod si dicas, perfectiones attributales formaliter in ea contineri: modo sic, non continentur alio modo quam per identitatem, & inquantùm in uno esse infinito identificantur; igitur cum Deus sit per essentiam suum esse, continebit illas perfectiones unitivè: ergo erunt de conceptu formali essentiæ; ac subinde ab ea formaliter ex natura rei non distinguentur. Sed contra hanc 58.

hanc pullulationem & virtualem continentiam plura dicemus *infra q.* 28.

§. V.

Hæc distinctio rejicitur evertendo contraria fundamenta.

59. TErtia ratio sic ad hominem formatur : Ideo Scotus ipse hujusmodi distinctionem inter essentiam & attributa in Deo admittit, quia Deus non eo est Deus, quo est sapiens, justus &c. nam Deitate est Deus, & sapientia non est formaliter Deus, sed sapiens &c. sed hæc ratio nulla est, immo contra veritatem pugnat : ergo non est in Deo admittenda hujusmodi distinctio. Prob. min. Deus formaliter non est eo Deus, quo ens, substantia, & spiritus : sed tamen, in sententia Scoti, conceptus entis, & substantiæ, sive spiritus distinguuntur formaliter ex natura rei, à conceptu divinæ essentiæ, cum sint ejus prædicata quidditativa & absoluta : igitur ratio Scoti prorsus nulla est. Prob. ant. Deus & creatura formaliter in ratione entis, & substantiæ conveniunt : ergo si ratio entis, & substantiæ formaliter ex natura rei est Deitas, Deus in ratione Deitatis formaliter cum ipsa creatura conveniet.

60. Conf. nam Scotus *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. §. *ad quæstionem*, ex eo probat attributa formaliter ex natura rei distingui, quia si infinita sapientia esset formaliter infinita bonitas, tunc sapientia in communi esset formaliter bonitas in communi; quia infinitas non destruit formalem rationem naturæ cui additur : sed hæc ratio eodem modo concludit de prædicatis quidditati-

vis,

vis, sic arguendo: si entitas infinita esset formaliter substantia infinita, tunc ratio entis in communi esset formaliter ratio substantiæ in communi, quia infinitas addita non variat rationem formalem rei: ergo minùs idonea est.

Conf. 2. ex eo dicuntur attributa formaliter ex natura rei distingui, quia cum sint perfectiones simpliciter simplices reponuntur in Deo secundùm proprias rationes formales positivas actuales: sed etiam ens, substantia, spiritus, & vita intellectualis sunt perfectiones simpliciter, & Deum formaliter denominant ens, substantiam, virtutem, non minus quàm substantia sapientem, justitia justum &c. ergo si hoc infert attributa formalem distinctionem ex natura rei, eandem quoque inferet inter prædicata quidditativa. Tandem, quia ideo probantur ea formaliter ex natura rei differre, quia diffinitione essentiali differunt: sed etiam ens, substantia, spiritus, & vita essentiali diffinitione differunt: ergo vel ratio Scoti nulla est; vel utrobique distinctionem formalem ex natura rei admittendam probat. Variè conantur hæc inconvenientia solvere Recentiores Scotistæ, sed solutiones, quas adhibent vim horum rationum nullatenus infringunt, & aliàs facilè impugnari possunt, unde eas prætermitto, infra plura dicturus. 61.

§. VI.

Quomodo attributa divina inter se, & ab essentia distinguantur, ostenditur.

DIcendum est itaque attributa divina solâ ratione distingui inter se, & ab essentia, 62.

non quidem ratione ratiocinante, ſed ratione ratiocinata, & quæ habet fundamentum in re: quod quidem fundamentum non eſt aliqua realis diſtinctio virtualis intrinſeca in Deo exiſtens ſicut in ſubjecto, ratione cujus ſit, au dicatur aliquo modo ſecundùm rem intrinſece multiplex; ſed ſimplex forma, quæ ratione ſuæ eminentiæ, & univerſalis perfectionis illimitatæ habet correſpondere diverſis attributorum rationibus, tanquam præbens fulcimentum veritati earum. Ita D. Thomas in 1. diſt. 2. q. 1. art. 2. ubi ait: *Dicendum eſt, quod in Deo eſt ſapientia, bonitas, & hujuſmodi ::: quæ ſunt diverſa ratione, non tantùm ex parte ipſius ratiocinantis, ſed ex proprietate ipſius rei.* Et art. 3. corp. ita habet: *Sic ergo patet, quod pluralitas nominum venit ex hoc, quod ipſe Deus noſtrum intellectum excedit. Quod autem Deus excedat intellectum noſtrum eſt ex parte ipſius Dei propter plenitudinem perfectionis ejus, & ex parte intellectus noſtri, qui deficienter ſe habet ad eam comprehendendam. Unde patet, quod pluralitati iſtarum rationum reſpondet aliquid in re, quæ Deus eſt, non quidem pluralitas rei, ſed plena perfectio, ex qua contingit, ut omnes iſtæ conceptiones ei aptentur. Qui ergo dixerunt quod pluralitas iſta eſt tantummodo ex parte intellectus noſtri, vel ex parte effectuum, quodammodo verum dixerunt, & quodammodo non. Si enim hoc referatur ad cauſam multiplicationis, ſic verum dixerunt, quod eſt ex parte intellectus noſtri, & effectuum quodammodo, ex eo quod intellectus noſter non poteſt concipere divinam perfectionem unâ conceptione ſed pluribus, cujus una ratio eſt ex hoc quod eſt aſſuefactus ad res creatas. Si autem referatur ad modum, quo iſtæ*

rationes attribuuntur Deo, falsum dicunt. Non enim ex hoc quod bona facit, vel ad modum bonorum se habet, bonus est: sed quia bonus est, ideo bona facit, & alia participando ejus bonitatem ad modum ejus se habent. Vnde si nullam creaturam fecisset, nec facturus esset, ipse in se talis esset ut posset verè considerari secundùm omnes istas conceptiones quas nunc habet intellectus noster ipsum considerando. Et sic patet quartum, quod scil. pluralitas istorum nominum non tantùm est ex parte intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo quæ dicuntur diversæ rationes, sed ex parte ipsius Dei, inquantùm scil. est aliquid Deo correspondens omnibus istis perfectionibus scil. plena & omnimoda perfectio, secundùm quam contingit, quod quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo verè & propriè dicitur, non autem ita quod aliqua diversitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ Deus est, ratione istorum attributorum.

Prima pars conclusionis, nimirum quod non distinguuntur sola ratione ratiocinante & penes diversa connotata in creaturis, probatur rationibus attributorum si nihil in re correspon- deret, intellectus intelligendo Deum esse sapientem, bonum, justum &c. esset falsus: sed hoc est absurdum: ergo aliquid correspondet in re istis diversis conceptionibus, ac subinde sola distinctione ratiocinante non distinguuntur. Major prob. ex eo quod res est, vel non est sicut concipitur, intellectus dicitur verus, vel falsus: ergo si rationibus attributorum, quas intellectus Deo attribuit, nihil correspondet in re, intellectus formando diversas attributorum rationes, & eas Deo attribuens 63. q. 7. de pot. art. 1. 5. & 6. 1. sent. cit. infra q. 13.

falsus esset. Præterea, cum dicitur Deus est sapiens, aut misericors & justus, non attribuit Deo intellectus rationes sapientiæ, aut misericordiæ & justitiæ, sicut attribuit rationes generis, vel speciei rebus intellectis, sed prout habent esse in intellectu, quia sic non attribueret ipsas Deo secundùm quod in se est, sed secundùm quod à nobis concipitur, quod est absurdum: ergo aliquid in re correspondere debet multitudini horum attributorum præbens fulcimentum veritati rationum, quas intellectus de Deo format.

64. Ibid. Nec valet dicere, quod istis diversis rationibus, seu nominibus attributorum respondent diversa connotata in rebus, nimirum diversi effectus ipsius Dei, quos in rebus causat. Non, inquam, valet: Primò, quia cum effectus à causa secundùm similitudinem procedat, priùs oportet intelligere causam aliqualem, quam effectus tales: non ergo dicitur sapiens Deus, & justus, aut bonus, secundùm distinctas rationes, quia distinctos effectus causat, nimirum sapientiam, justitiam, & bonitatem; sed sapientiam causat; quia in se sapiens est, & justitiæ, aut bonitatis effectus in aliis causat, quia in se justus & bonus est. Vnde August. *lib. 2. de doct. Christ. cap. 32.* dicit, quod quia Deus bonus est, sumus: & inquantùm sumus, boni sumus.

65. Ibid. Secundò, quia sequeretur quod hujusmodi perfectiones prius convenirent creaturis, quam Deo: sicut sanitas prius dicitur de eo quod habet in se sanitatem, quam de eo quod sanitatem causat, quod dicitur sanum ea ratione, quia sanitatem causat; sed hoc est absurdum, quia nihil

nihil est perfectionis & actualitatis in rebus, quod non sit participatum à Deo: ergo diversis rationibus attributorum non solùm respondere debent diversa connotata, sed aliquid in Deo existens, quo dicatur sapiens, justus &c.

Tertiò, quia si nihil aliud intelligitur, cum dicitur, Deus est bonus, vel sapiens, nisi quod Deus est bonitatis, vel sapientiæ causa, sequetur quod eadem ratione omnia nomina effectuum divinorum de eo prædicari possint, & sic dicetur, Deus est cœlum, vel terra; sicut dicitur, Deus est bonus vel sapiens; cum etiam causet cœlum & terram. Tandem quia ab æterno Deus est sapiens, bonus, &c. non existentibus diversis ejus effectibus: ergo per ordinem ad distinctos effectus, & connotata nequeunt distingui sapientia, & bonitas in Deo. Quod si dicatur, ab æterno fuisse sapientem, & bonum, quia habuit virtutem infundendi bonitatem & sapientiam, tunc oportebit dicere quod bonum, vel sapiens significat illam virtutem; sed illa virtus est quædam supereminens similitudo sui effectus, sicut & quælibet virtus agentis æquivoci: ergo jam conceptui bonitatis, & sapientiæ correspondet aliquid quod est in Deo: ergo intellectus cum fundamento in re distinguit rationes sapientiæ & bonitatis, aliorumque attributorum. 66. Ibid.

Dices, omnes hujusmodi perfectiones, & rationes equidem in Deo reperiri, attamen coincidere in rem, & formalitatem, atque rationem deitatis; quia sapientia, bonitas, & aliæ perfectiones nullam rationem determinatam important formaliter & in recto; licet alia & alia connotent, & exprimant in obliquo, ra- 67.

tione quorum distingui dicuntur ratione ratiocinante.

68. Contra, hujusmodi connotata sunt termini, & effectus aliquarum perfectionum in Deo existentium; & conceptarum circa deitatem: ergo in Deitate jam est virtualis multiplicitas rationum istarum, seu potius est una simplex forma correspondens distinctis, ac diversis istis rationibus. Conseq. prob. quia nihil est in effectu, cujus similitudo in causa non præexistat: ergo si sunt diversa connotata, & diversi effectus, oportet omnium illorum similitudines & rationes in Deo ponere, & secundum unum esse deitatis in eo includi, ratione cujus dicitur virtualiter multiplex, utpote correspondens pluribus rationibus attributorum, & perfectionum.

69. Conf. quotiescunque plura, aliàs inter se distincta in una simplici forma adunantur, seu per identitatem coincidunt, per se habent correspondere diversis conceptionibus, & rationibus; sed sapientia, justitia, &c. sunt de se formæ realiter distinctæ in creaturis: ergo quatenus sunt in Deo per identitatem de se æquivalent pluribus rationibus in creatura repertis: ergo cum fundamento in re potest intellectus inter eas distinguere. Maj. prob. in homine, quia enim anima vegetativa, & sensitiva de se sunt formæ distinctæ, cum adunantur in anima rationali tanquam in superiori forma, verè habent correspondere distinctis rationibus, itaut alia sit definitio hominis inquantum vivens, alia inquantum animal, & alia inquantum homo; idem dic de diversis formis, & qualitatibus, quæ in sole adunantur.

Contra

Contra 2. quia sequeretur quod omnia ista nomina, justitia, misericordia, bonitas &c. essent verè Synonima, quia eandem rem, & rationem haberent; sed hoc est absurdum, ut dicemus infra *quæst.* 13. ergo debet aliquid in re esse quod diversitati nominum, & attributorum correspondeat. Nec valet recurrere ad diversa connotata: quia quantum ad rem significatam id quod significatur per nomina priùs est in Deo, quam in creaturis, & à Deo in creaturas derivatur; sed posterius non est causa prioris: ergo connotata diversa non sunt causa cur omnes hujusmodi rationes attributorum sint in Deo, sed potiùs è contra. Conf. hujusmodi prædicationes, Deus est sapiens, Deus est misericors, Deus est justus, sunt formales; sed hoc nequit esse nisi importent distinctas rationes cum identitate rei: ergo necessariò constituendæ sunt distinctæ rationes attributorum cum fundamento in re. Minor patet, quia quando idem re & ratione est prædicatum cum subjecto fit prædicatio identica, v.g. homo est homo; ergo si sint prædicationes formales, oportet esse distinctas rationes prædicati & subjecti. 70.

71. Itaque tota deceptio horum authorum in neganda distinctione rationis ratiocinatæ inter essentiam & attributa Dei, vel attributa divina inter se, ex hoc oritur, quod non distinguunt inter causam effectivam seu subjectivam distinctionis hujusmodi, & objectivam fundantem, veritatem conceptus. Verùm est, quod causa effectiva quodammodo sunt diversa connotata, inquantum ex diversis perfectionibus repertis in creatura, diversa attributorum nomina Deo attribuimus, & sic quantum ad prin-

cipium cognitionis, seu quantum ad id à quo nomina attributorum imponuntur, habent locum diversa connotata; sed quantùm ad res significatas per hujusmodi nomina attributorum, per se primò sunt in Deo, & per prius quam in creatura; ac subinde non dependent à diversis connotatis secundum veritatem essendi in ipso Deo. Causa autem objectiva distinctionis præbens fulcimentum veritati diversorum conceptuum, & multitudinis attributorum est divini esse plena perfectio illimitatè continens omnes formales rerum perfectiones. Igitur in intellectu & diversis connotatis ponimus causam effectivam hujusmodi distinctionis, & non in essentia divina; quia hoc compositionem saltim rationis in Deo constitueret, & omnimodam ejus simplicitatem impediret; sed fundamentum tantùm istius distinctionis in Deo collocamus cum D. Thoma *locis cit.* Ex his manet rejecta distinctio illa virtualis intrinseca; quia hanc omnimodam simplicitatem tolleret, ut supra ostensum est; Et etiam patebit ampliùs argumentis §. 8. adducendis.

§. VII.

Solvuntur præcipua Scoti, & Scotistarum argumenta.

72. ARg. 1. De uno & eodem nequeunt verificari duæ præpositiones contraditoriæ, quia impossibile est idem simul esse & non esse; sed de intellectu divino, & divina voluntate v. g. quæ sunt diversa attributa propositiones contradictoriæ in divinis verificantur actu & formaliter ante omnem intellectus operationem, &

& à parte rei: ergo à parte rei intellectus & voluntas realiter formaliter sunt non idem, seu ex natura rei distinguuntur. Maj. Prob. nam ante omnem intellectus operationem hæc propositio est vera, *Intellectus est principium generationis verbi*; & etiam ista; *Voluntas non est principium generationis verbi*; sicut etiam verum est, Verbum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ergo de intellectu & voluntate verificantur propositiones contradictoriæ.

Conf. ex modo loquendi SS. Patrum, qui attributa divina cum essentia conferentes, aliquid enuntiant de essentia, quod de attributis non efferunt: ergo verificantur de eis propositiones contradictoriæ. Antec. prob. ex D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 6. ubi ait: *Si dicam, æternus, sapiens, justus, bonus, Spiritus, horum omnium quod posui videtur significare substantiam; cætera verò hujus substantiæ qualitates.* Idem asserit D. Damasc. lib. 1. fid. orthod. c. 4. dicens; *Si justum, si bonum, si tale quid dixeris, non naturam dicis Dei, sed circa naturam.* Præterea idem D. August. epist. 102. ita habet; *Legitur quidem Spiritus Sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex; multiplex, quoniam multa sunt quæ habet; simplex autem quoniam non aliud quam quod habet est*; Ex quo sic; ideo dicitur multiplex, quia multa habet, nimirum multas perfectiones, & attributa; sed ipsa multa à parte rei habet: ergo à parte rei est illa multiplicitas, & subinde perfectionum distinctio; sed non realis entitativa: ergo formalis ex natura rei. 73.

Respond. ad arg. communi solutione, dist. maj. si sit idem adæquatè, seu idem secundùm 74.

rem

1. dist.2. q.1. art. 3.dist.33. quæst. 1. a.1.& 4. 4.dist.34. art.1. ad 2.& alibi passim.

rem & rationem, concedo maj. si sit idem secundùm rem, & diversum ratione, seu ratione multiplex, nego: est autem ratione multiplex, quando una res diversis correspondet conceptionibus intellectus, & nominibus, ut de ea verificentur; sicut punctum quod cum sit una res, respondet secundùm veritatem diversis conceptionibus de eo factis, sive prout cogitatur in se, sive prout cogitatur centrum linearum: & hæ rationes, sive conceptiones sunt in intellectu, sicut in subjecto, & in ipso puncto sicut in fundamento veritatis istarum conceptionum. Et distinguo min. de intellectu divino & divina voluntate verificantur actu & formaliter propositiones contradictoriæ, secundum quod intellectus & voluntas sunt idem, nego: secundùm quod sunt idem re, & distinctas habent rationes, concedo minorem, & nego conseq.

75. Resp. 2. dist. maj. ut supra: & dist. min. de intellectu divino, & divina voluntate verificantur à parte rei, & ante omnem operationem intellectus, duo contradictoria, si fiat sermo de causa, & fundamento veritatis, seu verificationis, concedo min. quantum ad esse formale completum ipsius veritatis, seu verificationis, nego min. Id est, veritas harum propositionum habet causam, & fulcimentum in esse divino, quatenus propter suam plenitudinem & eminentiam habet correspondere diversis rationibus, & conceptionibus intellectus, conformitatemque, & adæquationem cum illo fundare: tamen veritas, seu verificatio formaliter non est & completivè nisi in intellectu, qui secundùm quod sub diversis rationibus habet eandem

eandem rem apprehendere, diversimodè enunciat de illa, & diversum judicium format.

Cujus rei gratia notandum est ex D.Thom. 76.
quod eorum quæ nominibus significantur, tri- 1.dist.19.
plex reperitur differentia. Quædam enim sunt, quæst. 5.
quæ secundùm totum esse completum sunt ex- art.1.c.
tra animam, cujusmodi sunt entia completa, sicut homo & lapis. Quædam autem sunt quæ nihil habent extra animam, sicut somnia & imaginatio chimeræ. Quædam autem sunt, quæ habent fundamentum in re extra animam, sed complementum rationis eorum, quantùm ad id quod est formale, est per operationem animæ, ut patet in universali; humanitas enim est aliquid in re, non tamen ibi habet rationem universalis, cum non sit extra animam aliqua humanitas multis communis; sed secundùm quod accipitur in intellectu, adjungitur ei per operationem intellectus intentio, secundùm quam dicitur species. Et similiter est de tempore, quod habet fundamentum in motu scil. prius & posterius ipsius motus, sed quantùm ad id quod est formale in tempore, scil. numeratio, completur per operationem intellectus numerantis. Eadem prorsus ratione philosophandum est de veritate, quæ habet fundamentum in re, sed ratio ejus completur per operationem intellectus, quando scil. apprehenditur eo modo quo est. Vnde dicit Philosophus 6. *metaph.* quod verum & falsum sunt in anima, sed bonum & malum in rebus: Vnde ipsum esse rei est causa veritatis, secundum quod est in cognitione intellectus. Sed tamen ratio veritatis per priùs invenitur in intellectu quam in re. Sicut etiam calidum & frigidum,

&

& aliæ causæ sanitatis sunt causa sanitatis, quæ est in animali; & tamen animal per prius dicitur sanum, & signa sanitatis, & causa sanitatis dicuntur sana secundùm analogiam ad sanum, quod de animali dicitur. Vnde dicendum est, quod verum per prius dicitur de veritate intellectus, & de enunciatione dicitur inquantum est signum illius veritatis, de re autem dicitur inquantum est causa.

78. Dicimus itaque, quòd verificatio, seu veritas contradictoriarum formaliter & completivè est per operationem animæ, licet causa veritatis sit in re: in re enim est voluntas, & in re est intellectus divinus: & in re non generat per voluntatem, sed per intellectum, licet sint eadem entitas, quia alia est ratio unius à ratione alterius, quæ ratio habet fulcimentum & radicem in plena perfectione divini esse, sed complementum in operatione animæ: sicut absolutè dicitur quod tempus est à parte rei ratione ejus in quo fundatur, licet complementum formaliter habeat in operatione animæ. Et sic multis negantur verificari contradictoria à parte rei, & ante operationem intellectus, quia formaliter & completivè non verificantur, sed tantum fundamentaliter. Itaque cum dicitur, quod formaliter & actu à parte rei verificantur contradictoria, si ly *formaliter* reduplicet causam verificationis seu veritatis, quæ est esse rei, verum est: si ly *formaliter* reduplicet rationem formalem, & completam verificationis, seu veritatis, falsum est.

79. Resp. ad conf. Sanctos Patres intelligendos de distinctione rationis ratiocinatæ, & quæ oritur ex diverso modo concipiendi, ac significandi,

ficandi, quia nimirum attributa ex modo concipiendi ac significandi non significant substantiam, licet realiter sint ipsa, sed quendam modum & determinationem ejus, scil. sapientem esse, justum esse. Sumitur ex D. August. lib. 7. de Trinit. dicente: *Magnitudinem, justitiam, bonitatem pluribus vocabulis in eadem sapientia intelligi.* Et *lib. 6. cap. 6.* explicans quomodo Deus dicatur multiplex, inquit: *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur: sed eadem magnitudo ejus est quæ sapientia... & eadem bonitas, sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia.* Ex quo deducit hoc ejus simplicitati omnimodæ non obstare. Quod aliter eveniret si de distinctione aliqua reali esset sermo, ut probatum est supra §. 3. Præterea ex D. Bernardo lib. 5. de consideratione cap. 13. ubi ait: *Quid est Deus? Longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Quid inquis? Tenemus te quaternitatis (quam abominatus es) professorem? Minimè, abominatus sum, & abominor. Visus sum protulisse plura, sed unum est. Unus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu Voces diversæ, semita multa, sed unum per eas significatur, unus quæritur... Hoc singulum horum in Deo, quod quatuor simul: hæc quatuor ipsa quod singulum est. Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere unum, occurrit veluti quadruplicatum. Hoc facit speculum, & ænigma &c.*

Contra solutionem argument. multipliciter 80.
instant Scotistæ, quorum tamen instantiæ ex dictis facilè evanescunt. Primò quidem, quia
effectus

effectus in actu debet habere causam in actu: sed radix & causa contradictionis est distinctio; contradictio namque est signum distinctionis, velut ejus effectus: ergo contradictio formaliter, & actualiter vera, arguere debet distinctionem formalem actualem: sed hæc est contradictio actualiter, & ante operationem vera, *Intellectus est principium generationis Verbi:* Et *volantas non est principium generationis Verbi in Deo:* ergo in Deo arguere debet aliquam distinctionem formalem actualem ex natura rei inter voluntatem & intellectum.

81. Conf. nullum ens reale dependet ab operatione intellectus: sed attributa sunt aliquid reale, & unum formaliter non est aliud; alià s diceretur verbum procedere formaliter per voluntatem, sicut dicitur per intellectum procedere: ergo realiter formaliter ex natura rei distinguuntur.

82. Instant 2. quæ solùm ratione ratiocinata differunt, quamvis in esse objectivo sint plura, à parte rei tamen sunt omnino actualiter idem: sed ad verificanda contradictoria absque repugnantia requiritur pluralitas rationum formalium contradictioni commensurata, ita quod si contradictoria sint realia, illa de quibus enunciantur sint plura à parte rei, nec sufficit pluralitas objectiva in intellectu: ergo de his quæ sola ratione ratiocinata differunt, aut virtualiter duntaxat, nequeunt à parte rei absque repugnantia verificari contradictoria.

83. Conf. contradictio naturam sui fundamenti sequitur; & ità salvatur in aliqua natura sicut ibi reperitur fundamentum: sed fundamentum ejus est distinctio: igitur si distinctio reperitur

in

in aliqua natura virtualiter tantùm, & secundùm quid, nequit ibi reperiri contradictio formaliter & simpliciter. Nam sicut supra distinctionem rationis nequit fundari contradictio realis, sed tantùm rationis; ita supra distinctionem virtualem nequit fundari contradictio formalis & actualis, sed tantùm virtualis.

Instant 3. ubi sunt extrema contradictionis in actu & formaliter, ibi est contradictio formalis & actualis: sed in divinis dantur in actu affirmationes & negationes v. g. de intellectu & voluntate, quæ sunt extrema contradictionum: ergo dantur actuales contradictiones ibi, & non virtuales tantùm. Maj. patet, quia contradictio sequitur naturam extremorum. 84.

Resp. ad 1. instantiam concessa maj. neg. min. videlicet quod radix & causa distinctionis sit distinctio: quinimo omnis distinctio formalis (qualis esset distinctio ex natura rei, si admittenda esset) est per aliquam oppositionem. Prima autem oppositionum est contradictoria, quæ est inter esse & non esse simpliciter; ac subinde erit quoque radix prima cujuslibet formalis distinctionis. Si ergo causa contradictionis sit diversa forma in re, distinctio quæ est per eam, erit in re: si autem causa contradictionis sit idem esse rei prout fundat diversas rationes, ipsa distinctio erit rationis ratiocinatæ habens fundamentum in ipsa re, ut supra explicatum est. 85.

Resp. 2. concessa maj. dist. min. radix & causa contradictionis est distinctio sive per oppositas res, sive per oppositas rationes ejusdem rei virtualiter multiplicis, concedo: est distinctio per oppositas res semper, nego min. & dist. conseq. 86.

conseq. contradictio formaliter & actualiter vera arguere debet distinctionem formalem actualem, sive per oppositas res, sive per oppositas rationes, concedo; per oppositas res semper, nego. Et distinguo min. hæc est contradictio actualiter ante operationem intellectus vera &c. veritate rei præbentis fulcimentum veritati enunciationum, concedo: veritate formali & completivè, nego. Vnde formaliter & in exercitio solum arguit distinctionem actualem formalem per intellectum, & virtualem à parte rei.

87. Resp. ad conf. dist. maj. nullum ens reale dependet ab operatione intellectus, quantùm ad suum esse, concedo: quantum ad rationem suam, nego: nam tempus est verum ens reale, & tamen dependet ab actu animæ. Et dist. min. attributa sunt aliquid reale, & unum non est aliud, secundum suum esse, nego: secundum rationem suam, concedo min. & nego conseq.

88. Resp. ad 2. instantiam dist. maj. quæ solùm ratione ratiocinata differunt, à parte rei sunt omnino actualiter idem re & secundum suum esse, concedo: idem re & ratione, nego maj. Et dist. min. ad verificanda contradictoria requiritur pluralitas rationum formalium contradictioni commensurata, itaut si contradictoria sint realia, illa de quibus enunciantur sint plura à parte rei, sive pluralitate actuali, sive eminentiali, & virtuali præbente fundamentum diversis rationibus intellectualibus, concedo: pluralitate rei, & quæ est per oppositas formas & differentias semper, negò min. & conseq. dist. ut supra, vel absolutè, negatur.

Resp.

Resp. ad Conf. primò, concessa maj. neg. minorem; nimirum quod fundamentum contradictionis sit distinctio, hoc enim falsum esse, diximus supra. Resp. 2. concessa maj. dist. minorem, fundamentum contradictionis est distinctio, absolutè sumpta nego; prout esse eorum quæ distinguuntur dicit habitudinem ad intellectum, concedo min. Et dist. conseq. nequit ibi reperiri contradictio, quoad rationem completam & adæquatam, concedo; inadæquatam & fundamentalem nego. 89.

Resp. ad 3. instantiam distinguendo, in divinis dantur actu affirmationes & negationes de intellectu & voluntate, quoad rationem fundandi illas, concedo; quantum ad rationem formalem completam affirmationis & negationis, nego: affirmatio enim & negatio sunt actus intellectus componentis & dividentis, licet causam suæ veritatis vel falsitatis in re habeant. 90.

Arg. 2. illa quæ definitionibus, propriisque rationibus distinguuntur, debent ex natura rei formaliter distingui: atqui essentia divina, & attributa adinvicem comparata propriis definitionibus distinguuntur, & propriis conceptibus objectivis se invicem formaliter excludunt: ergo ex natura rei formaliter distinguuntur. Minor patet, quia si definiatur misericordia, alia erit ratio ejus & definitio à ratione ac definitione misericordiæ, & deitatis, bonitatis &c. Major verò prob. quia definitio exprimit naturam & essentiam rei prout est; & traditur de rebus secundùm earum naturam consideratis à parte rei, & non prout subjacent conceptibus intellectus; quia tale esse per apprehen- 91.

sionem non est quid reale, sed rationis; neque est essentiale rei vel realitati, sed adventitium & accidentarium.

92. Conf. quod convenit intellectui, & voluntati ut sic, necessariò convenit intellectui, & voluntati Dei; sed intellectui & voluntati ut sic convenit distinctio realis essentialis, seu ex natura rei: ergo intellectus divinus, & divina voluntas etiam essentialiter formaliter seu ex natura rei distinguuntur. Minor prob. intellectus, & voluntas ut sic definiuntur definitionibus essentialiter distinctis; sed quae differunt definitione essentiali differunt essentialiter, & subinde realiter ex natura rei: ergo intellectus & voluntas ut sic essentialiter distinguuntur, & subinde realiter ex natura rei.

93. Resp. ad arg. dist. maj. quae differunt definitione adaequata, & tradita de re prout est in se, concedo maj. definitione non adaequata naturae rei secundùm quod est in se, sed prout habet à nobis imperfectè concipi & significari, nego majorem; & dist. min. essentia & attributa adinvicem comparata propriis definitionibus adaequatis, & traditis de eis secundùm quod sunt in se, distinguuntur, nego min. propriis definitionibus, seu potiùs descriptionibus inadaequatis, & traditis de illis prout à nobis habent concipi, & significari imperfectè, concedo min. & nego conseq.

94. Ad prob. dico quod definitio exprimit naturam & essentiam rei, eo modo quo est definitio, si enim est plena & adaequata ratio rei explicat perfectè rem secundum quod est in se; si autem sit ratio rei inadaequata & deficiens, explicat rem non quidem secundum omnem ejus rationem

nem adæquatam, ſed prout habet fundare hanc ſui rationem inadæquatam, & deficientem propter inadæquationem concipientis ad rem conceptam. Hinc eſt quod ſi Deus perfectè definiri poſſet, unica ejus eſſet definitio, quemadmodum & una eſt ſimplex natura & eſſentia. Sumitur ex D. Thom. *in* 1. *diſt.*2. *quæſt.* 1. *art.*3.*c.* ubi ait: *Si autem intellectus noſter Deum per ſeipſum videret, illi rationi poſſet imponere nomen unum* (idem dic de definitione, quia ratio quam ſignificat nomen eſt definitio, in his quæ definiri poſſunt) *Et ideo dicitur Zacharia cap. ult. In illa die erit Dominus unus, & nomen ejus unum. Illud autem nomen unum non ſignificaret bonitatem tantùm nec ſapientiam tantùm, aut aliquid hujuſmodi, ſed ſignificata omnium iſtorum includeret: ſed tamen ſi intellectus videns Deum per eſſentiam imponeret nomen rei quam videret, & nominaret mediante conceptione quam de ea habet, oporteret quod imponeret plura nomina, quia impoſſibile eſt quod conceptio intellectus creati repræſentet totam perfectionem divinæ eſſentiæ.* Poteſt 2. reſponderi neg. min. nimirum quod eſſentia & attributa diſtinguantur propriis definitionibus, ſed rationibus diverſis prout habent concipi à nobis. Nec enim Deus propriè definiri poteſt. *Ibid. c.*

Reſp. ad Conf. tranſeat maj. & diſt. min. intellectui & voluntati prout dicunt ordinem ad diverſum eſſe limitatum, concedo: abſolutè vel ſecundùm quod habent eſſe in primo principio, nego. Quia ſic reſpiciunt unum ſimpliciſſimum eſſe. Ad prob. dicitur ut ſupra. 95.

§. VIII.

Solvuntur argumenta sententiæ asserentis attributa divina inter se nonnisi ratione ratiocinante, & penes diversa connotata in creaturis distingui.

96. ARg. 3. idem non potest à seipso ratione ratiocinata, sed solùm ratione ratiocinante distingui; sed attributa inter se, & cum essentia divina sunt omnino idem: ergo nequeunt inter se & ab essentia ratione ratiocinata, sed solùm ratione ratiocinante distingui. Prob. maj. 1. distinctum ab aliquo non est aliquod illius; sed idem est aliquid sui ipsius: ergo idem à seipso non potest ratione ratiocinata distingui. Secundò prob. distincta sunt plura; sed idem eò quod est idem non potest esse plura: ergo idem à seipso distingui non potest. Tertiò prob. quod est distinctum secundùm rem, est plura entia secundùm rem; igitur quod est distinctum secundùm rationem cum fundamento in re est plura entia rationis; sed absurdum est dicere quod plura attributa divina sint plura entia rationis; igitur & quod distinguantur ratione ratiocinata. Quartò, non minus propria est entis rationis distinctio rationis, quam distinctio realis propria est entis realis; sed ens rationis non potest distingui re: igitur ens reale non potest distingui ratione.

97. Conf. magis est unum, quod est unum re, & ratione, quam quod est unum re & multiplex ratione: sed Deus est maximè unus: ergo debet esse unus re, & ratione: ergo nulla distinctio rationis inter ipsius perfectiones adinvicem, seu inter eas & essentiam constituenda

tuenda est, quia hæc rationum multiplicitatem inducit.

Resp. dist. maj. idem secundum quod idem adæquatè, seu idem re & ratione non potest à seipso ratione ratiocinata distingui, concedo: idem re, & inadæquatè, & virtualiter multiplex, seu fundans diversas rationes non potest distingui à seipso secundum unam & aliam rationem acceptum, nego: Et dist. min. attributa inter se & cum essentia sunt omnino idem re, concedo: re & ratione seu adæquatè, nego minorem, & conseq. Ad prob.1. dist. maj. distinctum ab aliquo non est aliquid illius, eo modo quo distinguitur, concedo: sub ea ratione qua non distinguitur, nego: Vnde cum attributa in re non distinguantur ab essentia sunt aliquid ejus, immo ipsamet simplex entitas; sed tamen unum habet diversam rationem ab alio, & ab essentia: quæ diversa ratio non inducit aliquam in Deo multiplicitatem, sed in intellectu duntaxat humano, qui propter suam imperfectionem, & Dei eminentem intelligibilitatem habet de eadem simplici entitate plures rationes efformare. Ad 2. prob. dist. maj. distincta sunt plura eo modo quo distinguuntur, concedo; aliter, nego: & sic attributa & essentia sunt plura pluralitate rationis, sed non rei. 98.

Ad 3. prob. concesso antecedenti, dist. conseq. quod est distinctum secundum rem cum fundamento in re est plura entia rationis, si ly *rationis* appellet supra ly *plura*, concedo conseq. id est, sunt plura pluralitate rationis, seu secundum rationem effectivè distinguentem: si ly *rationis* appellet supra entia, nego conseq. Et dist. min. absurdum est dicere quod attributa 99.

sint plura entia rationis, si ly *rationis* appellet supra ly *plura*, nego: sensus enim erit, quod sunt plura pluralitate rationis, & dependenter à conceptione intellectus distinguentis inter illa: si ly *rationis* appellet supra ly *entia*, concedo; Sed tunc non sequeretur argumentum; sicut enim ex eo quod est distinctum realiter non sequitur quod sit ens reale, imò potius est distinctum realiter, quia in re est ens habens causam realem multiplicitatis, nimirum oppositas formas, vel differentias; ita pariter non sequitur ex hoc quod distinguitur ratione, quod sit ens rationis, sed solum quod sit aliquid habens causam propter quam sub diversis rationibus concipi possit, quæ est eminentia objecti ut præbens fundamentum veritati, & intellectui ut causa effectiva, & subjectiva.

100. Ad 4. prob. dist. maj. non minus propria est enti rationis distinctio rationis, quam distinctio realis est propria enti reali, quantum ad rationem formalem distinguendi, concedo; sicut enim distinctio realis distinguit inter rem, & rem propter distinctas formas, seu differentias reales oppositas; ita distinctio rationis inter diversas rationes rerum. Quantùm ad fundamentum & causam distinctionis & oppositionis nego; Cum enim ens rationis sit entis umbra, seu adinstar entis realis esse habeat, & secundùm quid, in ipso exigit quodammodo habere fundamentum, & causam; unde distinctio rationis potest ex parte fundamenti habere aliquid reale; non verò distinctio realis habet aliquid rationis, quia est simpliciter distinctio. Et distinguo, ens rationis non potest distingui re, quantum ad rationem formalem distinguendi,

concedo

concedo; quantum ad fundamentum distinctionis, seu quantum ad id quod radicat formalem illam distinctionem rationis, nego.

Resp. ad conf. dist. maj. magis est unum, quod est unum re & ratione, quam quod est unum re, & multiplex ratione; si sit multiplex ratione subjectivè, vel penes diversas rationes fundatas in diversitate rerum, saltim remotè, concedo; si sit multiplex ratione objectivè, & ut præbens fundamentum veritati diversarum conceptionum, quæ de ipso formantur, propter plenitudinem essendi, & elongationem à concipiente, nego. Et concessa minori, dist. conseq. debet esse unus re & ratione subjectivè, & ut omnem diversitatem rationis fundatæ in diversitate rerum excludens concedo; objectivè, & ut præbens fulcimentum diversis conceptionibus, quæ propter universalitatem, & eminentissimam essendi plenitudinem, de ipso formantur, nego. Itaque distinctio rationis non est in Deo tanquam in subjecto, aut ut habente diversitatem rationum illarum fundatarum in diversitate rerum, sicut rationes generis & differentiæ sunt in homine ortæ ex diversitate rerum, nimirum materia & forma, ut explicuimus in Logica *tomo* 1. *quæst.* 6. *art.* 4. sed est in intellectu creato ut in subjecto & causa effectiva; in Deo autem ut in præbente fundamentum, qui in una simplicissima entitate & actualitate essendi habet omnes perfectiones identificare, ut sæpiùs dictum est. Ita sumitur ex D. Thom. *loc. cit. ex* 1. *sent.* & *infra quæst.* 13. *art.* 4. *ad* 3. ubi ait; *Hoc ipsum ad perfectam Dei unitatem pertinet, quod ea quæ sunt multipliciter & divisivè in aliis, in ipso sunt sim-* 101.

pliciter & unitè. Et ex hoc contingit quod est unus re, & plures secundùm rationem, quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant.

102. Arg. 4. & simul contra prædictas solutiones instatur, intellectus non potest facere ens reale quod in se ens reale non est: ergo neque potest facere plura entia realia, quæ in se plura non sunt; & consequenter nequit inter entia realia objectivè distinguere.

103. Conf. 1. quia divina essentia est eadem sibi ipsi, non potest ratione ratiocinata à seipsa per intellectum nostrum distingui; sed non minus sapientia, & quodlibet attributum Dei est idem cum essentia divina, quam essentia divina sibi ipsi: ergo similiter sapientia & quodlibet attributum non poterit ab essentia divina ratione ratiocinata distingui. Minor patet, nam si magis distinguatur sapientia ab essentia, quam essentia à seipsa, in Deo non erit summa simplicitas, quandoquidem unum erit magis simplex & unum identicè, quam aliud.

104. Conf. 2. si sapientia divina v. g. ab essentia distingueretur, etiam sequeretur essentiam à seipsa distingui; sed hoc est absurdum: ergo non distinguitur; sequela prob. quia quando duo sunt eadem, à quocunque distinguitur unum, distinguitur & aliud.

105. Resp. concesso anteced. dist. conseq. non potest facere plura entia realia, pluralitate reali, vel formaliter, vel fundamentaliter, concedo; pluralitate rationis, & quantum ad exercitium pluralitatis, nego: sicut enim tempus est quid reale; & tamen completur per actum rationis; ita & per actum rationis, quæ sunt virtualiter

&

& fundamentaliter distincta in re, fiunt actu distincta.

Resp. ad 1. conf. dist. maj. quia est eadem re & ratione, seu adæquatè, concedo : quia est eadem re tantum, nego maj. Et dist. min. non minùs sapientia & quodlibet attributum Dei est idem re, & ex parte Dei in se, cum essentia divina, quam essentia divina sibi ipsi, concedo : idem ratione, & ut habet cognosci ex diversis creaturarum perfectionibus, nego min. & conseq. Ad 2. conf. resp. neg. sequelam. Ad cujus prob. dist. maj. quando duo sunt eadem adæquatè, seu re & ratione, concedo : quando sunt eadem re tantum, & inadæquatè, nego. Sic autem sunt eadem attributa cum essentia divina. 106.

107. Arg. 5. si attributorum distinctio in Deo fundamentum haberet, maximè illius eminentiam cum deficientia intellectus nostri comparatam; sed hoc non sufficit : ergo hujusmodi rationis distinctio in Deo fundamentum habere nequit. Prob. min. primò : quia etiam sapientia est eminentiæ atque perfectionis infinitæ : sed tamen comparata cum deficientia intellectus nostri non est fundamentum alicujus distinctionis rationis : ergo hoc non sufficit. Deinde quia eminentia divina nequit fundamentum præbere, ut ei aliqua imperfectio attribuatur : sed distinctio attributorum inter se, & ab essentia est aliqua imperfectio : ergo nequit in illius eminentia fundari.

108. Conf. non minus opponitur unitati distinctio, quam compositio simplicitati : sed compositio etiam rationis, summæ simplicitati Dei opponitur; ac subinde in eo reperiri nequit: ergo distinctio

distinctio rationis etiã opponitur summæ unitati, & identitati divinæ, & in illo reperiri non potest.

109. Conf. 2. non minus opponitur distinctio unitati, quam potentialitas summæ actualitati: sed summæ actualitati repugnat omnino potentialitas etiam rationis: ergo etiam distinctio rationis summæ unitati, & identitati Dei.

110. Resp. ad arg. ex D. Thom. *in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. c.* concessa majori, negando min. Ad cujus prob. primam, distinguo maj. sapientia divina est eminentiæ perfectionis infinitæ, quantùm ad plenitudinem essendi, concedo; quantùm ad universalitatem, & rationem unificativam omnium rerum, nego maj. & concessa minori nego conseq. *Nam hæc eminentia* (inquit S. D.) *attenditur quantùm ad tria, scil. quantùm ad universalitatem, quia in Deo sunt omnes perfectiones adunatæ quæ non congregantur in aliqua una creatura. Item quantùm ad plenitudinem, quia est ibi sapientia sine omni defectu, & similiter de aliis attributis, quod non est in creaturis. Item quantum ad unitatem, quæ enim in creaturis diversa sunt in Deo sunt unum: & quia in illo uno habet omnia, ideo secundum illud unum causat omnia, cognoscit omnia, & omnia sibi per analogiam similantur. Secundùm ergo hanc opinionem* (videlicet Dionysii c. ult. de divin. nom. & Anselmi cap. 3. Monol.) *Conceptiones quas intellectus noster ex nominibus attributorum concipit, sunt verè similitudines rei, quæ Deus est.* Itaque dico, quod sapientia in re, quatenus est Deus, est perfectionis infinitæ & eminentiæ quoad omnem rationem ex qua pensatur eminentia: sed ut attributum ratione distinctum ab essentia est infinitæ

finitæ perfectionis & eminentiæ, duntaxat quantum ad plenitudinem essendi, quia in ratione sapientiæ nihil ei deest, sed non quantùm ad universalitatem & rationem unificativam omnium rerum, quia ex modo significandi tantum dicit rationem sapientiæ, sed nomen Deus in sua ratione omnia unificat & complectitur. Ad 2. neg. min. quia hujusmodi distinctio quantum ad fundamentum ejus ex summa perfectione oritur, licet quantùm ad subjectum & causam effectivam ejus, quæ est humanus intellectus; imperfectionem arguat: unde in Deo ut in subjecto & causa reperiri nequit.

Ad 1. conf. respondent aliqui cum Illustrissimo D. Godoy hic, dist. min. compositio rationis simpliciter, & ex conceptibus se mutuò non includentibus, repugnat Deo, concedo min. compositio rationis secundùm quid, seu quoad conceptus se mutuò non explicantes, licet mutuo se includentes, nego min. Talis autem est distinctio rationis quæ inter attributa & essentiam reperitur, quia invicem se includunt, licet unum non explicet in sua ratione conceptum seu rationem alterius. 111.

Resp. 2. dist. min. compositio rationis ex parte ejus in quo est tanquam in subjecto & causa, summæ simplicitati opponitur, concedo; ex parte ejus in quo est, tanquam in obiecto & fundamento unificante plures rationes illimitatè, & eminenter, nego minorem; & dist. conseq. distinctio rationis ex parte eius in quo est tanquam in subiecto & causa, concedo: ex parte eius in quo est tanquam in objecto, & fundamento unificante plures rationes eminenter, & illimitatè, nego: sic autem 112.

est

est in Deo, & in intellectu creato ut in subiecto & causa, ut sæpiùs dictum est.

113. Ad 2. conf. respondent aliqui negando paritatem: nam ad potentialitatem per rationem exigitur quod una perfectio concipiatur ut per aliam perfectibilis, quam in se actu etiam implicito non includat: est autem de ratione actus puri non posse ab alio præscindere, ideoque illi opponitur esse in potentia ad aliquam perfectionem, nedum reali potentialitate, sed etiam potentialitate rationis: at verò ad distinctionem rationis hæc præcisio non requiritur, sed sufficit non expressio. Et quia potest concipi essentia, ut attributa non exprimens, & attributa ut non exprimentia essentiam, potest inter attributa & essentiam dari distinctio rationis non obstante summa unitate, quâ identificantur realiter: non autem potest concipi essentia ut in potentia in ordine ad attributa, quia licet illa non explicet actu, tamen implicitè includit.

114. Resp. 2. dist. min. summæ actualitati repugnat omnis potentialitas etiam rationis, ut relatæ ad rem conceptam prout est in se, seu radicatæ in ipsa, concedo; ut relatæ ad concipientem, & significantem inadæquatè, nego; nam si quodlibet attributum, ut attributum est, significatur & intelligitur ut quædam essentiæ perfectio, oportet quod ipsa per ordinem ad intelligentem & significantem se habeat in ratione perfectibilis; quia quælibet perfectio est alicujus perfectibilis perfectio. Vnde distinctio, & compositio rationis necessariò aliquam imperfectionem important, non quidem in re, sed in faciente & effingente talem distinctionem. Videnda quæ ex D. Thoma

ma diximus supra *capit.* 5. §. 7. *resp. ad* 1.

Arg. ultimò, si attributa distinguerentur virtualiter, & ratione ratiocinata ab essentia, & inter se, sequeretur quod essent virtualiter & ratione inæqualia in perfectione : sed hoc est absurdum ; ergo &c. Minor patet, quia quodlibet attributum est ens per essentiam & infinitum, & subinde non potest carere alterius perfectione, aut eo esse aliquid perfectius. Maj. etiam constat, quia nequit reperiri distinctio formalis, sive aliqua inæqualitate, quia per oppositas differentias fieri debet, quæ sunt sicut numeri, quibus addito vel detracto variatur species. 115.

Resp. omissis variis dicendi modis, qui videri possunt apud Illustrissimum Godoy hic tract. 1. disp. 5. §. 7. num. 130. & seq. dist. maj. essent inæqualia in perfectione secundùm se, & ex parte rei conceptæ, vel secundùm rationem relatam ad rem in se, nego ; secundum quod habent significari ex diversis rerum creatarum perfectionibus, vel secundùm rationem relatam ad concipientem, & principium cognoscendi, quod est creatura, concedo maj. & nego minorem. Ad prob. dico quod implicat significari aliquid perfectius eo quod infinitum simpliciter & in omni genere, vel eo quod est infinitum in tali genere, loquendo quoad plenitudinem essendi in tali genere ; non implicat autem significari aliquid perfectius infinito in aliquo genere, sicut si daretur infinita gratia esset perfectior infinita quantitate ; & infinitus intellectus infinito sensu. 116.

ARTICV



ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum aliqua creatura poßit esse similis Deo.

1. 1. dist. 2. q. 1. art. 3. infra q. 13. & q. 7. de pot.



IRCA titulum nota ex S. D. quod Rabbi Moyses arbitratus perfectiones, & attributa Dei in eo secundùm verissimam nominum suorum rationem non esse, consequenter locutus dixit, *quod omnia nomina quæ de Deo & creaturis dicuntur, dicantur æquivocè, & quod nulla sit similitudo creaturæ ad creatorem ex hoc quod creatura est bona, vel sapiens, vel hujusmodi aliquid:* idcirco postquam S. D. statuit quod in Deo sint rerum omnium perfectiones, quod nec ipse Rabbi Moyses negabat, quærit an ita sint in eo, quod sit aliqua similitudo creaturæ ad Deum non secundùm solùm nomen, & æquivocè, sed vel univocè vel analogicè, quod ille non concedebat. Aliter explicat Cajetanus, sed parum ad rem, & mentem Div. Thomæ.

2. Vt quæsito respondeat Sanct. Doct. supponit omnem similitudinem secundùm aliquã convenientiam vel communicationem in forma attendi; ea propter secundùm multos modos communicandi in forma multiplicem similitudinem distingui. Quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundùm eandem rationem, & modum essendi: & hæc non solùm dicuntur similia, sed etiam

etiam æqualia in sua similitudine ; sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine, & hæc est perfectissima similitudo. Alio modo dicuntur similia, quæ communicant in forma secundùm eandem rationem, & non secundùm eundem modum, quinimo secundùm magis & minus, ut minus album dicitur simile magis albo, & hæc similitudo est quodammodo imperfecta. Tertio modo dicuntur aliqua similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundùm eandem rationem, ut patet in agentibus non univocis, verbi gratia, sole qui habet formam caloris secundùm quam causat ipsum in his inferioribus, sed non est calor secundum eandem rationem generis, vel speciei in his & illo, sed analogicè tantum, ut explicuimus *tomo* 2. *clypei philos. ph. quæst.* 2.

Conclusio, creatura quælibet inquantum est ens assimilatur Deo ut primo & universali principio totius esse (ac subinde ut habenti rerum omnium perfectiones) non quidem secundùm eandem rationem univocam, specificam, vel genericam, sed secundùm aliqualem analogiam. Prima pars probatur, Deus est causa efficiens omnis creaturæ : sed inter causam efficientem, seu agentem, & ejus effectum oportet aliquam similitudinem intervenire : ergo quælibet creatura assimilatur Deo ut primo & universali principio totius esse. Probatur minor, unumquodque agit secundùm quod est actu, nimirum ipsum quod agitur, id est, secundùm quod actu habet id quod causat in effectu, quia nihil est in effectu quod non sit in virtute suæ causæ : igitur oportet aliquo 3.

modo

modo effectum suæ causæ similem esse, inquantum nimirum effectus est per hoc quod participat actualitatem agentis.

4. Secunda pars probatur, effectus qui non continentur in eadem specie, vel in eodem genere cum sua causa, non assimilantur ei secundùm eandem rationem specificam; vel genericam, sed secundùm aliqualem analogiam, & convenientiam in esse; sed creaturæ sunt effectus Dei, qui non continentur in eadem specie vel genere cum ipso Deo, cum Deus in nullo genere contineatur, ut supra ostensum est, sed sit principium omnis generis: ergo creaturæ non sunt similes Deo secundum eandem rationem univocam, genericam vel specificam, sed tantùm secundùm analogiam, & convenientiam in esse, quatenus ipse est primum & universale principium totius esse creati, quod ipsum imitatur.

5. Argum. 1. dicitur in Psalm. 85. *Non est similis tui in diis Domine:* sed inter omnes alias creaturas sunt excellentiores, quæ dicuntur Dei participativè: multò ergo minùs possunt aliæ creaturæ dici Deo similes. Respond. S. D. ex Dionysio, quod creatura dicitur non esse Deo similis, univocè & secundùm eandem rationem speciei vel generis, licet ei similis sit inquantum imitatur ipsum aliquo modo, quia omne id quod est, nonnisi per ipsum habet esse. Hæc solutio maximè sacro textui consonat. Etenim ibi psalmographus intendebat ostendere, quotquot Gentiles colebant Deos, tantùm à Deo distare, quantùm id quod fit à prima causa æquivoca, & eminentissima, cum qua nonnisi secundum quandam

quandam analogiam convenire,& conquadrare potest ; *Et quid dixit* ? ait Augustinus , *Non est similis tibi in Diis Domine : Quodlibet aliud cogitet homo , non est simile quod factum est illi qui fecit. Excepto Deo quidquid aliud est in natura rerum , factum est à Deo , quantùm interest inter eum qui fecit & illud quod factum est , quis dignè cogitet* ?

Argument 2. Inter ea quorum nòn est comparatio , neque similitudo , cum similitudo sit comparatio quædam ; sed inter Deum & creaturam nequit esse comparatio : ergo neque similitudo. Probat. minor , inter ea quæ sunt diversorum generum non est comparatio , verbi gratia inter dulcedinem & albedinem , non enim dicimus dulcedinem albedini similem esse ; sed Deus & creatura non sunt ejusdem generis : ergo inter Deum & creaturam nequit esse comparatio. 6.

Respond. Sanct. Doct. quod Deus & creatura non sunt res diversorum generum , quasi Deus unum genus constituat , & creatura aliud , sicut substantia , quantitas , & qualitas &c. Neque etiam sunt ejusdem generis , itaut sub eodem genere contineantur , sicut homo & Leo sub eodem genere animalis , sed sunt ejusdem generis , Deus quidem ut principium generis , extra tamen omne genus existens , creatura verò ut in genere contenta. Et quia inter effectum & causam agentem , seu principium efficiens ipsius oportet aliquam similitudinem intercedere , analogam quidem si sit causa superexcedens , idcirco inter Deum & creaturam est aliqua similitudo , secundùm analogiam tamen. 7.

8. Argument. 3. Similia dicuntur quæ in forma conveniunt; sed Deus & creatura in eadem forma convenire nequeunt; igitur neque similia esse. Probat. minor. forma seu quidditas Dei est ipsum esse; sed nulla essentia seu quidditas creaturæ est suum esse: ergo Deus & creatura in forma convenire nequeunt.

9. Resp. Sanct. Doct. quod creaturæ ad Deum non dicitur esse aliqua similitudo, quia communicent in forma secundùm eandem rationem generis, vel speciei, sed secundùm analogiam tantùm, qua ratione convenit in esse cum Deo, inquantum Deus est ens per essentiam, & subinde fons & principium totius esse; creatura verò est ens per participationem, ac subinde effectus Dei, qui est ens per essentiam, quapropter debet aliquo modo, nimirum secundùm analogiam illi similari.

10. Argument. 4. in similibus est mutua similitudo; sed inter Deum & creaturam mutua similitudo reperiri nequit: ergo creatura non potest esse similis Deo. Maj. patet, nam simile est simili simile. Minor verò prob. quia Deus nequit similis dici alicui creaturæ, quod oporteret dici, ut reperiretur mutua similitudo, nam dicitur Isaïæ 40. *Cui similem fecistis Deum?*

11. Respond. Sanct. Doct. quod licet aliquo modo condatur creaturam esse Deo similem, nullo tamen modo concedendum est quod Deus sit creaturæ similis, videlicet similitudine propriè dicta, cujus rei gratia notat quod similia sunt in duplici differentia, quædam sunt ejusdem ordinis, ut sunt duo alba; & inter

inter ea quæ sunt similia hoc modo est mutua similitudo; quædam verò sunt similia quæ sunt diversorum ordinum; quia scil. unum ipsorum per se est causa (nimirum superior & æquivoca seu effectiva exemplaris) & alterum est causatum, ut sunt imago & imaginatum: imaginatum enim est causa ipsius imaginis; & inter hæc non est mutua similitudo (nimirum propriè dicta, ut statim explicabimus) Dicimus enim imaginem esse similem Sorti, non autem Sortem esse similem imagini. Et quia Deus non est ejusdem ordinis cum creatura, utpote qui est super omnem creaturam, & omnis creaturæ causa, videlicet superior & æquivoca; ideo inter Deum & creaturam non est mutua similitudo; dicimus enim creaturam esse Deo similem, non autem Deum esse similem creaturæ.

Contra hanc doctrinam facere videtur id quod docet S.D. infra quæst. 57. art. 2. ad 2. ubi ait; *Dicendùm quod secundùm suam naturam Angeli non assimilantur rebus materialibus; sicut assimilatur aliquid alicui secundùm convenientiam in genere, vel specie, aut in accidente* (nimirum speciei) *sed sicut superius habet similitudinem cum inferiori; ut sol cum igne. Et per hunc etiam modum in Deo est similitudo omnium, & quantùm ad formam, & quantùm ad materiam; inquantùm in ipso praeexistit ut in causa quidquid in rebus invenitur:* ergo superioris ad suum inferius potest esse similitudo, ac subinde Deus potest dici creaturæ similis. 12.

Resp. ex S. D. q. 4. de verit. art. 4. ad 2. quod strictè accipiendo nomen similitudinis, nonnisi in his quæ sunt æquè ordinata, seu ejusdem ordinis, reperitur similitudinis reciprocatio; 13.

in his autem quæ ſe habent per modum cauſæ & cauſati non invenitur propriè loquendo ſimilitudinis reciprocatio; dicimus enim quod imago Herculis ſimilatur Herculi, ſed non è converſo. Et ſic Deus non dicitur creaturæ ſimilis, ut de Verbo divino probat Anſelmus in *Monolog. cap.* 32. Si tamen largo modo ſimilitudo accipiatur, ſic poteſt dici quod Deus eſt ſimilitudo creaturæ non quaſi imago, ſed quaſi exemplar & principium, ut habetur quæſt. 7. de pot. art. 7. ad 4.



QVÆSTIO



QVÆSTIO QVINTA,

DE BONO.

D*EINDE quærendum est*, inquit S. D. *de bono : & primò de bono in communi, secundò de bonitate Dei.* Circa ordinem à D. Thom. observatum occurrit commune dubium an rectus sit ? Priùs enim de unitate & veritate disputandum videbatur, cum unum & verum secundùm rationem sit prius bono. Omissa Cajetani subtilitate, respondetur cum S.D. q.21.de verit.a.3.c. *Quod tam verum quam bonum habent rationem perfectivorum, sive perfectionum. Ordo autem inter perfectiones aliquas potest attendi dupliciter ; uno modo ex parte ipsarum perfectionum ; alio modo, ex parte perfectibilium. Considerando ergo bonum & verum secundum se,* (idem dic de uno) *sic verum est prius bono secundùm rationem, cum sit perfectivum alicujus secundùm rationem speciei, bonum autem non solum secundùm rationem speciei, sed secundùm esse quod habet in re : & ita plura in se inclu-*

dit ratio boni, quam ratio veri, & se habet quodammodo per additionem ad illa, & sic bonum præsupponit verum, verum autem præsupponit unum, cum veri ratio ex apprehensione intellectus perficiatur, unumquodque autem intelligibile est, inquantum est unum: qui enim non intelligit unum, nihil intelligit, ut dicit Philosophus 4. metaph. Vnde istorum nominum transcendentium talis est ordo, si secundùm se consideretur, quod post ens est unum, deinde verum, deinde post verum bonum. Si autem attendatur verum & bonum ex parte perfectibilium, sic bonum est naturaliter prius quam verum, duplici ratione: Primò, quia perfectio boni ad plura se extendit, quam perfectio veri. A vero enim non sunt nata perfici, nisi illa quæ possunt aliquod ens percipuè in seipsis, vel in seipsis habere secundum suam rationem, & non secundum illud esse quod habet ens in seipso: & hujusmodi sunt solùm ea quæ immaterialiter aliquid recipiunt, & sunt cognoscitiva. Species enim lapidis est in anima, non autem secundùm esse quod habet in lapide. Sed à bono nata sunt perfici illa, quæ secundùm materiale esse aliquid recipiunt; cum ratio boni in hoc consistat, quod aliquid sit perfectivum tam secundum rationem speciei quam secundum esse. Et ideo omnia appetunt bonum, sed

non

non omnia cognoscunt verum: in utraque enim ostenditur habitudo perfectibilis ad perfectionem, quæ est bonum & verum, scil. in appetitu boni & cognitione veri. Secundò, quia illa quæ nata sunt perfici bono & vero, per priùs perficiuntur bono quam vero. Ex hoc enim quod participant esse perficiuntur bono: ex hoc autem quod cognoscunt aliquid perficiuntur verò. Cognitio autem est posterior quam esse. Vnde & in hac consideratione, ex parte perfectibilium bonum præcedit verum. Cum ergo S. D. hic agat de bono, & vero ex parte perfectibilis, similiter de uno, priùs agit de bonitate Dei, quam de ejus unitate, vel veritate.



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum bonum differat secundùm rem ab ente?

CAPVT PRIMVM.

Quibusdam præsuppositis statuitur conclusio.



SERMO est de bono & ente simpliciter acceptis, videlicet prout ens dicit actum essendi; bonum autem rationem appetibilis, seu perfectivi ipsius appetitus. Vnde sensus difficultatis est, utrum I.

bonum sub hac ratione addat aliquid reale, seu realem aliquam naturam & perfectionem, ratione cujus ab ipso ente secundùm rem differat; sicut album formaliter addit corpori, quod album denominatur, realem formam & perfectionem per quam secundùm rem à corpore, vel subjecto quod est album, distinguitur.

2. Notandum est ex S. D. *quaest.* 21. *de verit. art.* 1. *c.* quod tripliciter aliquid super alterum addere potest: primò secundum rem, & per modum alicujus extranei realiter, itaut res quae additur sit extra essentiam illius rei quae additur; quo pacto album corpori superaddit, quia albedinis essentia praeter corporis essentiam est. Secundò per modum alicujus differentiae contrahentis, seu determinantis potentialitatem vel indifferentiam ejus cui additur; quo pacto homo animali addere dicitur; non quidem ita quod in homine sit alia res, quae sit penitùs extra essentiam animalis, aliàs non totum quod est homo esset animal, sed ipsum esset hominis pars, ac subinde de homine non praedicaretur; sed addere dicitur quatenus animal per ipsum rationale in homine contrahitur; quia id quod determinatè & actualiter continetur in ratione hominis, implicitè & quasi potentialiter (potentia formali indeterminata) continetur in ratione animalis; est enim de ratione hominis quod habeat animam rationalem; de ratione autem animalis est quod habeat animam non determinando ad rationalem, vel non rationalem; illa tamen determinatio ratione cujus homo super animal addere dicitur, in aliqua re fundatur, nimirum anima rationali prout dicit gradum intellectivi, quod non dicit animal

secundùm

ſecundùm ſe. Vnde addere dicitur ſecundùm rationem, & non ſecundum rem. Tertiò dicitur aliquid ſuper alterum addere ſecundùm rationem tantùm; quando ſcil. aliquid eſt de ratione unius, quod non eſt de ratione alterius; quod tamen nihil eſt in rerum natura, ſed in ratione tantùm; ſive per illud contrahatur id, cui addi dicitur, ſive non. Cœcum enim addit aliquid ſupra hominem, ſcil. cœcitatem, quæ non eſt aliquod ens in natura, ſed rationis tantùm, ſecundùm quod ens rationis comprehendit negationem & privationem; & per hoc homo contrahitur, non enim omnis homo eſt cœcus; ſed cum dicimus talpam cœcam non fit per hoc additum aliqua contractio, quia omnis talpa cœca eſt.

Supponenda eſt præterea boni communiter & abſolutè ſumpti definitio, quam ex communi Philoſophorum conſenſu tradit Ariſtoteles *lib*.1. *Ethic*. dicens bonum eſſe, *id quod omnia appetunt*. Eſt enim bonum objectum proprium appetitus, ac ſubinde motivum ejus; ſicut ſonus eſt proprium auditus objectum. Vnde ſicut ſonus eſt, qui ab omni percipitur auditu, ita oportet bonum eſſe id, in quod tendit omnis appetitus. Ea propter cum rei cujuſlibet ſit aliquis appetitus, vel intellectivus, vel ſenſitivus, vel naturalis, conſequens eſt, quod quælibet res ſuo modo bonum appetat. Ideo dicit Philoſophus omnia bonum appetere, id eſt, in bonum tendere, ſive rationalia & intellectualia, ſive ſenſitiva, ſive tandem inanimata & ratione ſeu cognitione carentia, & quæ purè in finem ut directa tendunt *D. Thom. ibid.* 3.

Circa

4. Circa hanc definitionem notat S. D. *ibid. lect.*1. quod prima simpliciter, quale est bonum, per priora notificari aut definiri nequeunt, sed per posteriora describuntur, ac nota fiunt, quemadmodum causæ per effectus. Cum igitur bonum propriè sit motivum appetitus, bonum per motum appetitus, qui est effectus ejus, sicut vis motiva per motum, describitur.

5. Prima conclusio: bonum & ens sunt idem secundùm rem. Probat S. D. ex D. Augustino *lib.*1 *de doct. Christ. cap.*32. dicente: *Inquantum sumus boni sumus*; sed sumus inquantum esse habemus; igitur esse est bonum; sed impossibile est quod sit aliquod ens quod non habeat esse: ergo necesse est quod omne ens sit bonum.

6. Deinde probat ratione; ratio boni absolutè sumpti in hoc consistit quod sit appetibile; sed aliquid est appetibile inquantùm est perfectum: ergo intantum aliquid est bonum inquantum est perfectum; sed intantum aliquid est perfectum inquantùm est actu, & intantum est actu inquantum est ens, quia esse, à quo dicitur ens simpliciter, est actualitas omnis rei: ergo bonum & ens sunt idem secundùm rem. Major patet ex communi diffinitione boni, quam tradit Aristoteles *lib.* 1. *Ethic. cap.* 1. dicens, bonum esse id quod omnia appetunt; sed id in quod fertur, ac tendit omnis appetitus est appetibile simpliciter, sicut id in quod fertur omnis visus, est visibile simpliciter; igitur ratio boni in eo consistit, quod sit appetibile. Minor etiam est evidens, quia omnis res propriam appetit perfectionem: ergo intantum aliquid natum est appeti seu movere appetitum, inquantum in se habet aliquam perfectionem, quæ sit conveniens & perfectiva rei.

Pro majori intelligentia nota ex S. Doct. *quæst 21.de verit.art.1. c.* quod verum & bonum super intellectum entis rationem seu respectum perfectivi addunt. In quolibet autem ente est duo considerare; scil. ipsam rationem speciei; & esse ipsum, quo aliquid aliud in specie illa subsistit. Et sic aliquod ens potest esse perfectum dupliciter: uno modo, secundùm rationem speciei tantùm, & sic ab ente perficitur intellectus, qui perficitur per rationem entis; nec tamen ens est in eo secundùm esse naturale; & ideo hunc modum perficiendi addit verum super ens. Verum enim est in mente, ut dicit Philos. *in 6. metaph.* & unumquodque ens intantum dicitur verum, inquantum conformatum est, vel conformabile intellectui. Et ideo omnes rectè diffinientes verum ponunt in ejus definitione intellectum. 7.

Alio modo ens est perfectivum alterius, non solùm secundùm rationem speciei; sed etiam secundùm esse quod habet in rerum natura; & per hunc modum est perfectivum bonum. Bonum enim in rebus est, ut Philosoph. dicit 6. *Metaph.* Inquantum autem unum ens est secundùm esse suum perfectivum alterius & conservativum, habet rationem finis respectu illius quod ab eo perficitur. Et inde est quòd omnes rectè diffinientes bonum ponunt in ratione ejus aliquid, quod pertineat ad habitudinem finis. Vnde Philos. dicit in 1. *Ethic.* quod bonum optimè diffiniunt dicentes, quod bonum est quod omnia appetunt. Sic ergo primo & principaliter dicitur bonum, ens perfectivum alterius per modum finis; sed secundariò dicitur aliquod bonum, prout est ductivum in finem, 8.

nem, (quo pacto utile dicitur bonum:) vel natum est consequi finem; sicut & Sanum dicitur, non solùm habens Sanitatem, sed perficiens, & conservans, & significans, *ibid.*

9. Secunda conclusio: bonum & ens secundùm rationem differunt. Prob. S. D. quia bonum dicit rationem appetibilis, seu habitudinem causæ finalis in conceptu suo, quam non dicit ens: ergo secundum rationem bonum addit ad ipsum rationem appetibilis: ergo secundùm rationem ab illo distinguitur.

CAPVT II.

Solvuntur argumenta contraria.

10. Arg. 1. ea quæ sunt aliud, & aliud, secundùm rem differunt; sed ens & bonum sunt aliud & aliud: ergo secundùm rem differunt. Minor prob. ex Boëtio in lib. de hebdomad. dicente: *Intueor in rebus aliud esse quod sunt bona, & aliud esse quod sunt.*

11. Resp. ad min. Quod ens est duplex, scilicet ens simpliciter, & ens secundum quid. Ens simpliciter dicitur illud, quo res est primò in actu per suam formam substantialem. Ens verò secundum quid dicitur illud, quod advenit rei per ultimam accidentalem perfectionem. Homo namque dicitur ens simpliciter per esse substantiale, quod habet ab anima. Habet verò esse secundum quid per formas accidentales supervenientes formæ substantiali sicut per justitiam dicitur justus, per scientiam sciens. Similiter bonum est duplex, scilicet simpliciter, & secundùm

cundùm quid ; bonum ſimpliciter eſt ultima rei perfectio, quam res habet per ſuam ultimam accidentalem formam ; bonum verò ſecundum quid eſt prima rei perfectio, quæ eſt ipſum eſſe ; quando enim aliqua res habet tantum eſſe, eſt bona ſecundum quid. Ex quibus patet quod ens ſimpliciter, eſt idem re cum bono ſecundum quid, & ens ſecundum quid, eſt idem realiter cum bono ſimpliciter. Bonum namque ſecundùm quid eſt ipſum eſſe ſubſtantiale, quod dicitur etiam ens ſimpliciter, & bonum ſimpliciter eſt ultima perfectio rei, quæ dicitur etiam ens ſecundum quid. Si igitur accipiatur ens communiter, & indiſtinctè prout comprehendit ens ſimpliciter, & ens ſecundum quid, & ſimiliter bonum prout eſt commune ad bonum ſimpliciter, & ſecundum quid. Dicitur ad argumentum quod ens, & bonum ſunt aliud, & aliud tantùm ſecundùm rationem, & de hac alietate interpretanda eſt Boëtij ſententia. Si autem ſermo ſit de ente ſimpliciter, per comparationem ad bonum ſimpliciter, & de ente ſecundum quid per comparationem ad bonum ſecundum quid, tunc dicitur quod ſunt aliud, & aliud, non ſolùm ſecundùm rationem, ſed etiam realiter ; nam ens ſimpliciter ſignificat primum actum ſubſtantialem, qui realiter ab ultimo actu accidentali, qui dicitur bonus ſimpliciter, diſtinguitur, & ſecundum hunc modum ſententia Boëtij poteſt intelligi de alietate reali, & erit ſenſus, quod intuemur in rebus aliud eſſe quod ſunt, quia res ſimpliciter ſunt per primum actum, & aliud eſſe quod bonæ ſunt, quia ſimpliciter bonæ dicuntur res per ultimum actum, ut dictum eſt.

Arg.2.

12. Arg. 2. omne quod dicitur per informationem alicujus (id est omne illud quod se habet ut forma determinans alicujus ad certam rationem, ut patet quæst. 21. de verit. art. 1.) Omne, inquam, quod dicitur per informationem alicujus, aliquid realiter super illud addit: sed bonum dicitur per informationem entis, ut dicitur *in lib. de causis prop.* 21. & 22. determinat enim ens ad specialem rationem: ergo bonum differt secundùm rem ab ente. Major patet, quia nihil realiter informatur à seipso, seu determinat seipsum.

13. Dices, quod bonum determinat ens secundùm rationem. Contra, aut illi rationi respondet aliquid in re, aut nihil? Si nihil, sequitur quod illa ratio sit cassa & vana; si autem aliquid respondet in re, habetur propositum, nimirum quod bonum supra ens realiter aliquid addat.

14. Resp. S. D. *ibid.* quod isti rationi aliquid respondet in re, scilicet realis dependentia ejus quod est ad finem ipsum, sicut est etiam in aliis relationibus rationis, quæ Deo attribuuntur.

15. Resp. 2. ad arg. ex S.D. *hic ad* 2. quod bonum dicitur per informationem, non quidem si fiat sermo de bono absolutè, sed de bono quod est bonum bonitate ultima, & simpliciter secundum ultimum actum, qua ratione differt ab ente absolutè dicto.

16. Arg. 3. Illa duo quæ sic se habent, quod unum eorum suscipit, & alterum non suscipit magis, & minus, distinguuntur realiter abinvicem; sed bonum suscipit magis, & minus; esse autem non suscipit magis, & minùs: ergo bonum differt secundum rem ab ente.

Resp.

Resp. quod bonum dicitur secundum magis, & minùs secundùm actum supervenientem, puta secundum scientiam, vel virtutem; etenim unus dicitur magis sciens vel virtuosus, quam alius. Sed non dicitur secundum magis & minùs absolutè & secundum se. Videnda quæ dicta sunt *solut.ad* 1. 17.

Arg.4. quantò magis receditur ab uno primo simplici, tantò major in rebus differentia invenitur; sed ens & bonnm in Deo sunt unum re, & distinguuntur ratione: ergo in creaturis distinguuntur plusquam ratione; & ita distinguuntur re, cum supra distinctionem rationis non sit nisi distinctio rei, q.21.de verit.a.1.arg.5. Conf.Sicut bonum & ens convertuntur,ita homo & risibile; sed risibile,quamvis convertatur cum homine, addit tamen super hominem aliquid realiter, scil. ipsam hominis proprietatem, quæ est de genere accidentium: ergo & bonum realiter addit super ens. *Ibid.* 18.

Resp. ad arg. ex S.D.ibid.ad 5. dist.min. bonum & ens in Deo sunt unum re, præcisè quia in Deo sunt, nego: ex propria etiam ratione, concedo min. & neg.conseq. Nam licet ea quæ sunt unum in Deo, quia in Deo sunt, & distinguuntur tantum ratione, in creaturis distinguantur realiter, non tamen si aliàs sint unum secundùm propriam rationem,ut ens & bonum. 19.

Resp.ad Conf.ex S.D.ibid.ad 10.quod risibile quamvis convertatur cum homine,tamen addit aliquam naturam extraneam super ipsum, quæ est præter essentiam hominis, unde realiter distinguitur; sic autem nihil potest addi super ens, ut dictum est. 20

CAPUT

CAPVT III.

Ostenditur quomodo ratio boni sit relativa, quomodove absoluta.

21. CVm dixerimus bonum esse quod ab omnibus appetitur, necessum est fateri quod ipsum exprimat quandam convenientiæ relationem, seu habitudinem appetibilitatis ad ipsum appetitum (ut docet D. Thom. hic, & *quæst.* 1. *de verit. art.*1.) sicut verum addit ipsi relationem conformitatis & adæquationis ad intellectum. Modò oritur difficultas, utrum bonum formaliter significet hujusmodi relationem, & per eam formaliter constituatur, sitque aliquid relativum; an verò per fundamentum talis appetibilitatis constituatur, quam multi appetibilitatem radicalem nuncupant.

22. Dicendum existimo, quod bonum secundùm suum esse, & in genere rei est perfectio absoluta fundans ordinem convenientiæ ad appetitum; sed secundùm suam rationem, secundùm quam enti dicitur addere, & quasi in linea intentionali importat ordinem rationis ad appetitum. Ita sumitur ex *D. Thoma q.* 1. *de verit. art.*1. *corp.* Prob. prima pars, quia bonum perfectionem importat, cum bonum & perfectum idem sint: sed Deus neque bonus neque perfectus est aliqua relatione, sed per essentiam, sicut & creaturæ dicuntur bonæ, inquantùm bonitatem ejus participant: ergo bonum secundùm suum esse non consistit in aliqua relatione. Secunda pars etiam prob. Omnis relatio objecti ad

ad potentiam, cujus actus ab objecto mensuratur, est relatio rationis; sed hujusmodi est relatio quam bonum ad appetitum dicit: ergo secundum suam rationem, secundùm quam ad ipsum ens addit, importat ordinem rationis ad appetitum, *q.21. de verit. art.1.*

Objicies, appetibile formaliter dicit relationem ad appetitum: ergo bonum formaliter in relatione consistit. Confirm. Malum, & bonum sunt contraria; malum dicit privationem relationis convenientiæ, seu appetibilitatis ad appetitum: ergo bonum formaliter dicit relationem ad appetitum. Confirm. 2. eadem res dicitur bona, & mala respectu diversorum, sicut calor est bonus, huic v. g. igni; & malus alteri, scilicet aquæ; sed hoc est proprium relativè oppositorum, ut respectu diversorum possint de eadem re verificari: ergo &c. 23.

Resp. ad 1. D. Cajet. appetibile dupliciter accipi posse, primò fundamentaliter proximè, quo pacto rationem boni constituit; & est quid intrinsecum illi; secundò formaliter, & sic rationem boni explicat, sed ipsum bonum non constituit. Et hoc pacto relationem dicit. Quod nos in conclusione aliter explicuimus, dicentes bonum secundum esse, reipsa esse quid absolutum, ejus tamen rationem per ordinem rationis ad appetitum explicari. Resp. ad Conf. malum importare privationem appetibilis fundamentaliter, sed non formaliter sumpti. Resp. ad 2. ea, quæ contrariè opponuntur, etiam de eodem dici respectu diversorum. Quo pacto aliquid respectu unius magnum, & comparatione alterius parvum judicatur. 24.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum bonum secundùm rationem sit prius quàm ens.

1. NOTA quod ratio quæ significatur nomine entis dicitur ipsum esse ; ratio autem significata nomine boni est, quod sit appetibile, seu perfectivum appetentis ; unde bonum formaliter dicit rationem finis, & ultimi. Cum ergo ens & bonum sint idem secundùm supposita ; secundùm autem suas rationes formales significatas differant, impræsentiarum exurgit difficultas, quid sit prius in intellectus apprehensione, num ratio significata per nomen entis, quæ est esse ; num ratio boni, quæ est appetibile esse, sumendo utramque rationem sine inclusione unius in alia. Et est sermo, non quidem de rationibus entis & boni abstractivè designatis, sed concretivè & prout participantur. Quod satis indicat; tum articuli titulus, tum authoritas adducta *in sed contra* ex libro de causis, nimirum: *Prima rerum creatarum est esse :* in qua est sermo, non de esse separato, sed de esse participato : itaut sensus sit, quod inter cæteras omnes perfectiones in rebus à Deo participatas prima sit esse, in quocunque divinam similitudinem participante : v. g. in intelligentia, vel anima prius consideratur esse, quam ipsius intelligentiæ vel animæ ratio, vel quælibet alia perfectio. *Lib. de caus. lect.* 4.

2. Huic quæstioni causam dedit Platonicorum singularis

singularis opinio. Ipsi namque existimantes unum & bonum esse quid communius quam ens, quippe quod de pluribus prædicaretur, videlicet de materia prima, quam dicebant unam & bonam, & tamen non ens, eam à privatione non distinguentes, consequenter asseruerunt prius esse simpliciter, quia quantò aliquid est communius est prius, ac per consequens posteriorum causa. *Ibidem.*

Sciendum est quod de bono & ente secundùm suas rationes privatas dupliciter loqui possumus. Primò absolutè & simpliciter prout dicunt diversas perfectiones ac participationes in eadem natura se consequentes. Secundò comparativè ad diversa composita quibus insunt, & abinvicem distinguuntur, diversasque ordinationes & combinationes fundant; sicut in Deo bonum & ens per essentiam dicuntur, in creaturis verò per participationem. Et in istis quædam sunt simpliciter, quædam secundum quid sunt entia & bona. Hîc est sermo de ente secundum suas rationes simpliciter & absolutè sumptas, & prout dicunt diversas quodammodo perfectiones in eadem natura & supposito repertas, nimirum esse, & esse appetibile. 3.

Conclusio, ens est secundùm rationem prius quam bonum. Probat *in sed contra*, ex lib. de causis proposit. 4. ubi dicitur, quod prima rerum creatarum est esse; sed esse est ratio entis: ergo ens secundùm rationem est prius quam bonum. 4.

Deinde probat *in corp.* illud est simpliciter prius secundùm rationem, quod simpliciter primò in conceptione intellectus cadit; sed ens est ejusmodi : ergo ens est simpliciter prius 5.

quam bonum. Maj. patet, quia ratio significata per nomen est id, quod intellectus de re concipit, & illud significat per nomen: ergo illud est simpliciter prius secundùm rationem, quod simpliciter primò in conceptione intellectus cadit. Minor verò prob. Nihil prius cadit in conceptione intellectus, quam id quod est per se primò intelligibile, seu cognoscibile. Sed ens est per se primò intelligibile, & intantum aliquid est intelligibile & cognoscibile inquantùm est ens: ergo ens primò cadit in conceptione intellectus.

6. Arg.1. Ordo nominum est secundùm ordinem rerum significatarum per nomina; sed inter alia nomina Dei primo ponit bonum quam ens D. Dionysius *cap.3. de divin. nom.* ergo bonum secundùm rationem est prius quam ens. Conf. illud est prius secundùm rationem, quod ad plura se extendit; sed bonum ad plura se extendit quam ens: ergo bonum est prius secundùm rationem quam ens. Minor prob. quia, ut dicit D. Dionys. *cap.5. de divin. nom.* bonum se extendit ad existentia & non existentia, ens verò ad existentia tantùm: ergo bonum ad plura se extendit, quam ens.

7. Resp. ex S. D. dupliciter, primò quòd Deus dupliciter considerari potest, uno modo secundum se. Alio modo secundum quod est causa rerum; si primo modo consideretur, priùs ei convenit nomen entis, quam boni; si verò secundo modo, convenit ei prius nomen boni, quam quodcunque aliud nomen, eò quia bonum importat rationem causæ finalis, quæ est causa causarum, & Dionysius tractabat de divinis nominibus. Secundum quod important circa

ca Deum habitudinem causæ, propterea inter alia divina nomina, quæ ei attribuit, prius assignat nomen boni.

Resp. 2. quod licet bonum secundum veritatem non sit priusquam ens, tamen secundum Platonicos est prius, quia secundum ipsos participatio boni ad plura se extendit, quàm ens: Dicebant enim ipsi quod materia prima erat non ens, quia erat idem cum privatione, & tamen quod ipsa erat bona, quia appetebat bonum scilicet formam, & quia unumquodque appetit sibi simile, & materia prima appetit formam, quæ est quoddam bonum; ideò tenebant primam materiam esse bonam, non autem esse ens, & propterea dicebat Dyonisius, quòd bonum extenditur ad non existentia. 8.

Et per hæc patet primò ad confirmationem responsio concedendo quod bonum se extendit ad existentia, & non existentia secundum Platonicos. Resp. 2. Quod per non existentia possumus duo intelligere, vel ea, quæ nullo modo existunt, scilicet nec actu, nec potentia, vel ea, quæ non existunt actu. Ad non existentia primo modo, non extenditur neque ens, neque bonum. Ad non existentia verò secundo modo se extendit bonum, non autem ens. Et ratio est, quia bonum habet rationem finis, in quo non solùm quiescunt quæ sunt in actu, sed ad ipsum etiam moventur ea, quæ in actu non sunt, sed in potentia tantùm. Ens autem non importat habitudinem causæ, nisi formalis, vel inhærentis, vel exemplaris, cujus causalitas non se extendit nisi ad ea quæ sunt actu, & hac ratione potest dici, quod bonum sit aliquò modo priùs quam ens. 9.

10. Arg. 2. Quod est universalius, est prius secundum rationem: sed bonum est universalius quam ens: ergo bonum est prius secundum rationem. Min. prob. Quia ens non se extendit ad non ens, ad quod tamen bonum se extendit, cum non ens sit appetibile juxta illud: *Bonum erat ei si natus non fuisset.*

11. Resp. neg. maj. Ad prob. dicimus. Quod non esse non est appetibile per se, sed per accidens inquantum appetitur privatio alicujus mali, quæ quia non potest esse, nisi per carentiam esse ipsius appetentis, appetitur non esse, & quia non esse per accidens appetitur, per accidens etiam potest dici bonum.

12. Arg. 3. Appetibile particulare est posterius appetibili universali: sed ens est appetibile particulare, & bonum appetibile universale: ergo bonum est prius quam ens. Min. prob. Quia non solùm appetimus esse, sed vivere, sapere, & hujusmodi: ergo ens est appetibile particulare, & bonum appetibile universale.

13. Respond. neg. min. Ad probationem dicitur. Quod vivere & sapere, & hujusmodi non appetuntur, nisi ut sunt actu; unde in omnibus appetitur quoddam esse, & sic nihil est appetibile nisi ens, & nihil est bonum, nisi ens.

ARTICV

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum omne ens sit bonum.



ONCLVSIO: omne ens inquantum ens, id est, per se & secundùm quod ipsum est bonum, seu per se convenit omni enti esse bonum, & non per accidens, itaut nihil in re sit ens quod non sit bonum, nec aliquid sit non ens quod sit bonum & appetibile; sicut cum dicimus hominem inquantùm hominem, esse rationalem, sensus est quod per se retionalis est, & nihil præter ipsum ratione præditum est. q.21. de verit. a.2. c. Probat *in sed contra*, omne ens quod non est Deus, est Dei creatura: sed omnis creatura Dei est bona, ut dicitur 1. *ad Timoth. c.4.* Deus verò est maximè bonus: ergo omne ens est bonum. 1.

Deinde probat *in corp.* Omne ens inquantum ens, est quodammodo perfectum: sed quidquid est perfectum habet rationem appetibilis & boni: ergo omne ens inquantum hujusmodi est bonum. Prob. maj. intantum est aliquid perfectum inquantum est actu, omnis enim actus est perfectio quædam: sed omne ens inquantum ens, est in actu, quia dicit esse, quod est actualitas omnis rei: ergo omne ens inquantum ens est quoddammodo perfectum. Et nota quod est sermo de ente ut habet esse in re, & secundùm suppositum, seu participialiter, non verò nominaliter sumpto, & ut dicit prædicatorum essentialium connexionem, seu rationem rei. 2.

Nam bonum & ens ſimpliciter habent eſſe in rebus, verum autem in intellectu. Sumitur hæc concluſio ex D. Auguſt. lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 31. ubi ait: *Inquantum Deus eſt, ſumus, & inquantùm ſumus, boni ſumus.*

3. Arg. 1. quod contrahit aliud, non eſt idem illi convertibiliter; ſed bonum contrahit ens: igitur non omne ens eſt bonum, ſeu ens & bonum non convertuntur ſecundùm ſuppoſita. Maj. patet, nam rationale, quod contrahit animal, non eſt idem cum animali convertibiliter. Minor prob. quod addit alteri contrahit ipſum, ſicut ſubſtantia, quantitas, qualitas, & alia hujuſmodi contrahunt ens, quia addunt illi ſpecialem modum eſſendi; ſed bonum addit enti rationem appetibilis; ergo contrahit ipſum.

4. Reſp. neg. min. ad prob. diſt. maj. quod addit alteri applicando ipſum ad ſpecialem naturam & quidditatem, concedo: quod addit alteri non applicando ipſum ad ſpecialem naturam & quidditatem, nego. Sicut v. g. ens dicitur contrahi per decem prædicamenta, quorum unumquodque addit aliquid ſuper ens, non quidem aliquam differentiam, quæ ſit extra eſſentiam entis, ſed determinatum modum eſſendi qui fundatur in ipſa eſſentia rei. Et diſt. min. bonum addit enti rationem appetibilis applicando ipſum ad ſpecialem naturam & quidditatem, nego: relinquendo ipſum in ſua amplitudine & ambitu, concedo, *q. 21. de verit. art. 1. c.*

5. Arg. 2. nullum malum eſt bonum; ſed aliquod ens dicitur malum: ergo non omne ens eſt bonum. Maj. patet ex illo Iſaïæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Conf. Nullum diviſum convertitur cum membro dividente,

vidente, sicut animal cum rationali; sed ens dividitur in bonum & malum, cum multa entia mala dicantur: ergo ens & bonum non convertuntur, seu non sunt idem.

Resp. ad arg. S. D. hîc, quod nullum ens dicitur malum, inquantùm est ens, sed inquantùm caret quodam esse; sicut homo dicitur malus, inquantùm caret esse virtutis, & oculus dicitur malus, inquantùm caret acumine visus. Resp. ad conf. *quæst.* 21. *de verit. art.* 2. *ad* 6. quod aliquid potest dici bonum ex suo esse, & ex sua proprietate (nimirum bonitate essentiali) vel habitudine superaddita (nimirum bonitate accidentali) sicut dicitur aliquis homo bonus, inquantum est justus & castus, & ordinatus ad beatitudinem. Ratione primæ bonitatis ens convertitur cum bono, seu per se est idem illi, sed ratione secundæ (id est, ex habitudine superaddita) bonum dividit ens, nimirum ut differentia opposita malo. 6.

Arg. 2. materia prima est ens; sed non est bona: ergo non omne ens est bonum. Prob. min. materia prima non habet rationem appetibilis, sed appetentis: ergo non est bona, quia bonum dicit rationem appetibilis, diffinitur enim, id quod omnia appetunt. 7.

Resp. S. D. quod materia prima eo modo, quo est ens, est etiam bona, & appetibilis; est enim ens in potentia, & bona, & appetibilis pariter in potentia. Habet verò rationem appetentis respectu formæ inquantum caret ipsa. 8.

Resp. 2. ad mentem Platonicorum concedendo materiam primam esse non ens propter privationem cum qua existimabant materiam primam 9.

primam esse idem. Concedebant tamen ipsam esse bonam quia habet ordinem ad bonum, id est ad formam. Ad formam igitur argumenti secundum Platonicos respondetur ad maj. qua dicebatur, quod omne bonum est appetibile distinguendo, quod aliquid esse bonum dupliciter contingit, scilicet in actu, & hoc habet rationem appetibilis. Aut quia ordinatur ad bonum, & hoc non habet rationem appetibilis, sed potiùs appetentis, quia scilicet appetit bonum, ad quod ordinatur, id est ipsam formam. Materia prima non est bona in actu, sed tantùm dicitur bona, quia est ad bonum ordinata, & ideò non habet rationem appetibilis, sed appetentis.

10. Arg. 3. Philosoph. dicit in 3. metaphys. quod in Mathematicis non est bonum: sed mathematica sunt entia: ergo non omne ens est bonum. Minor patet, quia de Mathematicis est scientia, quæ non est nisi de ente.

11. Resp. ex S. D. hîc, & q. 21. de verit. art. 2. & in 3. d.7. quæst.1. art.4. & alibi sæpe, quod in Mathematicis secundùm rationem speciei, & sub quâ à Mathematico considerantur, præcisivè ab esse illorum in re non est bonum, sed concretivè ad esse naturale eorum, sub qua ratione, non à Mathematico, sed à Naturali considerantur. Neque enim bonum sequitur ens sub quocunque respectu & ratione, sed ut habet quodammodo rationem appetibilis, & perfecti, seu perfectivi ipsius appetitus. Quod non convenit nisi his, quæ habent aliquod esse actu in re, vel apprehenduntur ut aliquod esse actu, & ut quædam perfectio appetentis. Vnde dist. maj. in mathematicis non est bonum, sub ea ratione

ratione qua considerantur à Mathematico præcisivè ab esse naturali eorum, concedo; sub alia ratione, nimirum prout sunt quædam entia in natura existentia, & sensibilia, nego; sic enim habent quoddam esse actu; & rationem appetibilis, atque finis sortiuntur.

Sed contra, quia ex hac solutione sequeretur quod nulla res in universali sumpta esset bona, cum nulla res in universali actu subsistat in re, quod est absurdum. Resp. dist. nulla res in universali existit aut subsistit in re, pro illo statu quo universalitati subest, concedo; in individuis habentibus propriam formam, & naturam speciei, quæ universalitati subest, nego. Ad cujus evidentiam sciendum est ex D. Thom. *loc. cit.* & Cajetano hîc, quod licet omnia universalia in hoc conveniant, quod in sua universalitate non subsistunt; inter universalia tamen physica, metaphysica, & mathematica hoc discrimen reperire est, quoad subsistere in suis propriis abstractionibus, quod metaphysica secundùm naturam substantem abstractioni propriè in individuis habent subsistere, quoniam in rerum natura quædam individua reperiuntur abstrahentia ab omni materia, tam sensibili quam intelligibili; nimirum Deus, & intelligentiæ, animaque humana separata. Similiter & individua physica reperiuntur, quæ habent materiam in sui ratione, tam sensibilem, quam intelligibilem: mathematica verò secundùm propriam abstractionem sumpta non sortiuntur individua, in quibus sic existant, & subsistant; quoniam in re nullum datur individuum abstrahens à materia sensibili tantùm, & non intelligibili, à qua abstrahunt 12.

mathema

mathematica. Et hoc intelligit S. D. inquiens quod mathematica non subsistunt, scilicet in aliquo proprio individuo, cui competat propria ratio naturæ quæ subest abstractioni mathematicæ, sed in individuo physico.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum ens habeat rationem causæ finalis.

1. 
CVm bonum habitudinem causæ importet, etenim in appetitum agit per modum perfectivi ipsius, ut diximus; difficultas oritur, utrum bonum rationem causæ finalis, an potiùs formalis, vel efficientis habeat. Et est sermo de causa finali secundùm suam rationem formalem sumpta, per quam constituitur in ratione causæ finalis, itaut ratio formalis constitutiva boni, quod est esse appetibile seu perfectum, & perfectivum formaliter ac per se rationem causæ finalis importet, itaut ratio boni sit formaliter ratio finis, & non solùm fundamentaliter & identicè.

2. Conclusio, bonum inquantùm bonum formaliter rationem causæ finalis importat; rationem autem causæ efficientis & formalis præsupponit, sed in sua ratione formaliter non importat. Probat S. D. *in sed contra* ex philosopho *lib.2. Physic. tex.31.* dicente, quod illud cujus causa est, est sicut finis & bonum aliorum. Deinde probat ratione primam partem, id quod omnia appetunt, habet rationem causæ finalis; sed bonum est id quod omnia appetunt: igitur habet rationem causæ finalis.

Secundam

Secundam partem probat sic : primum in causando est ultimum in causato ; sed bonum prout habet rationem finis est primum in causando : ergo bonum, prout habet rationem causæ finalis, est ultimum in causato seu effectu ; ac subinde rationem causæ efficientis ac formalis præsupponit. Maj.manifestatur.Nam quando ex aëre generatur ignis, primum in causando est calor, quo disponitur aër ad recipiendam formam ignis, quando autem aër est dispositus, prius natura recipit formam ignis ; deinde recipit calorem, qui consequitur ipsum. Vnde patet quòd calor, qui fuit prior in agendo, est ultimò receptus in effectu, & sic patet major,quod primum in causando est ultimum in causato. Min. ostenditur, quia manifestum est, quod finis in qualibet actione movet agentem ; Agens enim omne agit propter finem; Secundò actio agentis movet materiam ad recipiendam formam. Tertio tandem advenit ipsa forma, ex quibus patet quod in causando prior est causalitas causæ finalis, quæ movet agentem ; secundò est causalitas causæ efficientis, quæ introducit formam ; tertiò est causalitas formæ, dando esse materiæ in qua recipitur. In causato autem oppositum accidit, nam ipsum causatum prius recipit formam, per quam in esse constituitur; secundò recipit virtutem agendi, unumquodque enim tunc perfectum est cum potens est agere sibi simile ; tertiò habet rationem boni, quæ tunc convenit rei, cum perfecta est. Vnde manifestum est, quod in causato priùs est ratio causæ formalis, deinde efficientis, & tertiò finalis. Et sic patet major. 3.

Arguitur primò. Pulchrum non habet rationem 4.

nem

nem causæ finalis, sed formalis: sed bonum idem est quod pulchrum: ergo bonum non habet rationem causæ finalis, sed formalis. Min. prob. Quia Dionysius 4. *cap. de div. nom.* dicit, quod bonum laudatur ut pulchrum.

5. Resp. ad min. Quod bonum esse idem, quod pulchrum, potest dupliciter intelligi. Vno modo ut sit idem subjecto, & hoc modo est vera minor; nam bonum & pulchrum fundantur in eadem re, scilicet super formam, & propter hanc identitatem dixit Dionysius quod bonum laudatur ut pulchrum. Alio modo ut sit idem secundum rationem, & hoc est falsum. Nam bonum secundum suam rationem respicit appetitum, & habet rationem finis, pulchrum autem respicit vim cognoscitivam, & habet rationem formæ, & ideò alia est ratio boni, & alia ratio pulchri. Quod ratio boni respiciat appetitum, manifestatur, quia bonum est quod omnia appetunt, ut dictum est, & quia ipse appetitus est quasi quidam motus in rem, sequitur ulterius, quod bonum habeat rationem finis, ad quem tanquam ad terminum ordinatur motus appetitus. Quod verò pulchrum spectet ad vim cognoscitivam, & habeat rationem formæ manifestatur, quia pulchra sunt quæ visa placent, & ideò ad vim cognoscitivam spectant. Et ex hoc sequitur, quod habeat rationem causæ formalis, quia si pulchra sunt, quæ visa placent, necesse est, ut consistant in debita proportione, eò quia sensus delectatur in rebus debitè proportionatis, sicut in sibi similibus; quia igitur pulchrum spectat ad potentiam cognoscitivam, & cognitio quælibet fit per assimilationem, & similitudo spectat ad formam, hinc fit

sit quod pulchrum habet rationem causæ formalis. Ad formam igitur argumenti dicitur ad minorem, quòd bonum, & pulchrum sunt idem subjecto, sed non secundum rationem, & ideò non sequitur, quod si unum habeat rationem causæ formalis, quod alterum eandem rationem habeat.

Arg. 2. Quod est diffusivum habet rationem causæ efficientis, & non finalis: sed bonum est diffusivum, ut Dionysius dicit: ergo bonum habet rationem causæ efficientis, & non finalis. Maj. prob. Quia diffundere est agere. 6.

Resp. ad Maj. & ejus prob. Quod esse diffusivum effective spectat ad causam efficientem; esse verò diffusivum ut finis, spectat ad causam finalem. Bonum est diffusivum ut finis non ut efficiens. 7.

Arg. 3. Inquantum Deus bonus est, sumus, inquit August. *lib. 1. de doctr. Christ.* sed sumus à Deo ut à causa efficiente: ergo bonum habet rationem causæ efficientis. 8.

Resp. ad min. Quod Deus est non solum causa efficiens creaturarum, sed etiam finalis, Verba Augustini referenda sunt ad Deum, ut est causa finalis. 9.

Arg. 4. contra illam propositionem à D. Thoma in corp. assumptam, nimirum: *Id quod est primum in causando, ultimum est in causato*; Vltimus omnium finis, qui est bonitas divina, est primum in causando, sed tamen non est ultimum, sed primum in essendo: ergo hæc propositio veritatem non continet. Maj. patet, nam quidquid Deus agit, propter suam bonitatem agit. 10.

Conf. nam etiam forma ignis, quem D. Thomas 11.

mas in exemplum adduxit, non solùm est primum in essendo, sed etiam in causando: ergo propositio illa assumpta non continet veritatem. Prob. antec. nam prius forma ignis causat formaliter ignem, sive causantem, sive causatum, quam calor effectivè calefaciat. Et simile est in omnibus, semper enim forma prævenit & in esse, & in causalitate formali.

12. Resp. supponendo ex D. Thom. *quodlib.* 5. *art.* 19. quod quamvis sint quatuor causæ, tres tamen earum scil. formalis, efficiens & finalis in idem concurrunt. Vnde relinquitur quod ordo naturæ sit duplex; unus quidem secundùm rationem causæ materialis; secundùm quòd imperfectum est prius perfecto, & potentia actu, via generationis, & fiendi. Alius autem ordo naturæ est secundùm rationem aliarum trium causarum, secundùm quam perfectum est prius imperfecto, & actus potentia. Cum ergo dicitur quod primum in causando, ultimum est in causato, sensum reddit, quod primum via perfectionis & intentionis, est ultimum in causato, viâ scil. generationis, fiendi, & executionis, secundùm quòd accipit esse in mobili sive subjecto quod causatur; v.g. in generatione unius particularis hominis in naturali subjecto primò invenitur esse; deinde invenitur vivum, seu animal, postmodum autem homo, ut ex Arist. 2. *de generat. animal.* docet Divus Thomas *lib. de causis lect.*1. in ipso homine via fiendi & generationis prius invenitur natura speciei secundùm esse substantiale perfecta, quam secundùm virtutem, & operationem, secundum quam est in actu perfecto simpliciter, ut dictum est *quæst. præced.* Sed in causando primò

primò occurrit via perfectionis & intentionis ipse homo habens esse perfectum & in actu secundum quod potest sibi simile generare.

His suppositis ad argum. respondetur, quod divina bonitas, quæ est primum in causando respectu Dei, & in cujus virtute cætera agunt, primum, inquam, via perfectionis & intentionis, est ultimum in quolibet causato via generationis & fiendi; nam esse, quod est proprius effectus Dei, via generationis est ultimum, secundùm determinationem ejus in mobili, cum sit actus ultimus omnis formæ & perfectionis ut alibi fusius explicabitur. Ex quibus ad conf. patet. dist. antec. forma ignis est prima in causando, secundùm se, seu ut dat esse specificum, nego: ut est diffusa super mobile mediante virtute sua & operatione, nimirum calore & calefactione, ad introducendum sui similitudinem in illo concedo; sic autem habet rationem finis, & primi in causando via perfectionis, & intentionis. 13.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum ratio boni consistat in modo, specie, & ordine.



ONCLVSIO, Ratio boni consistit in modo, specie, & ordine. Probat S. D. *in sed contra* ex D. Augustino lib. de natura boni dicente; Hæc tria modus, species, & ordo tanquam generalia bona, sunt in rebus à Deo factis, & ita hæc 1.

tria ubi magna sunt, magna bona sunt, & ubi parva, parva bona sunt, ubi nulla, nullum bonum est, quod non esset nisi ratio boni in eis consisteret: ergo ratio boni consistit in modo, specie, & ordine.

2. Deinde probat S. D. *in corp.* In his, in quibus consistit ratio perfecti, in iisdem consistit ratio boni: Sed in his tribus, scilicet modo, specie, & ordine consistit ratio perfecti: ergo in iisdem consistit ratio boni. Maj. prob. Quia unumquodque dicitur bonum, & est appetibile, inquantum est perfectum. Min. prob. Quia cum perfectum illud dicatur cui nihil deest, secundum modum suæ perfectionis, ad hoc ut aliquid perfectum sit, tria necessariò requiruntur. Primò requiritur forma, per quam in esse constituatur, & quia per formam unumquodque reponitur in determinata specie, ideò forma dicitur species. Et quia species sunt sicuti numeri, ut Aristot. dicit 8. *Met.* (rationem assignans, quia sicut unitas addita, vel subtracta, variat speciem numeri) ita in definitionibus, differentia addita, vel subtracta variat speciem, propterea forma dicitur etiam numerus, & ideò dicebat Augustinus quod numerus speciem præbet. Forma autem aliquid præsupponit antequam intelligatur recepta in materia, & aliquid ad eam consequitur, quando jam est recepta. Id quod præsupponit, est commensuratio sui ad principia materialia, & ad principium efficiens. Non enim quælibet forma recipitur in qualibet materia, nec indifferenter à quolibet agente producitur; & hæc commensuratio dicitur modus, sive mensura, & Augustinus dicebat; Mensura modum præfigit. Ad formam

formam jam receptam in materia, sequitur inclinatio ad finem, vel ad operationem. Vnumquodque enim inquantum est actu, agit, & tendit in id, quod sibi convenit, ratione suæ formæ, & hæc inclinatio dicitur ordo, vel pondus, de quo ait idem Augustinus, quòd pondus omnem rem, ad quietem, & stabilitatem trahit, & hoc est tertium, quod requiritur ad hoc, ut aliquid perfectum esse dicatur, & sic patet quod modus, species, & ordo sunt ratione perfecti, & per consequens de ratione boni.

Arg. 1. Ea quæ spectant ad rationem entis, 2.
non sunt attribuenda rationi boni; sed modus species, & ordo spectant ad rationem entis: ergo non sunt attribuenda rationi boni; Maj. prob. Quia ens, & bonum distinguuntur secundum rationem, & ideo quod attribuitur rationi unius, non debet attribui rationi alterius. Min. patet. Quia Augustinus attribuit hæc tria, scilicet modum, speciem, & ordinem, rei quæ eadem est quod ens, & non bono, ut patet ex ejus verbis. Inquit enim 4. super Genes. ad lit. quod mensura (quæ idem est quod modus) omni rei modum præfigit. Humerus (qui est idem quod species) omni rei speciem præbet, & pondus (quod idem est quod ordo) omnem rem ad quietem, & stabilitatem trahit. Ex quibus patet quod hæc tria, non bono, sed rei, attribuuntur. Non enim dicit August. quod mensura omni bono modum præfigat, sed omni rei, & sic de aliis: ergo &c.

Resp. neg. min. Ad prob. dicimus. Quod illa 3.
tria attribuuntur enti, non ut à bono secundum rationem distinguitur, sed prout idem est,

quod bonum, & perfectum, enti enim non conveniunt illa tria, nisi prout est bonum, & perfectum, & hac ratione illa tria attribuuntur rei ab Augustino.

4. Arg. 2. Si ratio boni consistit in modo, specie, & ordine proceditur in infinitum in modis, speciebus, & ordinibus, quod est inconveniens. Conseq. manifestatur. Quia modus, species, & ordo sunt quædam bona: ergo modus habebit modum, speciem, & ordinem, & idem dicitur de ordine, quæ cum iterum sint bona quædam, procedetur in infinitum.

5. Resp. neg. conseq. Ad prob. dicitur. Quod aliquid potest dici bonum dupliciter. Vno modo ut quod, & bonum hoc habet modum, speciem, & ordinem. Aliquid verò est bonum ut quo, & hoc propriè non debet dici bonum, sed quo aliquid est bonum, & tale bonum non habet alium modum, speciem, & ordinem: species igitur, modus, & ordo dicuntur bona, non ut quæ, sed ut quibus. Et ideò non est necesse, ut habeant alium modum, speciem, & ordinem, nec proceditur in infinitum.

6. Arg. 3. Quandocunque aliqua duo sic se habent, quod unum illorum potest esse absque altero, illud non est de ratione alterius; sed bonum potest esse absque modo, specie, & ordine: ergo hæc tria non sunt de ratione boni. Min. prob. In malo non sunt modus, species, & ordo, cum malum sit privatio horum trium; sed in malo est aliquod bonum, cum malum non tollat totaliter bonum: ergo bonum potest esse absque modo, specie, & ordine.

7. Respond. negand. minor. Ad prob. dicimus. Quod unam & eandem rem contingit habere

bere plura esse, sicut & plures formas, per quas dantur illa plura esse, sicut homo habet esse hominis per formam substantialem, quæ est anima, esse videntis, per virtutem visivam, esse albi per albedinem, & sic de aliis, & unumquodque horum consequuntur modus species, & ordo. Vnde homo secundum quod habet esse hominis, habet proprium modum, speciem, & ordinem; secundum quod habet esse scientis vel videntis, habet alium modum speciem, & ordinem. Malum autem adveniens privat aliquo horum esse, sicut malum, quod est cœcitas, privat esse videntis, & ideò privat etiam modo, specie, & ordine, quæ consequuntur illud esse, sive formam, quæ per malum tollitur, non autem tollitur omne bonum, nec omnis modus, species, & ordo. Ex quibus patet quod malum eo modo, quo malum est privatio boni, est etiam privatio modi, speciei, & ordinis illius boni; & sicut malum non tollit omne bonum, nec etiam tollit omnem modum, speciem & ordinem, & quod ubi remanet bonum remanent etiam ista tria.

Argument. 4. Ratio boni non potest consistere in his, quæ possunt dici mala; sed modus, species, & ordo possunt dici mala: ergo in his non consistit ratio boni. Min. prob. Quia dicimus malum modum, malam speciem, & malum ordinem. 8.

Respond. ad minor. Quod illa tria per se semper bona sunt, ut dicit Augustinus in lib. de nat. boni, omnis enim modus, inquantum modus, bonus est, & sic potest dici de 9.

ſpecie , & ordine , per accidens autem poſſunt dici mala , vel quia ſunt minora quam eſſe debeant, vel quia non ſunt accommodata his rebus , quibus ſunt accommodanda , vel quia ſunt aliena , & incongrua. In forma igitur dicitur ad majorem argumenti quod ea, in quibus conſiſtit ratio boni, non poſſunt dici mala per ſe, per accidens autem non eſt inconveniens, & ad minorem quod iſta tria dicuntur per accidens mala.

10. Argument. 5. Quæ ſunt de ratione boni, debent omni bono convenire ; ſed modus, ſpecies , & ordo non conveniunt omni bono : ergo modus , ſpecies , & ordo non ſunt de ratione boni. Min. prob. Quia lux , quæ eſt quoddam bonum eſt creata ſecundum Ambroſium lib. 1. exam. cap.9. abſque numero, pondere, & menſura ad quæ tria reducuntur modus, ſpecies, & ordo.

11. Reſp. neg.min. Ad prob. dicimus. Quod lux non dicitur abſque modo, ſpecie , & ordine creata ſimpliciter, ſed comparativè per reſpectum ad alia corporalia , quia ſcilicet virtus ejus ſe extendit ad omnia corporalia cum ſit qualitas activa primi corporis alterantis, ſcilicet primi cœli, & propterea dicitur abſque modo, ſpecie, & ordine, quatenus ſcilicet non eſt virtus determinata reſpectu corporalium.

ARTICV



ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum convenienter dividatur bonum per honestum, utile, & delectabile.



CONCLVSIO. Bonum non solùm humanum, sed inquantum bonum communiter dividitur per utile, honestum,& delectabile. Probat 1.S.D. authoritate D. Ambrosii *lib.*1. *de officiis* utentis ista divisione. 1.

Deinde prob. *in corp.* sicut se habet terminus motus corporis naturalis ad ipsum naturalem motum, sic se habet bonum, & appetibile ad motum ipsius appetitus : sed terminus motus corporis naturalis dividitur per ea, quæ sunt proportionabilia utili, honesto, & delectabili : ergo terminus motus appetitus, qui est ipsum bonum, convenienter dividitur per honestum, utile, & delectabile. Maj. prob. Quia appetitus est quidam motus, cujus terminus est appetibile & bonum. 2.

Minor declaratur. Terminus motus corporis naturalis est duplex, quidam dicitur terminus secundum quid, & sic media, quibus ad ultimùm terminum percipitur, dicuntur termini motus, quia terminant aliquam partem motus : quidam verò dicitur terminus motus simpliciter, & hic est terminus ad quem ultimatè pervenitur per motum, qui terminus potest dupliciter accipi, vel pro re ipsa, 3.

quæ acquiritur per motum, puta loco, forma, vel quantitate, vel pro parte, quam mobile habet in illo termino. Similiter in motu appetitus, est terminus secundum quid, & sic media, quibus appetitus consequitur finem ultimatè appetitum, dicuntur termini, & vocantur bona utilia, est etiam terminus simpliciter in motu appetitus, & est ille, ad quem appetitus ultimo pervenit. In quo termino duo possunt considerari, scilicet res ipsa bona, quæ terminat motum appetitus, & talis res vocatur bonum honestum; & causa, qua appetitus in ea quiescit, & hoc dicitur bonum delectabile, & sic patet minor.

4. Argument. 1. Id quod dividitur in decem prædicamenta, non convenienter dividitur per ea, quæ possunt inveniri in uno prædicamento: sed bonum dividitur in decem prædicamenta, ut dicitur 1. *ethic.* & honestum, utile, & delectabile possunt inveniri in eodem prædicamento: ergo bonum non convenienter dividitur per honestum, utile, & delectabile.

5. Respond. ad min. Quod bonum dupliciter potest considerari. Primò prout est idem secundum rem cum ente. Secundò prout differt ab eo secundum rationem. Primo modo consideratum dividitur in decem prædicamenta: Secundo verò dividitur per honestum, utile, & delectabile.

6. Argum. 2. Omnis divisio fit per opposita: sed honestum utile, & delectabile non sunt opposita; ut Tullius dicit: ergo hæc non est conveniens

conveniens divisio. Min. prob. Quia honesta sunt delectabilia, & utilia.

Respond. dicendo ad maj. Quod divisionem esse per membra opposita dupliciter potest intelligi, vel quod sit per oppositas res; vel per oppositas rationes. Non est necesse, quod omnis divisio sit per oppositas res, sed sufficit, ut fiat per oppositas rationes. Tunc ad minorem dicitur, quod divisio boni per honestum, & utile, & delectabile, non est per oppositas res, sed per oppositas rationes. Nam delectabile est illud quod est appetibile propter delectationem tantum quod aliquando potest esse inutile, & inhonestum. Vtile verò est, quod non habet ex se unde appetatur, sed solùm appetitur, ut ducens ad aliud, ut est sumptio amaræ medicinæ. Honestum verò dicitur illud, quod ex seipso habet, unde appetatur, ex quibus patet inter has rationes esse aliquam oppositionem. 7.

Argum. 3. Illa divisio, in qua divisum prædicatur de uno membro dividente propter aliud, non est conveniens: sed bonum non æqualiter prædicatur de his tribus, sed de uno prædicatur, per respectum ad aliud: ergo hæc non est conveniens divisio. Major probatur: Quia ubi unum propter alterum, ibi unum tantum est, & ideò si divisum prædicatur de uno per respectum ad alterum; illa non erunt duo, sed unum tantùm membrum. Minor patet. Quia utile non est bonum nisi propter honestum, & delectabile. 8.

Respond.

9. Respond. Quod major est vera quando divisum est univocum. Si autem divisio sit analogi in analogata est falsa, nam analogum prædicatur de uno analogato in ordine ad alterum. Bonum igitur prout dividitur per illa tria est quoddam analogum, & de his tribus prædicatur per prius, & posterius. Per prius enim prædicatur de honesto, secundario de delectabili, tertio de utili.



QVÆSTIO



QVÆSTIO SEXTA,

De Bonitate Dei.



EINDE quærendum est de bonitate ipsius Dei, postquam videlicet de esse, & Majestate, seu perfectione disputatum est; quia ut ritè Seneca epist. 95. Primus Dei cultus est Deum credere; deinde addere illi majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est.



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum esse bonum Deo conveniat.



ONCLVSIO est affirmativa; Et ita nota ut Synesius orat. de regno, hæc protulerit; *Licet nullum nomen inventum sit, quod Dei naturam assequeretur, & ab ea exprimenda aberrantes homines, per ea quæ ab illa fiebant, ipsum Deum attingere conarentur, bonum tamen Deum omnes tam sapientes, quam imperiti ubique celebrarunt, idque universi mutuo consensu atque una voce sunt professi.* Immò Tertullianus lib. 1. cont. Marcionem ait: *Deus de sola bonitate censendus:* quasi totius divinitatis census sit bonitas, & divini I.

divini ærarij pretiosissimus thesaurus. Plurima sunt Sacræ Scripturæ testimonia, quæ eam demonstrant. Probat S. D. *in sed contra* ex illo Thren.c.3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

2. Deinde probat *in corp.* Deum esse præcipuè bonum, hac ratione: Bonum aliquid est secundùm quod est appetibile;sed Deo præcipuè competit esse appetibilem, seu appeti ab omnibus: ergo Deo convenit esse præcipuè bonum. Prob. min. illi præcipuè competit esse maximè appetibilem, seu ab omnibus appeti, à quo omnes bonitates desideratæ effluunt; sed omnes perfectiones desideratæ effluunt à Deo sicut à prima causa dante omnibus esse actu, & ordinationem ad finem ultimum,qui est ipsemet Deus, seu Dei bonitas: ergo Deo præcipuè competit ab omnibus appeti. Prob. maj. Vnumquodque appetit suam propriam perfectionem: sed perfectio & forma effectus est similitudo quædam agentis, cum omne agens agat sibi simile: ergo omnia desiderant similitudinem primi agentis participare, à quo omnes bonitates, & perfectiones effluunt.Vnde finis omnium rerum est ut similitudinem primi boni, scil. Dei quodammodo participent.

3. Pro pleniori intelligentia notandum est ex S. D. *quæst.* 22. *de verit. art.*2. quòd causa secunda in suum effectum non potest influere nisi inquantum recipit virtutum primæ causæ. Sicut autem influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, & desiderari. Et ideo quemadmodum secundarium agens non agit, nisi per virtutem primi agentis existentem in eo; ita secundàrius finis non appetitur, nisi per

per virtutem finis principalis in eo existentem, prout scil. est ordinatum in illud & habet similitudinem ejus. Et ideo sicut Deus propter hoc quod est primum efficiens agit in omni agente; ita propter hoc quod est ultimus finis appetitur in omni fine. Vnde præcipuè ei competit esse bonum & appetibilem ab omnibus, inquantum nihil appetibilis rationem habet, nisi per similitudinem primæ bonitatis. Et quia ipsum esse est proprius Dei effectus, & subinde similitudo divinæ bonitatis, inde est quod omnia desiderant esse. Sed cum hoc discrimine quod sola creatura rationalis potest Deum explicitè desiderare, cætera verò implicitè duntaxat appetunt, inquantum ejus similitudinem desiderant. Hinc D. August. dicit in *lib. soliloq.* quod Deum diligit quidquid deligere potest.

Argument. 1. Ratio boni consistit in modo, specie & ordine; sed hæc non videntur Deo convenire: igitur esse bonum non convenit Deo. Minor. patet, nam Deus est immensus, & ad nihil ordinatur quasi indigens ipso. 4.

Respond. Sanct. Doct. quod habere modum speciem, & ordinem, ad rationem boni causati pertinet: Deus autem non est bonum causatum, sed omnium bonorum causa: ea propter ad ipsum pertinet, non quidem habere, sed imponere aliis speciem, modum, & ordinem. Vnde dist. min. non videntur hæc Deo convenire sicut causæ, nego; sicut causato, concedo. 5.

Argument. 2. bonum est quod omnia appetunt: sed Deum non omnia appetunt: ergo esse 6.

esse bonum non convenit Deo. Prob. minor. nihil appetitur nisi cognitum, seu notum; Deum non omnia cognoscunt: ergo non omnia appetunt.

7. Hic & q.22.de verit.a.2. & infra q.44.a.4. Respond. ex Sanct. Doct. negand. minor. ad probat. distinct. major. nihil appetitur nisi cognitum sive notum, si appetens sit quodammodo directivum sui in finem, concedo: si sit solummodo ab alio directum, nego. Itaque appetendo proprias perfectiones omnia ipsum Deum naturaliter appetunt saltim implicitè, inquantum perfectiones omnium rerum sunt quædam similitudines divini esse: sed cum hoc discrimine, quod creatura rationalis, cum sit capax cognoscendi Deum secundùm se, explicitè appetere potest illum, secundarios fines in eum ordinando. Sed creaturæ cognoscitivæ sensibiles, cum non sint capaces Dei in se, cognoscunt eum implicitè duntaxat, quatenus quasdam participationes suæ bonitatis repertas in omni appetibili, quod ipsæ cognoscendo appetunt. Inaninimata autem, & omnino non cognoscentia appetitu naturali absque ulla prorsus à propria cognitione finis appetunt Deum; licet præsupponant cognitionem superioris agentis inclinantis & ordinantis ea in finem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum sit summum bonum.


OTA quòd summum comparativè seu per habitudinem ad alia dicitur; sicut summum calidum ad omnia calida per excessum omnium eorum. Vnde sensus est, utrum Deus ad alia bona quælibet comparatus, per excessum ad illa se habeat, itaut sit maximum, & optimum bonorum, cui in bonitate nihil æquari possit, aut aliquo modo ipsum excedere: & sit optimum non modò in aliquo bonitatis vel perfectionis genere; v. g. virtutis, vel sapientiæ; sed etiam simpliciter & in omni genere. *Hic arg.2. & 3. cum sol.* 1.

Conclusio: Deus est summum bonum simpliciter, & non solùm in aliquo genere, vel ordine rerum. Quod imprimis patet ex illis Scripturæ locis, ubi negatur esse aliquid, quod possit ullo modo cum Deo comparari ut Psal. 34. *Domine quis similis tibi?* Vbi Augustinus; *Domine quis similis tibi? terrena mihi ostenduntur, tu terra creator es. Et hinc fortè advertunt ad superiorem creaturam, & dicunt mihi, cole Lunam, cole istum Solem, quia luce sua tanquam magna lucerna de cœlo efficit Diem. Et hic planè dico, Domine quis similis tibi. Lunam & stellas tu fecisti, Solem diei tu accendisti, cœlum tu composuisti. Sunt multa invisibilia meliora. Sed fortè & hîc dicitur mihi, Angelos cole, angelos adora. Et hîc dicam, Domine quis similis tibi.* 2.

Et

Et ipsos angelos tu creasti. Nihil sunt angeli nisi videndo te. Melius est cum ipsis possidere te, quam ipsos adorando cadere à te.

3. Prob. S. D. in *sed contra*, ex D. Augustino lib.1.de Trinit. cap. 2. dicente, quod Trinitas divinarum Personarum est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. Ex quo *lib. de moribus Eccles.* ad Dei amorem nos adhortatur, dicens; *Audivimus quid diligere, & quantùm diligere debeamus; eò est omnino tendendum, ad id omnia nostra consilia referenda. Bonorum summa nobis Deus est, Deus est summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est.*

4. Deinde prob. rat. Illud est summum bonum, & optimum bonorum, quod eminentissimo modo omnes bonitates, & perfectiones ab aliis desideratas, aut participatas in se continet: sed Deus eminentissimo modo continet omnes perfectiones, & nobilitates ab aliis desideratas, quæ ab ipso sicut à prima causa in eas effluunt: ergo est summum bonum. Prob. min. Omnes hujusmodi bonitates, & perfectiones à creaturis desideratæ, & ab eo effluentes, continentur in ipso sicut in causa æquivoca; sed quod sic continetur, est eminentiori modo, quam in effectu reperiatur: ergo continet eas eminentiori modo, quam à creaturis participentur. Minor patet ex differentia repertâ inter causam univocam, & æquivocam; nam similitudo effectus in causa univoca uniformiter invenitur; in causa autem æquivoca excellentiùs reperitur, sicut calor excellentiori modo est in sole, quam in igne. Vide supra dicta, *quæst.4. art.2.*

Arg.1.

Arg. 1. Deus est summè simplex; sed summè simplex nequit esse summum bonum: ergo Deus non est summum bonum. Prob.min. Quod est summè simplex nequit se habere ex additione, nam esset compositum ex eo quod additur, & seipso: sed summum bonum se habet ex additione, summum enim bonum addit aliquid supra bonum, ratione cujus ab eo distinguatur, aliàs omni bono conveniret: ergo summè simplex nequit esse summum bonum. 5.

Resp. neg. min. ad prob. dicimus. Quod cum dicitur Deus, summum bonum, ly *summum*, non addit aliquid reale supra bonum, sed solum relationem, & quia relatio, qua Deus refertur ad creaturas non significat aliquid reale in Deo, sed tantùm rationis (licet in creatura sit realis) sicut accidit in relatione, quæ est in scibili respectu scientiæ, quæ relatio in scientia est realis, & in scibili est rationis; ideò non oportet quod in Deo significetur aliqua compositio, cum dicitur summum bonum, sed hoc tantùm denotatur, quod creaturæ Deo comparatæ in bonitate, inveniuntur deficientes. 6.

Arg. 2. bonum est, quod omnia appetunt: sed nihil aliud est quod omnia appetant, nisi solus Deus, qui est finis omnium; ergo nihil est aliud bonum, nisi Deus. Quod etiam videtur per id, quod dicitur Matth. 19. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Ergo non est summum bonum. Conseq. prob. summum dicitur per comparationem ad alia, sicut dicitur summum calidum per comparationem ad alia quæ sunt calida: ergo si nihil aliud est bonum nisi ipse, summum bonum non erit. 7.

Resp. S. D. quòd dum dicimus bonum esse 8.

quod omnia appetunt, non est intelligendum quasi quod omne bonum ab omnibus appetatur, sic enim intellectum, hoc dictum est falsum, quia multa sunt bona, quæ ab aliquibus non appetuntur, sed est intelligendum, quod nihil appetitur nisi sub ratione boni, & est sensus, quod omnia appetunt, quæ appetunt inquantum sunt bona. Ad prob. dicimus quod authoritas illa intelligenda est de bono per essentiam, scilicet quod nemo est bonus per essentiam, nisi solus Deus, cum hoc tamen stat, quod alia sunt bona per participationem.

9. Arg. 3. Quod est summum bonum, est aliis comparabile; sed Deus nulli rei est comparabilis: Ergo Deus non est summum bonum. Maj. patet. Quia summum quandam comparationem importat. Minor verò prob. Ea quæ sunt comparabilia debent esse in eodem genere; Nam ea quæ sunt in diversis generibus non possunt adinvicem comparari, ut patet de linea, & de dulcedine quæ quia sunt diversi generis, non possunt comparari ad invicem; sed Deus, & creaturæ non sunt in eodem genere, cum Deus in nullo genere contineatur: Ergo Deus nulli est comparabilis.

10. Resp. neg. min. Ad prob. dicimus: Ad majorem quod aliqua duo non esse, in eodem genere potest dupliciter accidere: Primò quod utrumque ipsorum sit contentum in genere, & hoc modo linea & dulcedo sunt diversorum generum, linea enim continetur in genere quantitatis, & dulcedo qualitatis. Alio modo aliqua possunt non esse in eodem genere sic, ut unum ipsorum sit contentum in aliquo genere, aliud verò in nullo genere contineatur. Tunc

dicitur

dicitur ad argumentum, quod ea quæ sunt diversorum generum primo modo, non sunt comparabilia, ut benè dictum est de linea, & dulcedine, quæ verò non sunt ejusdem generis secundo modo, sunt comparabilia, Deus, & creatura non sunt ejusdem generis secundo modo; creatura enim omnis est contenta in aliquo determinato genere: Deus verò est principium omnium generum, extra genus existens, & sic comparatur ad alia per excessum, & hoc est dici summum bonum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei.

PROPRIVM sumitur hìc prout denotat id quod soli convenit, & distinguitur ab eo quod pluribus naturis seu subjectis commune est. Vnde ly *proprium* reddit hunc sensum, utrum solus Deus sit bonus per essentiam, itaut nullum aliud præter ipsum, sit per essentiam bonum. Patet *in corp. art.* ly *per essentiam*, accipitur hìc, prout opponitur ei quod est per participationem convenire. Participare autem dicitur, quasi partem capere. Vnde participativè aliquid est tale, quia non universaliter sed partialiter, nec per se, sed ab alio acceptum. Econtra autem, quod per essentiam convenit, per se convenit, & non inest aliunde susceptum, & universaliter non partialiter. Vnde sensus est utrum hoc quod est esse bonum, Deus universaliter & ex 1.

se habeat, & nullo modo ab alio participet, aut cum aliqua bonitatis diminutione.

2. Conclusio : Solus Deus est bonus per suam essentiam. Sumitur ex D. August. in psal. 117. dicente : *Non potuit laus ejus breviùs explicari, quam ut diceretur, quoniam bonus est. Quid sit grandius ista brevitate non video, cum ita sit proprium Deo, quod bonus est, ut à quodam compellatus ipse filius Dei, cum audisset, Magister bone, ab eo scil. qui carnem ejus intuens, & divinitatis ejus plenitudinem non intelligens, solùm hominem arbitrabatur, responderet: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus. Quod quid est aliud dicere, quam si me bonum vis appellare, intellige & Deum.* Et Gloss. explicans illud Marci 10. *Quid me dicis bonum* (comparatione, inquit, Dei) *nemo bonus nisi solus Deus:* Qui solus bonus ex se, alii per ipsum. Idem habet Beda ibid. & communiter Patres. Audiendus Tertullianus lib. cont. Marcionem, dicens : *Bonus naturâ solus Deus, qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud. Bonitas Dei est ratio ejus, neque enim ratio sine bonitate est ratio, nec bonitas sine ratione bonitas, nisi fortè penes Deum Marcionis irrationabiliter bonum. Ex seipso bonus, ex nobis justus &c.*

3. Probat S. D. *in corp.* Vnumquodque dicitur bonum secundùm quod perfectum est; sed soli Deo per essentiam convenit omnis & omnimoda perfectio, quæ rebus competere potest: ergo solus Deus est per essentiam bonus. Prob. minor, perfectio alicujus rei triplex est. Prima quidem, secundùm quod in suo esse constituitur. Secunda, prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria,

necessaria, cujusmodi sunt potentiæ, habitus, & virtutes. Tertia verò perfectio alicujus est per hoc, quòd aliquid aliud attingit sicut finem, per cujus adeptionem, & conjunctionem ad ipsum perficitur; sed nulla ex his perfectionibus ex se & per essentiam alicui creaturæ competit, sed soli Deo: ergo soli Deo per essentiam competit omnis & omnimoda perfectio, quæ creaturis competere potest. Majorem declarat in igne, cujus prima perfectio in esse illius substantiali consistit, seu in esse quod per formam substantialem habet. Secunda ipsius perfectio in caliditate, levitate, siccitate, subtilitate, & aliis hujusmodi qualitatibus seu virtutibus sita est. Tertia denique ejus perfectio est, secundum quod in proprio loco quiescit, & in eo conservatur, quod est finis ejus. Minor verò prob. de perfectione substantiali: illud dicitur habere suam perfectionem substantialem simpliciter, quod habet suam essentiam, seu formam ut actuatam suo esse, seu existentiâ simpliciter, & in re: sed soli Deo competit quod ex se, & per essentiam sit, omnis autem creatura, non ex se habet, sed à Deo participat esse; per hoc enim creatura dicitur, quod ab alio ipsa accipit, & deducitur in esse simpliciter, & actu: ergo soli Deo per essentiam convenit quod sit substantialiter perfectus. Maj. prob. quia ante actualitatem existentiæ in re & simpliciter, ipsa res solum erat in potentia objectiva, seu activa suæ causæ; quod autem habet esse in potentia duntaxat, secundùm quid est, & non simpliciter, unde non verificatur de eo quod sit absolutè & sine addito, sed cum termino diminuente, nimirum, est

ſeu exiſtit in potentia: ergo cum aliquid intantum ſit perfectum, inquantum eſt actu, nequit habere aliquid ſuam perfectionem ſubſtantialem & primam, niſi habeat eſſentiam ut actuatam in re ſuo eſſe, quod equidem non perficit ut forma dans ſpeciem, ſed ut actualitas ejus, ac ſubinde ad eandem primam perfectionem rei ſpectans. De perfectione ſecunda probatur, quia Deus nullis accidentibus ad ſuam perfectam neceſſariis operationem perfici indiget: ſed nulla creatura eſt, quæ ad operandum hujuſmodi accidentibus perfici non indigeat, cum nulla ſit ex ſe immediatè per ſuam ſubſtantiam operativa: ergo ſoli Deo per eſſentiam hæc ſecunda perfectio competit. Maj. ex dictis ſupra q.3. art.6. patet: Nam Deo nulla inſunt vel adveniunt accidentia, ſed quæ de aliis dicuntur accidentaliter, ipſi eſſentialiter conveniunt, ut eſſe potentem, ſapientem, & ejuſmodi. Minor probata eſt à nobis diffusè *tom.3. clypei philoſ. q.8. phyſ. art.8.* vide ibi.

4. De tertia tandem perfectione prob. Deus, cum ſit ultimus finis & eſſentialiter ſua bonitas, ad nullum alium finem ordinari poteſt, per cujus adeptionem & conjunctionem ad illum perfici poſſit: ſed hoc nulli alteri competere poteſt; ergo perfectio finis nulli alteri quam Deo ex ſe & per eſſentiam competere poteſt. Prob. min. nullus finis ſecundarius habet habitudinem vel rationem finis moventis, & ſua bonitate allicientis appetitum niſi ſecundum ordinem ad primam cauſam; quia cauſa ſecunda non influit in ſuum cauſatum, niſi præſuppoſito influxu primæ cauſæ: ergo bonum prout habet rationem finis moventis, vel quietantis

quietantis appetitum, non potest dici de creatura, nisi præsupposito ordine creatoris ad creaturam: sed quod habet rationem boni præsupposito aliquo, non habet rationem boni per seipsum: ergo nulla creatura potest esse bona bonitate finis, per essentiam & ex se. Ex his infert S. D. q.21. de verit. art.5. c. fin. quod *dato, quod creatura esset ipsum suum esse sicut & Deus, adhuc tamen esse creaturæ non haberet rationem boni, nisi præsupposito ordine ad creatorem, & pro tanto adhuc diceretur bona per participationem, & non absolutè* (hoc est bonitate ultima per rationem finis, qui habet simpliciter rationem boni, & cum eo convertitur.)

Argum. 1. quod est unum per essentiam, est etiam bonum per essentiam: sed omne ens est unum per essentiam: ergo omne ens est bonum per essentiam; ac subinde esse bonum per essentiam non est proprium Dei. Maj. prob. quia est eadem ratio de utroque, cum utrumque cum ente convertatur. 5.

Respond. S. D. quod non est eadem ratio de uno & bono. Vnum enim tantùm indivisionem importat, quæ cum sit privatio quædam nullam perfectionem dicit, & propter hoc indivisio essentialiter omni enti convenit. Entibus quidem simplicibus, quia sunt tam actu, quam potentiâ indivisa: compositis verò quia sunt indivisa actu, & divisa in potentia: Bonum autem secundùm suam rationem perfectionem importat; quæ rebus creatis per essentiam non convenit, sed per ipsum esse quod est participatum, & ab essentia cujuslibet creaturæ distinctum. Ad id verò quod additur, nimirum bonum converti cum ente, sicut & 6.

unum, dicitur quod convertuntur ſecundum rem, non autem ſecundum rationem.

7. Arg.2. quod eſt ens per eſſentiam eſt etiam bonum per eſſentiam; Sed quælibet res eſt ens per eſſentiam: ergo quælibet res eſt bona per eſſentiam. Maj. prob. Quia eſſe eſt proprium bonum uniuſcujuſque rei, cum omnia appetant ipſam eſſe.

8. Reſp. neg. min. Creatura enim non habet eſſe, nec bonitatem per eſſentiam, ſed utrumque habet ab eſſentia diſtinctum; eſſe enim exiſtentiæ cujuſlibet rei creatæ, per quod creaturis convenit eſſe bonum, eſt ab eorum eſſentia diſtinctum.

9. Arg.3. Si res creatæ non eſſent bonæ per eſſentiam ſequeretur proceſſus in infinitum in bonitatibus cujuſlibet rei; quod eſt inconveniens. Conſeq.prob. Nam ſi res non ſunt bonæ per eſſentiam, ſed per aliquid aliud ab eſſentia differens, illud aliud erit quoddam bonum; tunc aut illud erit bonum per aliquid diſtinctum à ſua eſſentia, vel non? Si per aliud iterum de illo quæritur, & ſic in infinitum. Si non: Ergo aliquid eſt bonum per eſſentiam præter Deum.

10. Reſp. neg. conſeq. Ad prob. dicimus quod aliquid poteſt dici bonum dupliciter. Primò ut quod. Secundò ut quo. Bonum ut quod creatum eſt bonum per aliud ab eſſentia diſtinctum, ſcilicet per eſſe vel per aliquid ſuperadditum ut dictum eſt. Bonum verò ut quo, non propriè poteſt dici bonum, ſed potiùs, quo aliquid eſt bonum. Et ideò non eſt neceſſe, ut aliquo alio ſit bonum. Concluſio intelligenda eſt de bono ut quod, & ſic nullus datur proceſſus in infinitum.

ARTICV

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum omnia sint bona bonitate divina?



NON est impræsentiarum difficultas, utrum omnia, quæ participativè sunt bona, scil. creata, à Deo bonitatem participent, sicut à prima causa efficiente: hoc enim constat, quoniam à primo bono est omne bonum, sicut à primo ente est omne ens. Vnde dicitur Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre Luminum.* Sed sermo est de bonitate divina sumpta in ratione causæ formaliter denominantis. Vnde sensus quæstionis est, an omnia denominativè sint bona bonitate divina, sicut albedine res est alba, loco locata, & scientia aliquis denominatur & est sciens. 1.

Duplex est denominatio: una intrinseca, & alia extrinseca; intrinseca desumitur à forma existente in ipso subjecto, & illi suum esse intrinsecè communicante; sicut corpus ab albedine denominatur, & est album. Extrinseca est quæ sumitur à forma, quæ equidem intrinsecè non inest, sed existit in alio tanquam in subjecto, tamen aliqua habitudo, signi, causæ, vel effectus ad ipsum subjectum denominatum, vel subjecti denominati ad ipsam formam denominantem importatur, sicut mina denominatur per habitudinem signi, & medicina per habitudinem causæ ad ipsam sanitatem intrinsecè in animali existentem. 2.

Notandum est ex D. Thom. *q. 21. de verit. art. 4.* 3.

art.4.c. quod aliqui existimantes Deum esse formam seu esse omnium rerum, consequenter asseruerunt omnem creaturam dici formaliter bonam bonitate divina, sicut forma inhærente, seu forma omni rei conjuncta. Platonici autem dixerunt, quod sint bona formaliter bonitate divina, non sicut forma conjuncta, sed ut forma separata. Cujus rei gratia sciendum est, quod Plato ea, quæ secundùm intellectum separari possunt, ponebat etiam secundùm esse separata; & ideo sicut homo potest intelligi præter Socratem & Platonem, ita ponebat hominem esse præter Socratem & Platonem, quem dicebat per se hominem & ideam hominis. Sicut autem constituebat ideam seu speciem hominis separatam omnibus hominibus communem, cujus participatione homines dicebantur: ita ponebat quoddam bonum esse separatum præter omnia bona, quod nuncupabat per se bonum, sive ideam cujus participatione omnia bona dicerentur, ut patet per Philosoph. 1. *Ethic.c.6.* Sed hoc discrimen inter ideam hominis, & ideam boni collocabat, quod idea hominis ad omnia se nō extenderet, bene verò idea boni. Atqui subinde asserebat quod ipsum per se bonum, esset universale rerum omnium principium: & quod hujusmodi bonitate prima omnia bona denominarentur; seu per participationem ejus bona dicerentur. Et quamvis hæc opinio irrationabilis videatur, quantum ad hoc quod constituit species rerum separatas, præsertim speciem boni; quia bonum non univocè dicitur de bonis, & in talibus non assignatur idea secundum Platonem; tamen in hoc à veritate, nec ab Aristotelis sententia discordat, quòd asserit à primo per essen-

tiam

tiam ente & bono unumquodque posse dici bonum & ens, inquantùm per modum cujusdam assimilationis, licet remotè ac deficienter participat ipsum. Quod si aliquando dissonare videatur, nonnisi verbis discrepat ab hac Aristotelis sententia.

Conclusio: Omnia sunt bona bonitate creata formaliter, ceu forma inhærente, bonitate verò increata & divina sicut forma exemplari, effectiva, & finali, non verò tanquam forma inhærente. Probat *in sed contra*: Omnia sunt bona inquantùm sunt entia, quia secundùm Augustin. inquantùm sumus boni sumus; sed non dicuntur omnia entia formaliter per esse divinum tanquam per formam intrinsecè inhærentem, sed per esse proprium: ergo non omnia bona sunt formaliter bona bonitate divina, sicut forma inhærente. Conf. secundùm Aug. 8. *de Trinit. c.*3. Omnia creata participatione boni bona sunt; sed participatio ipsius boni non est bonitas prima, ipsa enim est totalis, & perfecta bonitas: ergo non omnia sunt bonitate prima formaliter, *de verit. q.*21. *art.*4. 4.

Secunda pars prob. ex D. August. 8. *de Trinit. c.*3. *cit.* dicente; *Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc, & tolle illud: & vide ipsum bonum si potes; ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni*; sed unumquodque suo bono bonum est: ergo unumquodque est bonum ipso bono, quod est Deus; sed non sicut aliquâ formâ inhærente: ergo causaliter, & per assimilationem ad ipsum, sicut ad primum principium effectivum à quo sunt; quod est etiam finis ad quem omnia ordinantur; & forma ad quem omnia formantur. Vnde Boëtius *in lib. de hebdom.* ait 5.

quod

quod omnia dicuntur bona inquantùm ordi-
6. nantur ad Deum, nimirum ſicut ad finem. *Ibidem*

Arg. 1. quandocumque aliquid denominatur tale ex ſolo reſpectu ad alterum, non denominatur tale per aliquid ſibi formaliter inhærens, ſed per illud quod eſt extra ipſum, ad quod refertur; ſicut urina dicitur ſana ex hoc quod ſanitatem animalis ſignificet, ſeu ad eam ſigni habitudinem dicit: ſed omnis creatura dicitur bona per reſpectum ad primam bonitatem ſicut dictum eſt: ergo ipſa non denominatur formaliter bona ab aliqua bonitate ſibi formaliter inhærente, *q. cit. de verit. arg.* 2.

7. Reſp. S.D. *ibid.* quod dupliciter denominatur aliquid tale per reſpectum ad alterum. Vno modo quando ipſe reſpectus eſt cauſa denominationis; ſicut urina dicitur ſana per reſpectum ad ſanitatem; ratio enim ſani, ſecundùm quòd de urina prædicatur, eſt eſſe ſignum ſanitatis animalis, ſignum autem formaliter dicit reſpectum, & in talibus quod denominatur per reſpectum ad alterum, ab aliqua forma ſibi inhærente non denominatur, ſed ab aliquo extrinſeco ad quod refertur. Alio modo denominatur aliquid per reſpectum ad alterum, non tamen ita quod reſpectus ipſe ſit ratio denominationis, ſed cauſa illius reſpectus eſt ratio denominandi. Et in talibus fit denominatio ab aliquâ forma intrinſeca, fundante talem reſpectum, ſicut dicitur aliquis ſciens à ſcientia, quæ fundat reſpectum ad ipſum ſcibile. Vnde diſt.min.creatura dicitur bona per reſpectum ad primam bonitatem, itaut reſpectus ſit ratio denominandi ipſam bonam, nego: itaut cauſa illius reſpectus ſit ratio denominandi, concedo. Vnde formaliter

formaliter & intrinsecè dicitur bona, sicut & à scientia dicitur aliquis intrinsecè sciens.

8. Arg. 2. si creatura est bona bonitate aliqua inhærente, vel hujusmodi est bona alia bonitate, similiter sibi inhærente, vel non? si primum: ergo erit processus in infinitum, quod est impossibile; si secundùm: ergo jam aliqua bonitas creata erit, quæ seipsa sit bona, sed hoc non, quia sola prima veritas seipsa bona est: igitur creatura non est bona formaliter aliqua bonitate sibi inhærente.

9. Resp. S.D. *ibid.* quod aliter se habet in formis generalibus, & aliter in formis specialibus. In formis enim specialibus non recipitur prædicatio concreti de abstracto, ut dicatur albedo est alba, vel calor est calidus, ut patet per Dionysium 2. *c. de divinis nominibus.* Sed in formis generalibus hujusmodi prædicatio recipitur, dicimus enim quod essentia est ens, & bonitas est bona, & unitas una, & sic de aliis. Cujus ratio est, quia illud quod primò cadit in apprehensione intellectus est ens. Vnde oportet quod cuicunque apprehenso per intellectum, intellectus attribuat hoc quod est ens. Et ideò cum apprehendit essentiam alicujus entis dicit illam essentiam esse ens, & similiter unamquamque formam generalem, vel specialem, ut bonitas est ens, albedo est ens, & sic de aliis. Et quia quædam sunt, quæ communicant rationem entis inseparabiliter, ut unum, bonum, & hujusmodi, oportet quod hæc de quolibet apprehenso prædicentur eadem ratione qua ens, unde dicimus essentia est una, & bona, similiter unitas est una, & bona, ita de bonitate, & albedine, & qualibet forma generali, vel speciali. Sed album, quia est speciale, non

commu

communicat inseparabiliter rationem entis, unde potest apprehendi forma albedinis sine eo quod attribuatur ei esse album; idcirco non cogimur dicere, albedo est alba. Album enim uno modo dicitur: Ens autem, & unum, & bonum, & alia hujusmodi, quæ de quolibet apprehenso necesse est dici, multipliciter dicuntur. Aliquid enim dicitur ens, quia in se subsistit: aliquid quia est principium subsistendi, ut forma: aliquid quia est dispositio subsistentis, ut qualitas: aliquid quia est privatio dispositionis subsistentis, ut cæcitas.

10. Et ideò cum dicimus essentia est ens, si procedatur sic: ergo est aliquo ens vel se vel alio, processus non sequitur, quia non dicebatur hoc modo esse ens, sicut aliquid subsistens in esse suo est ens, sed sicut quo aliquid est; unde non oportet quærere quo ipsa essentia aliquo sit, sed quomodo aliquid alterum sit per essentiam. Similiter cum dicitur, bonitas bona non hoc modo dicitur bona, quasi in bonitate subsistens: sed hoc modo quo bonum dicimus illud quo aliquid ad bonum est. Et sic non oportet inquirere, utrum bonitas sit bona se bonitate, vel alia, sed utrum ipsa bonitate sit aliquid bonum quod sit alterum ab ipsa bonitate, sicut est in creaturis; vel quod sit idem cum ipsa bonitate, sicut est in Deo. *Ibidem.*


QVÆSTIO



QVÆSTIO SEPTIMA,

De Infinitate Dei.

P*OST considerationem* ***divinæ*** *perfectionis*, inquit S. **D.** ***considerandum est de ejus infinitate***, *& de ejus existentia in rebus : attribuitur enim Deo quod sit* ***ubique*** ***& in omnibus rebus***, ***inquantum est incircumscriptibilis***, ***& infinitus.***



ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Deus sit infinitus ?

SVMITVR hîc, ly *Deus*, pro naturâ divina in concreto, ut in re per se subsistens est, sub formali conceptu naturæ, & non sub conceptu alicujus attributi specialis; v. g. scientiæ, potentiæ, & similium : tum quia de his infra sermonem instituit; tum quia semel probato quod ejus essentia sit infinia, convincitur omnem ejus potentiam & virtutem infinitate gaudere, quia Deus essentialiter est sua potentia & virtus, & quidquid est in seipso. *D. Thom.* 1. *d.* 43. *art.* 1. *cap. fin.* 1.

Infinitum duplex est, scil. infinitum privativè, & negativè. Infinitum privativè dicitur quod 2.

1.dist.3. q.1.a.1. quodlib. 3.art.3. quod secundùm genus suum natum est habere finem, non habens : & hujusmodi infiniti ratio quantitati competit ; habet enim ipsa partem post partem in infinitum. Aliud est infinitum negativè, quod videlicet aliquo termino non finitur, sed secundum se caret fine unde limitetur. De infinito negativè agitur. Quod quidem infinitum dici potest & secundùm materiam, & secundùm formam. Dicitur enim aliquid infinitum ex eo quod non finitur : Finitur autem & materia per formam, inquantum materia, quæ est in potentia ad diversas species, ad unam earum determinatur per formam, nimirum specificam. Forma autem per materiam finitur, inquantum forma speciei, quæ nata est in pluribus individuis esse, secundùm quod in hac recipitur materia, ad unum eorum determinatur. Ea propter & materia sine forma habet quodammodo infiniti rationem, & pariter forma sine materia.

3. Vtroque modo aliquid esse infinitum dupliciter contingit : nimirum simpliciter & secundùm quid. Simpliciter infinitum dicitur, quod secundùm omnem sui rationem infinitum est, seu caret termino & fine. Secundum quid autem infinitum dicitur, quod secundùm aliquam dumtaxat sui rationem, non tamen secundùm omnem infinitum est, sed aliqua ex parte termino & fine concluditur : Sicut si daretur aliquod corpus infinitum secundum longitudinem, finitum autem secundùm latitudinem & profunditatem, esset infinitum secundùm quid : si autem secundùm omnem dimensionem, quæ nata est corpori convenire, termino & fine careret, esset simpliciter infinitum.

Hoc infinitum simpliciter duplex est, scilicet in aliquo duntaxat genere, ut corpus illud in genere quantitatis simpliciter infinitum esset: & extra omne genus, seu in omni genere, quod videlicet secundum omnem sui rationem sine & termino caret: Quod propriè secundùm essentiam infinitum dicitur. Et de hoc præsens quæstio procedit. 4.

Tandem in præsenti nomine materiæ intellige tam materiam primam secundùm se, quæ in potentia ad infinitas formas substantiales esse dicitur; quam materiam secundam, seu compositum, quod est in potentia ad infinitas formas accidentales, vel artificiales, ut signum ad infinitas figuras. Nomine autem formæ pariter intelligenda venit, tam forma substantialis, quæ est forma speciei; quam accidentalis, quæ est modus & dispositio quædam ipsius. 5.

Esto omnes Philosophi in varias de primo rerum principio sententias inierint, unanimiter tamen ipsos rationem infiniti primo attribuisse principio refert Aristoteles *lib.3. phys. text.30.* Et hoc rationabiliter, hoc est per probabilem rationem, considerantes ab hujusmodi principio res in infinitum effluere ac dimanare. Veruntamen sicut eorum nonnulli circa naturam primi principii errasse deprehenduntur, ita & circa modum infinitatis ipsius. Constituentes enim primum principium esse materiale quidpiam, puta aquam, aërem, ignem, vel medium quendam vaporem, consequenter materialem quandam infinitatem, quæ est infinitas secundùm quid, & in potentia, ipsi arrogarunt: aientes corpus aliquod infinitum esse rerum omnium principium. Alii autem primum principium 6.

simpliciter, quod est Deus, equidem corporeum non esse arbitrati sunt, attamen usurpantes finitum & infinitum, quatenus duntaxat passiones ipsius quantitatis sunt, quæ quidem quantitas molis in Deo locum habere non potest, ipsi tantummodo infinitatem secundùm quantitatis virtualis rationem attribuerunt, asserentes Deum idcirco infinitum esse, quia virtutem haberet infinitam, substantiam tamen in ratione essentiæ finitam; & sic à Sanctis eam videri, quod erroneum est. Ita refert D. Th. *in* 1. *dist*.43. *quæst. unica, art.* 1. *corp.* Fuit Deus quodammodo finitus Manichæo, ut constat ex D. August. *lib. cont. epist. fundament. cap*.8. *&* 9. Ipse enim cum suis, ut diximus supra, Deum esse quoddam corpus quadrum & immensum, ex tribus lateribus duntaxat immensum, sed ex uno latere tenebris claudebatur.

7. Conclusio D. Thomæ est; Deus est infinitus & perfectus: id est, Deus est infinitus secundùm essentiam, ut forma & actus perfectissimus, & non sicut materia, quæ est infinita secundùm quid & in potentia. Hæc conclusio est secundùm fidem certa, immò & naturali ratione nota. Constat ex Sacra Scriptura psal.144. ubi dicitur, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis* (seu valde) *& magnitudinis eique non est finis.* Vbi Augustinus: *Ideo dixit valde, quia magnitudinis ejus non est finis; ne fortè incipias velle laudare, & putes te laudando posse finire, cujus magnitudo finem non potest habere. Noli ergo te putare eum, cujus magnitudinis finis non est, sufficienter posse laudare. Nonne ergo melius est, ut quomodo ipse non finitur, nec laus ipsius finiatur? Illius magnitudo sine fine est, &*

tua laudatio sine fine sit. Hæc conclusio definita est *in cap. firmiter de summa Trinitate & fide catholica*, ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. eamque asserunt communiter Patres, ac nominatim D. Dionysius cap. 9. de divin. nom. dicens: *Magnus super omnem magnitudinem, omnem transiliens infinitatem.* D. Athanasius *in Symbolo.* Theodoretus *lib. divin. decret. cap. de Principio*, & *lib. 3. de curand. affect. prac.* D. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 4. adductus à D. Thoma in *sed contra*, D. Augustinus *lib. 3. contra Maximinum cap. 26.* & *lib. 8. de Trinit. cap. 3.* ubi Deum vocat, *omnis boni bonum,* id est, bonum infinitum & perfectum absque limite.

Probat S. D. ratione, quæ in hanc formam 8.
deduci potest; omnis forma speciei secundùm propriam rationem, si abstractè (id est, non esse in materia, seu supposito consideretur) infinitatem quandam habet, scil. quantùm ad individua illius speciei, ad quæ communis de se remanet; esto ex alia parte finita sit, inquantum ad speciem determinatur, unde est finita simpliciter, infinita tamen secundùm quid; sicut in albedine abstractè considerata & intellectâ ratio albedinis non est finita ad aliquod album in individuo, esto ratio coloris & ratio essendi in ea determinetur, & ad determinatam speciem contrahatur: sed illud quod est maximè formale omnium, id est, maximè irreceptum & de se illimitatum est ipsum esse, cum sit illimitatum non modò quoad individua, sed etiam quoad determinationem in certo gradu & specie: ergo illud esse absolutum, & omnino irreceptum, si in ea ponatur, erit omnino

infinitum, quia non finitur, nec finitione materiæ in individuis, nec finitione determinati gradus per contractionem formæ ad aliquam potentialitatem; sed tale esse est Deus: ergo Deus est simpliciter infinitus & perfectus. Prob. maj. ex eo dicitur aliquid infinitum, quod non est finitum: sed forma si abstractè consideretur, in propria ratione non est ad aliquid finita: ergo in sua ratione infinitatem habet, seu non est finita. Prob. minor, forma per materiam finitur, inquantùm forma in se considerata communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia in re & exercitè fit forma determinata hujus rei: ergo si abstractè consideretur, ejus ratio non est finita, sed infinitatem habet.

9. Confirmatur: illa substantia quæ non finitur neque finitione materiæ, neque finitione formæ & actus, est simpliciter secundum essentiam infinita: sed Deus est ens per se subsistens, quod non finitur neque finitione materiæ, seu potentiæ, neque finitione formæ seu actus: ergo est simpliciter infinitus, & perfectus. Major patet, quia in substantiis termini substantiales, seu essentiales sunt materia & forma: ergo ens per se subsistens, quod non finitur, neque finitione materiæ, neque finitione formæ remanet simpliciter infinitum, & perfectum. Minor verò ex dictis patet: quia Deus non constat materia, sed est omnino immaterialis & incorporeus; & est actus omnino illimitatus, non pertinens ad specialem gradum genericum, vel differentialem entis: quo pacto dixit D. Gregorius Nazianzenus, quod est *quoddam substantiæ pelagus infinitum.*

Scotus

Scotus innata D. Thomæ contradicendi prurigine laborans, & processum hujus rationis non advertens, eam redarguere conatur, primò: quia omnis forma priùs naturâ quam recipiatur in materia, est secundùm se in tali gradu entis; igitur finita vel infinita: non ergo finitur primò per respectum ad negationem alicujus extrinseci, putà materiæ, vel alterius cujuscunque. Secundò, quia sequeretur quod essentia Angeli esset infinita, quia est forma de se non receptibilis in materia. Nec valet, inquit, dicere, quod essentia Angeli finitur per suum esse, quia esse est posterius essentiâ in creaturis: ergo cum in illo priori sit irrecepta in materia, & subinde infinita, non potest finiri postea per ipsum esse. Tertiò, quia ex hoc solùm concluditur, quod Deus non sit finitus, seu coarctatus à materia, non tamen probatur quod sit infinitè perfectus, seu tanta perfectione pollens, ut omnes omnigenæ perfectionis limites excedat. 10.

Resp. processum rationis D. Thomæ optimum esse, ut ex deductione illius patet. Vnde ad primam Scoti instantiam breviter dico, quod illa forma est finita simpliciter & finitione formæ determinatæ ad speciem & gradum entis, ac subinde terminis essentiæ concluditur, & habet determinatum esse; infinita autem secundum quid, inquantum non est ad aliquam materiam, vel suppositum determinata. Ad 2. dico Angeli naturam esse simpliciter finitam, quia finita est finitione formæ ad certum gradum entis, & speciei determinatæ; infinita autem secundùm quid, quatenus non est in materia recepta. Ita D. Thomas art. seq. & alibi sæpe. Ad 3. dico quod rectè concluditur, esse infinitum simpli- 11.

citer ; quia si ex eo aliquid est infinitum, quia caret termino & fine : sicut ex eo capite est infinita forma abstractè considerata (nimirum infinitate secundum quid, seu secundùm aliquam rationem) quia caret materia per quam finiatur ; profectò si reperiatur aliqua essentia, quæ nulla ratione finiatur, neque finitione materiæ, neque finitione formæ determinatæ ad certam speciem, & gradum entis, rectè sequitur quod sit simpliciter, & secundum omnem rationem infinita; ejusmodi autem est essentia divina, quæ essentialiter est ipsum esse irreceptum, quod est actus omnis formæ, & non forma determinatæ rationis.

12. Arg. 1. omne infinitum est imperfectum, quia habet rationem partis & materiæ, ut dicitur 3. *Phys. text.* 66. sed Deus est perfectissimus : ergo non est infinitus. Resp. S. D. verum esse de infinito quod se tenet ex parte materiæ, non verò de infinito simpliciter ex parte actus & formæ.

13. Arg. 2. Finitum & infinitum conveniunt quantitati, secundùm Philos. 1. *Phys. text.* 15. sed in Deo non est quantitas, cum non sit corpus; igitur Deus non est infinitus. Resp. S. D. quod infinitum se tenens ex parte materiæ est equidem passio quantitatis, quia quantitas sequitur materiam, & respicit terminos suos, v. g. figuram & formam ; tale autem infinitum non attribuitur Deo, ut dictum est.

Arg. 3. quod ita est hîc quod non alibi, est finitum secundùm locum : ergo quod ita est hoc, quod non est aliud est finitum secundùm substantiam ; sed Deus est hoc, & non est aliud; non enim est lapis, aut lignum : ergo Deus non est infinitus secundùm substantiam.

Resp.

Resp. ex D.Th.dist.conseq. si habeat esse hoc & non aliud per aliquod principium determinativum sui esse, concedo: si habeat esse hoc & non aliud ex se, seu irreceptione sui esse, nego: quia sicut illud quod est hîc & non est alibi, habet locum à quo determinatur, & circumscribitur, ita debet habere substantia à quo finiatur, quod non habet, si ex se sit esse simpliciter irreceptum, quale est esse Dei, ut diximus. 15.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam.

SVMITVR hîc infinitum prout abstrahit ab infinito secundum quid & simpliciter. Dicitur autem infinitum secundùm essentiam, id est, secundum substantiam & naturam quâ constituitur, ut distinguitur substantia contra accidens communiter dictum. Et est quæstio de essentia in re, seu existente in aliquo ejus individuo, sumpta tam secundùm ea, quæ illi secundùm se, quam secundum ea quæ illi, quatenus existit in illo individuo, conveniunt. Vnde sensus difficultatis est, utrum possit aliquid præter Deum habere essentiam & naturam, quæ simpliciter essentiæ terminis non concludatur: qui sunt materia & forma speciei in rebus compositis, & esse participatum in substantiis spiritualibus. 1.

Conclusio: aliquid præter Deum potest esse infinitum secundum quid, sed non simpliciter, secundum substantiam seu essentiam. Quod non possit aliquid esse simpliciter per essentiam in- 2.

finitum, probat S. D. *in sed contra*, hac ratione: nullum infinitum per essentiam potest esse ex aliquo principio ipsius effectivo; sed omne quod est præter Deum est ex Deo tanquam primo principio effectivo: ergo nihil, quod est præter Deum, potest esse infinitum. Majorem probat authoritate Arist. *lib.3.Physic. text.30.* sed & ratione *in corpore art.* demonstratur: quod non est suum esse, sed participans esse, nequit esse simpliciter infinitum: sed nullius rei essentia, quæ creatur, est suum esse, sed à Deo participat esse, tanquam à principio effectivo: ergo nullum infinitum simpliciter & per essentiam potest esse ex aliquo principio effectivo. Major ex dictis patet, quia illud quod participat esse, jam limitat illud ad certam speciem; unde illud esse non est irreceptum simpliciter. Minor etiam est evidens, quia per hoc aliquid ab alio dicitur effici, quia suum esse ab illo participat.

3. Quod autem in rebus aliquid aliud possit secundum quid esse infinitum probat S. D. hac ratione: nam vel sermo est de infinito secundùm materiam, vel secundùm formam? sed quolibet ex his modis potest aliquid in hujusmodi rebus esse infinitum secundùm quid: igitur aliquid præter Deum potest secundum quid infinitum esse. Minor de infinito secundum materiam prob. quod est potentia ad infinita, est secundùm materiam infinitum; sed materia esto sit in re actu existens sub una forma substantiali, ac subinde determinata ad speciem, finitaque simpliciter, tamen est in potentia ad infinitas formas accidentales, v. g. lignum quod est per suam formam substantialem ad speciem determinatum, est in potentia ad infinitas figuras: ergo est secundum

cundum quid infinita. De infinito autem ſecundùm formam probatur eadem minor, dantur aliquæ formæ in materia irreceptæ, & per ſe ſubſiſtentes, ut Angeli; ſed iſtæ ſunt infinitæ ſecundùm quid: ergo poteſt dari infinitum ſecundum quid ex parte formæ. Minor prob. quia non finiuntur per materiam: ergo ex hac parte carent fine, ac ſubinde ſunt infinitæ, ſecundùm quid tamen, & non ſimpliciter, quia non ſunt ſuum eſſe, ſed eorum eſſe receptum, & ad terminatam naturam contractum; terminatam, inquam, ſecundùm ſpeciem, ſeu determinatum gradum entis.

Hæc concluſio ſicut certiſſima, ita & ab omnibus Theologis recepta. Tamen in aſſignanda divinæ infinitatis ratione, ſeu unde habet Deus quod per eſſentiam ſit ſimpliciter infinitus, non conveniunt. P. Vaſquez hic *diſp.25. cap.5.* ait, veram rationem infiniti ſecundum eſſentiam non aliam eſſe, quam non eſſe ab alio. Sed profectò dum vult modum explicandi S.Thomæ & Diſcipulorum ejus effugere, velit nolit, in eum incidit: Nam ideo Deus non eſt ab alio, quia non eſt participans eſſe, ſed ſuum eſſe, ſeu ens per eſſentiam, ac ſubinde ejus eſſe in alio non recipitur, aliàs illud eſſe eſſet participatum: igitur infinitatis hujuſmodi ratio tanquam ad primam ſui radicem reducenda eſt ad illud principium, quod Deus eſt ipſum eſſe ſimpliciter, quod eſt omnino irreceptum, & carens fine ac termino unde limitetur. Et profectò ſi ad authoritates Patrum, quas pro ſuæ ſententiæ confirmatione advertiſſet, id ipſum eum docuiſſent. Nam Dionyſius ſtatim ſubdit: *Magnitudo hæc & infinita eſt, & ſine quantitate, & ſine numero &c.* 4.

Quæ

Quæ verba ſic explicat D. Thomas : *Dicit quòd magnitudo divina eſt infinita , quod nulli magnitudini creatæ convenit , & eſt etiam ſine quantitate, quia non eſt in genere quantitatis , ſed Dei magnitudo eſt ejus eſſe &c.* Similiter D.Gregorius Nazianzenus (quam ipſe allegat) *orat.*38. infinitatem Dei ad eſſe irreceptum & per ſe ſubſiſtens reducit : Verba ejus ſunt. *Deus ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat , cum in monte Moſi oraculum edit. Vniverſum enim id quod eſt in ſe complectitur, nec principium habens , nec finem habiturum , velut pelagus quoddam eſſentiæ immenſum , & interminatum.* Et Nicetas ab eo citatus hoc ipſum manifeſtè inſinuat.

5. Arg. 1. virtus Dei eſt infinita , cum ſequatur eſſentiam infinitam ; ſed virtus infinita poteſt producere infinitum effectum : ergo Deus poteſt producere aliquem effectum, qui ſecundùm ſubſtantiam ſit infinitus. Reſp. ex S. D. diſt. min. quantum eſt de ſe , concedo : ex parte effectus intrinſecè repugnantis, nego. Intrinſecè autem repugnat ex parte facti , quod detur infinitus per eſſentiam effectus, quia eſſet ſuum eſſe, & non participans eſſe , quod implicat, cum nihil producatur , niſi inquantùm participat eſſe. Sicut ergo Deus , licet habeat potentiam infinitam, non poteſt facere aliquid non factum, hoc enim eſſet contradictoria eſſe ſimul : ita non poteſt facere aliquid infinitum ſimpliciter. Nota circa ly *non factum* ſic explicari à D. Thoma quodlib. 9. art. 1. corp. *Dicendum quod cum dicitur , Deum non poſſe aliquid facere , hoc non eſt propter defectum divinæ potentiæ , ſed propter incompoſſibilitatem , quæ importatur in facto. Quod quidem contingit dupliciter : uno modo, quia*

repugnat

repugnat facto inquantum est factum, sicut dicimus Deum non posse facere aliquam creaturam, quæ se in esse conservet. Quia ex hoc ipso quod res aliqua ponitur habere superiorem, ponitur etiam indigere conservatore, cum idem sit causa essendi rem, & conservans rem in esse. Alio modo, quia repugnat huic facto, inquantum est factum, sicut si dicamus Deum non posse facere equum rationalem. Esse enim rationale, quamvis non repugnet facto inquantum est factum; tamen hoc factum, scil. esse rationale omni equo inquantum est equus, in cujus diffinitione cadit irrationale.

Arg. 2. quidquid habet virtutem infinitam, habet essentiam infinitam; sed intellectus creatus habet virtutem infinitam: ergo omnis substantia intellectualis creata est infinita. Minor prob. quia intellectus apprehendit universale, quod est infinitum, quia se ad infinita singularia extendere potest. 6.

Resp. ex S. D. *hic*, & *in* 1.*dist*.43.*q*.1.*a*.2. dist. min. intellectus creatus habet virtutem secundùm quid, concedo: Simpliciter, nego: & similiter ejus essentia est infinita secundum quid, & inferiùs; sed finita simpliciter & superius, quia non est suum esse, nec recipit totum esse Dei, vel virtutem infinitam ejus, sed secundùm modum limitatum sibi possibilem. Ad 3. arg. de materia prima, quæ respicit infinitas formas, patet ex dictis, quod propterea est infinita secundum quid. 7.



ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum possit esse aliquid actu infinitum secundum magnitudinem?

I. MVLTA satis de hac disseruimus *tomo 3. clypei nostri Philosophiæ quæst.* 11. quæ hic resumenda duximus, quædam ad pleniorem articuli intelligentiam præterea adjecturi. Animadvertendum itaque est, quod S. D. *in corp.* rationem reddens cur de infinitate secundùm magnitudinem disputationem suscipiat, cum supra statuerit in rebus nihil infinitum secundùm essentiam dici posse, advertit quod aliud est aliquid esse infinitum secundùm essentiam, & aliud esse infinitum secundùm magnitudinem. Dato enim quod esset aliquod corpus secundùm magnitudinem infinitum, utpote ignis, vel aër, non tamen propterea esset secundùm essentiam infinitum: quia ipsius essentia finita ac determinata esset ad aliquam speciem per formam, & ad aliquod individuum per materiam. Et ideo habito ex præmissis, quòd nulla creatura est secundùm essentiam infinita, adhuc inquirendum superest, utrum aliquid creatum possit esse infinitum secundùm magnitudinem, quæ est accidens ipsius. Hujusmodi enim infinitates longè diversæ sunt, ac separabiles adinvicem. Nam in Deo infinitas essentiæ absque quantitate reperitur: nec una infert necessariò aliam.

Adverte præterea, quòd sicut esse infinitum secundùm essentiam est habere essentiam non limi

limitatam ad aliquam ſpeciem vel gradum entis determinatum : ita eſſe infinitum ſecundùm magnitudinem eſt habere quantitatem ad aliquem gradum vel menſuram , ſeu terminum ipſius non limitatum.

CAPVT PRIMVM.

Oſtenditur nullum corpus naturale poſſe eſſe ſecundùm magnitudinem infinitum.

PRima concluſio D. Th. eſt ; nullum corpus naturale poteſt eſſe infinitum ſecundùm magnitudinem , quod intelligendum venit , etiam de potentia Dei abſoluta. Probat primò S.D. *in corpore* , ratione , quæ in hunc modum formari poteſt : Omne corpus naturale habet determinatam formam ſubſtantialem ; ſed ad determitam formam ſubſtantialem ſequitur determinata quantitas : ergo in re omne corpus naturale habet determinatam quantitatem , & non infinitam in actu. Maj. patet ; quia ut probavimus ſupra , non eſt actu in re corpus naturale ut ſic, ſed hoc corpus naturale;hoc autem corpus phyſicè , & in re non eſt actu hoc corpus , niſi per hanc formam in hac materia. Minor verò prob. Ad formam ſubſtantialem prout eſt forma corporis naturalis ſequuntur accidentia : ergo ad determinatam formam ſubſtantialem , ſequuntur determinata accidentia : ſed quantitas eſt unum accidens corporis naturalis : ergo ad determinatam formam ſubſtantialem ſequitur determinata quantitas ; ſed illud quod eſt determinatum in aliquo genere , nequit in eodem genere 2.

genere esse actu infinitum: ergo non potest dari corpus naturale secundum quantitatem infinitum.

3. Tota difficultas hujus rationis consistit in explicando, quomodo physicè, & in re ad determinatam formam substantialem, sequantur accidentia determinata. Varij sunt modi dicendi; qui possunt videri apud interpretes D. Thomæ. Quibus omissis recolenda sunt quæ diximus *in Logica quæst.5. art.*1. nimirùm quod esse est ex se actualitas illimitata, & sic solum potest limitari ab illo à quo participatur; unde si sit aliquod esse non participatum est infinitum; ut patet in Deo. Contingit autem quod forma participans esse, est ulterius etiam participata ab aliquo alio subjecto, quod est potentia susceptiva ejus; sicut albedo participatur à corpore, quod est potentia ad albedinem; unde quando talis forma participat esse, illud participat non sine ordine ad illud subjectum, à quo ulterius participatur, v. g. albedo non participat esse actu, nisi ut participata à corpore, quod est potentia susceptiva albedinis. Esse in accidenti equidem est quod sit ultima actualitas formæ accidentalis. Verùm quia accidens natum est inesse, cum non sit per se subsistens, sed originatum à subjecto quod est potentia ad ipsum; ideò ejus esse est inesse.

4. Notandum est præterea ex D. Thom. 1. *d.* 8. *quæst.*4.*a.*1. quod determinatio rerum creatarum fit multis modis; primò per additionem differentiæ, vel formæ essentialis; & hoc modo fit determinatio specifica vel generica v. g. pet rationale additum animali fit determinatio animalis ad speciem hominis; & per ly, *per se*, additum

additum enti fit determinatio ejus ad substantiam; & sic de cæteris. Secundò fieri potest per additionem alicujus accidentis; v.g. per qualitatem, quæ est potentia naturalis, determinatur substantia ad agendum; ut per calorem ad calefaciendum. Tertiò determinatur per receptionem ejus in alio, v. g. albedo determinatur per receptionem sui in corpore, hoc ad tale esse. In accidentibus ergo duplex est limitatio, scil. specifica, & hæc desumitur ex propriis principiis à quibus in subjecto causantur; ut explicuimus *tomo* 1. *Clyp. philos. quæst.* 6. *a.* 4. §. 2. Alia est limitatio secundum esse accidentis, & hæc sumitur à corpore naturali, ut per formam determinatam in re est recipiens, & causans esse actu ipsorum accidentium.

His positis urgetur efficaciter ratio D.Thom. 5.
Ad formam substantialem prout dat esse corpori naturali sequuntur accidentia materialia; quia forma dat primum esse actu, quod est esse simpliciter; accidens autem dat esse secundum quid; & omne simpliciter est causa ejus quod est secundùm quid; sicut Deus, qui in omni genere est simpliciter ens, omnibus aliis est causa essendi: ergo ad determinatam formam substantialem, prout est dans esse determinatum simpliciter actu, & in re, sequuntur determinata accidentia secundum esse actu accidentium. Conseq. prob. corpus, seu magnitudo physicè sumpta dicit materiam, & formam cum quantitate recepta, & actu existente; aliàs non haberet rationem corporis naturalis; nam ut actu, & formaliter sit corpus, debet habere trinam dimensionem; ut sit naturale, debet constare materia, & forma, quæ sunt principia

pia entis naturalis: ergo ut sit hoc corpus naturale quod producitur actu, debet habere hanc materiam cum hac forma, & hac quantitate recepta tanquam in subjecto, & causa: ergo secundum esse actu limitata: ergo secundum quod quantum. Conseq. prob. hoc quod est actu non est esse illimitatum, sed est esse actu hujus formæ, quæ est quantitas, non absolutè, sed ut recepta, hic enim est modus corporis naturalis; sed existentia formæ accidentalis, secundum quod talis forma accidentalis habet actu recipi in subjecto est limitata, & determinata, ut supra notavimus: ergo est necessariò limitata actu, & in re.

6. Itaque sta bene in hoc, quod primò producitur singulare in re & actu, consequenter natura communis in singulari determinata; dum ergo producitur actu corpus naturale producitur primò hoc corpus; & consequenter producitur corpus: sed corpus naturale non est sine quantitate in eo recepta, ut naturale est, quia est mobile, & sensibile: ergo similiter producitur primò hæc quantitas, seu esse hujus quantitatis, & secundo quantitas communis, in hac quantitate existens; sed non est hæc quantitas actu nisi per hoc esse, & non est hoc esse, nisi per hanc causam, & subjectum, & non est hoc subjectum, seu hæc causa in re, & actu, nisi per hanc formam substantialem: ergo ad determinatam formam substantialem dantem actu, & in re esse corpori naturali determinatum physicè, & actu, necessariò sequitur determinata quantitas, secundum hoc esse quantum.

7. Vnde satis inconsideratè P. Vasquez, Martinez, &

& alij recentiores hanc profundissimam S. D. rationem ut inefficacem rejiciunt; 1. quia; esto esse quantitatis, sequatur ad esse substantiæ finitæ, solùm sequitur, quod quantitas sit finita secundum esse, non verò in ratione quantitatis. 2. Quia falsum est omne corpus habere naturaliter determinatam quantitatem; nam ignis sine termino crescere potest, per additionem combustibilium, ut dicitur *in 2. de Anim. text.* 41.

8. Nam contra primam objectionem instatur, quia esse actu quantitatis physicè, & in re, non competit quantitati nisi ut in subjecto, in quo causam habet, loquendo de quantitate naturaliter sumpta: ergo si est finita, in ratione essendi physicè, & in re, oportet quod physicè, & in re sit illa quantitas finita in ratione quantitatis: quia in re forma aliqua non potest esse infinita, cujus esse actuale finitum sit; cum debeant esse proportionata. Itaque quidem bene stat, quod illud corpus naturale non sit infinitum secundum essentiam, etiamsi sit infinitum secundum magnitudinem: quia essentia sua esset terminata ad aliquam speciem per formam suam substantialem, ut docet Sanct. Doct. *loc. cit.* sed non stat quod esse proprium quantitatis sit finitum, & quod ratio quantitatis sit infinita, quia esse est actus illius formæ, & ipsa forma, seu quantitas est potentia ad esse, seu id quod: potentiæ autem infinitæ, nullatenus potest esse actus finitus, cum proportionem debeant dicere. Et profectò mirum est, quod isti ponant quamlibet formam esse realiter indistinctam à suo esse, & quod velint quantitatem esse infinitam, & ejus esse fi-

nitum physicè, & in re. Tandem, quia etiam propria ratio quantitatis sumitur per ordinem ad subjectum, ut toties dictum est; cum ergo illud simpliciter finitum sit in ratione radicis, & causæ ipsius quantitatis, & effectus debeat suæ causæ commensurari, satis percipi nequit, quomodo stante corpore naturali finito, quantitas ad ipsius formam sequuta infinita esse valeat.

9. Contra secundam objectionem etiam instatur, quia ignis propriè non augetur ab intrinseco, id enim quod convertitur in ignem, non ingreditur in ignem, itaut cuilibet ejus parti uniatur, & superaddatur; sed diffunditur ignis per generationem formæ ignis in materia aliena: & ad formam, quæ generatur, sequitur sua quantitas determinata, non equidem secundum rationem formæ speciei, sed individui; quia ignis, qui accenditur in ligno quatuor palmorum, v. g. in re non habet quantitatem viginti cubitorum: sed illud quod superaddi potest, nullatenus potest esse actu infinitum: quia quolibet combustibili dato, Deus aliud addere potest: ergo etiam sub hac ratione in infinitum cathegorematicè, si actu augeri nequit, sed solùm syncathegorematicè. Et semper restat quod ut sequitur actu, & physicè quantitas ignis, ad formam substantialem ignis in hac materia habet determinationem secundum subjectionem, & causam à qua producitur. Non itaque in igne idem accidit atque in corporibus animatis: omnium enim animatorum quæ constant in figura, & quantitate, certa est quantitas in qua salvatur forma illius speciei, & est ratio magnitudinis in maximo,

&

& minimo, in qua stat & extra quam species non salvatur : & augmentum habet terminum, qui est quantitas organorum, quæ sufficit operationibus virtutum, & potentiarum; sed in igne augmentum interminatum est in quantitate; tantum enim augetur quantum est cremabile oppositum igni. Sed de hac determinatione, vel indeterminatione non procedit ratio D.Thomæ, ut aliqui perperam contendunt: quis enim dubitat Deum posse hominem creare, vel producere extra eam quantitatem quam exigit forma speciei : sed de determinatione secundum ipsum esse actu in re quatenus omne accidens naturaliter existens in corpore, ab eo habet esse actu, & finitatem, seu esse finitum modo supra explicato.

Secunda ratio Div. Thomæ est desumpta ex ratione mobilitatis, seu motus naturalis, hoc pacto : Omne corpus naturale aliquem motum naturalem debet habere, *ex primo cœli text. 5.* sed nullum corpus infinitum potest esse naturaliter mobile : ergo implicat corpus naturale secundùm magnitudinem infinitum. Prob. minor, vel moveretur motu recto, vel circulari; sed nullo ex his : ergo nullum corpus infinitum potest esse naturaliter mobile. Prob. minor, imprimis non moveretur motu recto : quod prob. nam nihil sic movetur, nisi cum est extra locum suum, seu acquirit unum, & derelinquit alium, ut ad sensum patet; sed tunc non posset unum derelinquere, & aliud occupare de novo, quia cum esset infinitum occuparet omnem locum : ergo non posset moveri motu recto. Deinde neque circulari. Quia in motu circulari oportet, quòd una pars corporis transferatur 10.

ad locum, in quo fuit alia pars; ſed hoc in corpore circulari, ſi ponatur infinitum, eſſe non poſſet: ergo non moveretur motu circulari. Prob. min. lineæ circuli à centro protractæ, quantò longius protrahuntur, tantò magis diſtant: ergo in corpore infinito diſtarent inter ſe infinitè: ergo nunquam una perveniret ad locum alterius.

CAPUT II.

Nullum corpus mathematicè acceptum poſſe eſſe ſecundùm magnitudinem infinitum ſtatuitur, & probatur.

11. SEcunda concluſio D. Thomæ eſt: non poteſt dari corpus mathematicum ſecundùm magnitudinem infinitum. Probat S. D. hac ratione: Oportet quod corpus mathematicum ſi ponatur actu exiſtens, habeat aliquam formam; ſed forma quanti eſt figura: ergo oportet quod habeat aliquam figuram; ſed figura neceſſariò importat terminationem quantitatis ex qua reſultat: ergo neceſſariò erit terminata; ſed quod eſt actu terminatum terminis alicujus generis non eſt actu infinitum in illo genere: ergo non poteſt dari corpus mathematicè ſumptum, actu infinitum. Major prob. quia nihil poteſt poni in re actu exiſtens, niſi ſub aliqua forma: ergo ſi ponatur corpus mathematicum actu exiſtens, & in re, debet poni ſub aliqua forma. Ant. prob. ex eodem S. D. *ibid. in ſolut. ad* 2. non poteſt poni actu exiſtens niſi ſub aliquo genere entis ponatur: ſed

sed in re nihil est sub genere, quod in re sub aliqua illius specie determinata non ponatur: ergo debet poni in re sub aliqua specie, quæ sit natura certa, & determinata: sed non est natura certa, & determinata nisi per formam: ergo nihil potest poni in re actu existens nisi sub aliqua forma: ergo si ponatur in re quantitas mathematicè sumpta actu existens, debet poni sub specie bicubiti, tricubiti &c. Recole quæ diximus supra, nimirùm genera non existere, sed primo & per se existunt actu singularia, consequenter species, & tandem genera: Primò enim & per se existit actu hic homo: consequenter homo, dein animal &c. Si ergo ponatur quantitas actu existens, erit hæc quantitas: ergo erit sub aliqua specie quantitatis, quia genus non existit in re nisi in suis speciebus.

Contra hanc rationem instat P. Vasquez, primò: quamvis corpus mathematicum in sola cogitatione infinitum esse nequeat, quia semper à nobis apprehenderetur instar aliorum, quæ finita sunt: hinc tamen colligitur reipsa à Deo fieri non posse, multa enim quæ cogitare non possumus, à Deo fieri non repugnant: plus enim potest Deus facere, quam intellectus creatus possit cogitare. 2. quia etiam ex parte nostræ cogitationis non repugnat; nam facilè apprehendimus vastitatem aliquam, sive magnitudinem extra cœlum sine ullo termino: nihil ergo repugnat quominus corpus mathematicum infinitum à Deo produci possit. Ad has instantias multi multa adducunt, quæ meo judicio non satis ingenuè mentem S. D. attingunt. Quibus omissis nota quòd S. D. non lo- 12.

quitur de corpore mathematico secundum eam rationem qua habet esse tantùm in ratione abstrahente, & non in re, ut perperam existimat P. Vasquez, sed loquitur de existentia in re: & venit sic intelligendus: sicut mathematica habent esse actu solùm in ratione, cum abstrahant à materia sensibili; si demus quod sic abstracta à corpore naturali, seu substantia corporea, producantur actu à Deo, & ponantur in re existentia, sicut existunt tantum in intellectu; non possunt poni actu infinita; Et ratio D.Thom. efficaciter hoc probat; illud infinitum erit in genere quantitatis; sed in re non ponitur actu existens aliquod genus, nisi in aliqua specie determinata: ergo illa quantitas quæ ponetur actu existens, necessariò erit aliqua species determinata quantitatis, in aliquo ejus individuo: ergo habebit aliquam figuram, & terminationem: ergo non erit actu infinita. Quod autem hæc sit mens D. Thom. sumitur ex verbis ejusdem in corp. ubi ait; *Si imaginemur corpus mathematicum existens actu, oportet quod imaginemur ipsum sub aliqua forma; quia nihil est actu nisi per suam formam.* Vbi loquitur de existentia in re, quæ est à forma ut latè probavimus supra; quia nihil actu existit, nisi sit certa natura, & determinata, & non est determinata actu, & formaliter nisi per formam. Et in solut. ad 2. inquit: *Licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi, est tamen contra rationem cujuslibet speciei ejus; scilicet contra rationem magnitudinis bicubitæ, vel tricubitæ; sicut circularis, vel triangularis, & similium; non autem est possibile in genere esse, quod in nulla specie est. Vnde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum*

cum nulla species magnitudinis sit infinita. Vbi de existentia in re loquitur, nam per intellectum bene possum concipere aliquod genus non determinando ipsum ad aliquam ejus speciem; quia primò intelligitur genus, deinde species; sed in re primò ponitur singulare, consequenter species, tandem genus, & cum non ponatur posterius nisi posito priori in re, & actu non ponitur species existens, nisi in singulari, neque genus nisi in specie. Ex quibus patet solutio ad objectionem P. Vasquez, quæ procedunt contra corpus mathematicum, ut habet esse in intellectu, & imaginatione; quod neque somniavit D. Thom. Nam quæstio est de reali productione fienda à Deo; & in sententia D. Thomæ nihil est producibile actu, nisi sub statu singularitatis, in quo rei competit determinatè existere.

Et melius percipies efficaciam hujus ratio- 13.
nis, si perpendas id quod adduximus ex S. D. quodlib. 12. *nimirum quod infinitum repugnat ex modo quo Deus agit; quia, inquit, Deus agit per intellectum, & verbum quod est formativum omnium; unde oportet, quod omnia, quæ egit, sint formata.* Quæ ratio sistit in hoc; quod verbum, & intellectus, qui est ratio producendi, seu in quo omnia producuntur, est idea, & forma practica, quæ necessariò respicit esse actu, & determinatum in re: ergo si produceret Deus infinitum produceret illud ut formatum, & determinatum in re; sed quantitas non est determinata in re mathematicè, nisi sit determinatæ figuræ, & physicè non est determinata, nisi habeat determinatum esse in subjecto, & ab eo ut causa: ergo deberet esse determinatæ figuræ.

CAPVT III.

Solvuntur argumenta.

14. Arguitur primò, non repugnat infinitum in potentia; quia in quolibet continuo sunt infinitæ partes proportionales unitæ indivisibilibus, aliàs penetrarentur: ergo neque repugnat infinitum in actu. Consequentia prob. quia ex possibili posito in actu nulla sequitur repugnantia.

15. Conf. Quantitas ex se nullum petit terminum, & ideò potest magis, ac magis extendi: ergo & in infinitum si extendatur, non propterea amittet essentialem quantitatis rationem.

16. Resp. ad argum. ex S.D. 1. sent. dist. 19. q. 2. a. 1. & D. Alberto Magno *lib. 3. Phys. tract. 2.* quod aliquid dupliciter dicitur esse in potentia; primò in potentia finita ad unum actum purum; ita quod cum est in actu illo nihil remanet de potentia ad actum illum; sicut æs dicitur in potentia statua idoli, & sperma in potentia dicitur homo. Alio modo dicitur aliquid in potentia non per ordinem ad actum purum, & finientem completè ipsam potentiam, sed ad actum permixtum potentiæ ad eundem actum, & hæc sunt quorum esse est in fieri, ut motus qui est actus existentis in potentia secundum quod est in potentia; unde relinquit semper mobile in potentia ad actus succedentem particulam. Dico ergo quod non repugnat infinitum in potentia, ad actum potentiæ permixtum, & in fieri;

fieri; benè verò potentia ad actum purum, & completum, seu simpliciter. Vnde loquendo de infinito simpliciter negatur consequentia. Ad cujus probationem respondetur quod ex possibili posito in actu secundum modum exigentiæ ipsius potentiæ nullum sequitur inconveniens: & si est possibilitas ad actum purum, & simpliciter, potest poni actus simpliciter. Si est actus potentiæ permixtus, sicut in successivis, hoc modo poni debet.

Respond. ad confirm. quod quantitas in re, & ut sequitur ad substantiam, seu secundum esse petit terminum; licet in potentia in infinitum divisibilis sit secundum partes rationis, & proportionales. 17.

Argument. 2. non repugnat dari infinitum in actu, neque ex parte potentiæ divinæ, quia hæc infinita est, neque ex parte facti: ergo &c. Probatur antec.1. quia infinita magnitudo non est infinitas simpliciter, sed in genere determinato & essentiam habet finitam; & positam in prædicamento; verbi gratiâ si daretur linea infinita, esset intra genus lineæ: esset enim extensa secundùm longitudinem, etsi termino careret. Prob.2. quia omnis magnitudo creabilis collectivè sumpta est infinita, & si de facto omnis illa crearetur esset actu infinita: ergo non repugnat ex parte facti. 18.

Confirm. Quia virtus divina ad producendum magnitudinem est infinita, & si operaretur ex necessitate naturæ; & ageret secundum ultimum suæ potentiæ produceret magnitudinem actu infinitam: ergo etiam modo liberè operans potest illam actu infinitam producere. 19.

Respond.

20. Respond. ad arg. quod non repugnat neque ex parte potentiæ infinitæ, secundum se sumptæ; neque ex parte facti absolutè; sed ex parte modi quo Deus essentialiter est operans, per intellectum scilicet, & verbum quod est formativum omnium : unde oportet, ut omnia, quæ agit, sint formata : si autem infinitum actu daretur non esset formatum, ut latè ex S. D. *quodlib.* 12. *quæst.* 2. *art.* 1. supra explicuimus. Ad 1. prob. dist. antec. si daretur linea simpliciter infinita in actu physicè, & in re non esset finita secundum essentiam formaliter & præcisa ratione lineæ, transeat; ut sequitur ad substantiam, nego : oporteret enim quod substantia illa secundum essentiam esset finita. Vnde simpliciter, & physicè non poneretur in genere quanti; quia sic de ratione ejus est quod sit modus substantiæ corporeæ in re afficiens ipsam, vel ad ipsam consecutus; ad eam, ut habet esse in re. Ad secundam prob. dico quod omnis magnitudo creabilis collectivè sumpta secundum se est infinita actu non secundum actum purum, sed secundum actum permixtum potentiæ, & si de facto ille crearetur, esset infinita in actu secundum actum potentiæ permixtum: quod est esse secundum quid actu, & non simpliciter. Cuilibet enim potentiæ correspondet proprius actus, & talis actus est correspondens infinitæ magnitudini potentia creabili. Et licet secundum intellectum speculativum Deus cognoscat in se infinitam actu magnitudinem, non tamen secundum intellectum practicum : prout scilicet contemplatur operabilia, ut subsunt intellectui practico, veluti actioni divinæ, de cujus ratione est quod operetur per

ideam

ideam formata in re, & determinata secundum esse.

Respond. ad confirm. neg. conseq. quia in modo operandi liberè importatur modus determinativus effectus in re, quia tunc operatur per verbum practicum suum, quod est formativum, & determinativum omnium in numero, pondere & mensura. Quod non contingit in agentibus necessariis, quæ secundum totum suam virtutem operantur. Si impedita non sint. 21.



ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum possit esse multitudo infinita in rebus.

SERMO est de multitudine universaliter dicta, sive sit in genere, sicut rerum quantitativarum multitudo, quæ ex divisione continui causatur: sive extra genus, ut multitudo Angelorum, aliarumque rerum spiritualium. Duplicem de hac re Sanct. Doct. apud antiquos Philosophos invaluisse refert. Prima fuit Avicennæ, & Algazelis asserentium quod impossibile quidem sit esse multitudinem actu infinitam per se: sed actu infinitam per accidens non repugnare. 1.

Circa quod notandum est, quod multitudo infinita impræsentiarum æquipollet multitudini infinitæ causarum essentialiter subordinatarum inter se in ordine ad aliquid tertium causandum. Multitudo autem infinita per accidens 2.

dens æquipollet multitudini rerum, seu causarum non ordinatarum essentialiter inter se; sed accidentaliter dumtaxat. Rem exemplo manifestat Sanct. Doct. dicens: Et hoc sic manifestari potest in operatione fabri ad quam quædam multitudo requiritur per se, scilicet quod sit ars in anima, & manus movens, & martellus: & si hæc in infinitum multiplicarentur, nunquam opus fabrile compleretur: quia dependeret ex infinitis causis. Sed multitudo martellorum, quæ accidit ex hoc quod unum frangitur, & accipitur aliud, est multitudo per accidens. Accidit enim quod multis martellis operetur, & nihil differt, utrum uno, vel duobus, vel pluribus operetur, vel infinitis, si infinito tempore operaretur: per hunc igitur modum posuerunt quod possibile est esse actu multitudinem infinitam per accidens.

3. Secunda sententia asseruit repugnare infinitam multitudinem in actu, non modò per se, sive in essentialiter subordinatis, sed etiam per accidens. Quoad primum omnes Philosophi convenerunt: nam si oppositum admitteretur, ut deducit Philosoph. 7. *metaph.* omnis causalitas tolleretur: Quoniam in his secunda dependet à prima in causando, in infinito autem non datur primum; posse tamen esse multitudinem in actu per accidens infinitam.

4. Dicendum est tamen implicare, seu impossibile esse, quòd detur infinitum in actu secundum multitudinem. Ita S. D. tum hîc, tum *quodlib.9. art.1.* Probat in *sed contra* ex illo Sapient.11. *Omnia in pondere, numero, & mensura disposuisti*, D.Augustin.4.sup.Genes.ad lib.cap.3. *Mensura*, inquit, *rei modum præfigit, & numerus*

omni

omni rei speciem prabet. Sed quod est in determinata specie multitudinis non potest actu esse infinitum, ut probatur *in corp.* igitur nequit dari multitudo actu infinita.

Probat Sanct. Doct. *in corp.* primò ; quia omnis multitudo actu existens est in aliqua specie multitudinis : ergo est in aliqua specie numeri ; quia species multitudinis sunt secundum species numerorum ; sed omnis species numeri est finita, quia numerus est multitudo mensurata per unum : ergo implicat dari multitudinem infinitam. Antecedens satis superque patet ex his, quæ diximus supra ; Prima conseq. difficultatem patitur non modicam ; nam multitudo est quid communius quam numerus ; ea propter etiam alias species præter numerum habere debet, datur enim multitudo Angelorum, quæ propriè non est numerus quantitativus ; unde non concluditur ex eo quod sit in aliqua multitudinis specie, quod sit etiam in aliqua specie numeri ; sicut ex eo quod sit in aliqua specie animalis, non rectè infertur, quod sit necessariò in specie humana ; potest etenim esse in Leonina ; deinde esto multitudo infinita sit secundùm aliquam speciem numeri, non tamen si ponatur esse multitudo actu infinita ; nec enim hæc mensurabilis erit per unum, sicut numerus finitus. Alias instantias similes adducit P. Vasquez apud Nazarium *ibid. contr.* 1. Pro quarum solutione interpretes multa adducunr. 5.

6. Recolenda sunt ea quæ diximus tom. 2. clyp. philosoph. quæst. 6. art. 4. ex Sanct. Doct. nimirùm quod *numerus absolutus à rebus, non est nisi in intellectu* ; ut autem est rebus concretus,

tus, est à parte rei; unde absolutus à rebus non potest produci actu in re, sed producitur, ut concretus rebus. Dupliciter autem numerus res ipsas importat; nimirùm signatè, & exercitè; quatenus importat exercitè est ens per accidens; ut autem eas importat signatè, est ens per se, & ejus ultima unitas ut subordinans sibi alias est forma ejus, ac per consequens mensura; per ultimam enim unitatem dignoscitur numeri species certa; verbi gratia quaternitas ut concreta rebus est mensura qua dignoscuntur, & mensurantur tot res. Licet autem quantitas discreta seu multitudo logicè habeat plures species, non verò physicè; nec enim oratio distinctam speciem physicè constituit ab ipso numero; ut ibidem docuimus §. 2.

7. Modo percipies facilè acumen, & pondus rationis Angelicæ Sanct. Doct. cum dit; omnis multitudo actu existens est in aliqua specie multitudinis: ergo est in aliqua specie numeri. Nam multitudo actu existens, est multitudo physicè sumpta; & multitudo, licet logicè habeat alias species, non tamen physicè; ergo optimè concludit Divus Thomas loquendo de multitudine physica, quod species multitudinis sunt secundum species numerorum. Et cum numerus non sit in specie determinata nisi per ultimam unitatem, ut sibi subordinat alias, & totum numerum mensurat, oportet quod quilibet numerus actu existens sit finitus, & limitatus in re. Vnde ad 1. instantiam. Resp. dist. ant. multitudo est quid communius &c. si sumatur Logicè, concedo: Physicè, nego: Logicè autem non ponitur numerus actu in re existens, sed Physicè. Ad 2. dico quod implicat quod ponatur

natur

natur numerus, & non ponatur in ſpecie determinata numeri, Phyſicè loquendo: quia nihil eſt in genere, quod in re non ſit in aliqua ejus ſpecie determinata. Si autem ponatur in ſpecie determinata, eo ipſo jam habet ultimam unitatem finientem, & menſurantem.

Secunda ratio Divi Thomæ procedit in hunc modum. Multitudo in rerum natura exiſtens eſt creata; ſed omne creatum ſub aliqua certa intentione creantis comprehenditur; non enim in vanum Deus aliquid operatur: ergo neceſſe eſt quod ſub certo numero omnia comprehendantur; ſed quod ſub certo numero comprehenditur, non poteſt eſſe actu infinitum: ergo impoſſibile eſt eſſe multitudinem infinitam in actu. Prima minor prob. ex illo ſapien. cap. 11. *omnia in pondere, numero, & menſura diſpoſuiſti.* 8.

Reſpond. P. Vaſquez, quod quamvis quodlibet creatum ſit terminus alicujus certæ intentionis, & operationis ipſius creantis, multa tamen creata non oportet eſſe terminum alicujus certè intentionis, & operationis, ſed multarum intentionum, & operationum; & ſic infinita creata erunt termini infinitarum intentionum, ſicut & creationum. Et ſi inſtetur quod tota rerum univerſitas non poteſt habere niſi rationem unius creati primò intenti. Negat, quia hujuſmodi rerum univerſitas non una, ſed pluribus rerum ſingularum productionibus producitur. Et cum Deus perſpicaci intellectu, & omnipotenti voluntate; quæ falli, aut deficere nequeunt, omnia operetur; non minùs univerſa illa rerum multitudo ſub certam Dei voluntatem, & cognitionem caderet, quam 9.

ſi

si finita esset. Contra, esto Deus per intellectum suum præcognoscat infinita, & voluntas ejus efficax absolutè considerata infinita possit, tamen ut in exercitio agit & producit creata illa, necessariò debet producere illa ut formata; quia agit in re per verbum suum, tanquam per ideam practicam, idea autem est quædam forma ad quam artifex respiciens operatur conformiter ad eam; sed omne quod est in re formatum habet terminum in re, & finem: ergo in re data qualibet multitudine creata necessariò debet esse terminata, sub certa intentione comprehensa, quatenus in exercitio Deus agit per verbum suum tanquam per ideam practicam, & formam operativam.

10. Conf. intentio non est quilibet actus quo voluntas vult finem absolutè, sed secundum quod est terminus alicujus quod in ipsum ordinatur; non enim ex hoc dicimur intendere sanitatem, quia absolutè volumus illam; sed quia volumus ad eam per aliquid aliud pervenire, ut explicat D. Thomas 1.2. q.12. art. 1. ergo data qualibet multitudine creata, ut finis intentionis divinæ, in executione debet habere rationem termini: ergo alicujus finiti. Quia omne illud quod habet terminum, vel est terminus, finitum est in eo genere, quo in re est terminus productus.

11. Conf. 2. quia terminus intentionis in exercitio, seu executione necessariò est aliqua forma, unde forma, & finis ex Philosopho coincidere dicuntur: ergo si multitudo illa crearetur cum esset terminus in executione illius intentionis, vel illarum, necessariò in re aliquam multitudinis formam haberet; sed quodlibet per propriam formam finitur ad certam speciem, & naturam

in

in re; ergo illa multitudo creata in re necessariò esset finita. Itaque ad instantiam istam: Resp. omissis aliis solutionibus, quæ videri possunt apud M. Nazarium 1. *p. q.* 7. *art.* 4. *tom.* 1. quod multa creata, possunt sumi dupliciter primò absolutè; secundò ut terminant intentionem Dei agentis per verbum suum, & intellectum practicum in exercitio; primò modo non sunt termini certæ intentionis, sed in infinitum multiplicari possunt; quia solùm respiciuntur voluntate absolutè sumpta, & cognitione proponente; sed secundò modo impossibile est, quod non sint in re termini certæ, vel certarum intentionum; quia sic respiciuntur à voluntate Dei cum ordinatione practica, & per intellectum practicum, qui in re, & exercitio non agit nisi aliquid formatum, cum hoc sit finis intellectus practici. Et hoc fefellit P. Vasquez. Quia quidquid in re producitur, produci debet cum certa actualitate, cum non producatur esse, vel actus, ut sic; ergo cujuslibet multitudinis in re productæ per intellectum practicum, & voluntatem supponentem ordinationem intellectus, necessariò debet esse certa actualitas, & certum esse; quod in re sit finis operationis illius directæ per intellectum practicum.

Objicies: in quolibet instanti unius horæ potest Deus creare unum Angelum, vel animam rationalem; sed sunt infinita instantia unientia infinitas partes proportionales: ergo essent actu creati infiniti Angeli vel animæ. Et si dicatur, quod non sunt infinita instantia physicè & in re, seu signata sed proportionalia; Contra, quia ex D. Thom. 1. *p. q.* 46. *art.* 2. & *opusc.* 27. potuit Deus mundum ab æterno creare; sed in primò instanti, & quolibet alio subsequenti 12.



INDEX

RERVM ET VERBORVM, Quæ in hoc Tomo continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus verò notas marginales deſignat.

A

Libri

L

Libri Canonici.

Lutherus.

M

Mahometes.

Manichæus, Manichæi.

Melancton.

Metaphora.

Miraculum.

Multitudo.

Natura

N

Natura Rationalis.

P

Pagani.

Parabola.

Perfectio.

Perfectus, Perfectum.

T

Theologia.

FINIS.

